BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8 1/1
30 K
15

Digitized by Google

BE
11
24

Digitized by Google

XX
11
40

Digitized by Google

Dom. Prof. Rom. S. J. Bibl. Com.

AULA DEI GLORIOSA,

Octo Beatorum Claſſes continens:

SEU

CONCIONES PANEGYRICÆ

Super

Celebriorum Sanctorum Feſta,

QUAS

In gratiam Curatorum & Concionatorum,
clara ac plana Methodo, præmiſſo ante ſingulas
rerum Argumento deduxit,
*Plurimis Sacræ Scripturæ, Sanctorúmque Patrum
teſtimonijs roboravit, ac varijs Exemplis
illuſtravit*

R. P. JOANNES ZIMMERMANN,
Boëmus Pragenſis, è SOCIETATE JESU.

Cum Privilegio Sacræ Cæſareæ Regiæq; Majeſtatis.

PRAGÆ, Typis Univerſitatis CAROLO-FERDINANDEÆ,
in Collegio Societatis JESU ad S. Clementem,
per Joannem Caſparum Muxel Factorem,

Anno M. DC. XCI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Sacro-Sanctæ & Individuæ

TRINITATI,

Crucifixi Domini Noſtri

JESU CHRISTI

HUMANITATI,

Beatiſſimæ, ac Glorioſiſſimæ, ſempérq; Virginis

MARIÆ fœcundæ INTEGRITATI,

&

OO. SANCTORUM UNIVERSITATI,

D. D.

PRimùm me Tibi ſiſto, ô Increata Aulæ DEI glorioſæ Conditrix SSS. TRINITAS; DEUS Ter Optime Maximè; & quia viva fide Te Unum DEUM in Trinitate, & Trinitatem in Unitate credo ac veneror; toto ſpiritu ac corpore, ad Diviniſſimos Pedes, Infinitæ Majeſtatis tuæ proſtratus; offero Tibi hunc qualem qualem laborem, quem pro Gloria tua, in hominum pectoribus propaganda, ſuſcepi. Scio equidem hunc indignum eſſe tantæ Majeſtati; verùm quia mihi conſtat, & duo minuta à Vidua

Digitized by Google

quondam Tibi oblata perquàm placuiſſe, ſpero nec meum hoc Minutum Tibi diſpliciturum. Unde viciſſim id unicum à te peto, cum dilecto Tibi Auguſtino: *Domine, meminerim tui, intelligam te, diligam te, auge in me iſta, donec me reformes ad integrum.*

Ad tuum quoque venerabundus accedo Thronum Gratiæ, ô Incarnata Deitas, & Crucifixa JESU CHRISTI Humanitas. Conſtat Te noſtri causâ, ſtimulante Amore, *qui & modum & menſuram excedit;* incarnari, naſci, circumcidi, crucifigi, ſangvinem profundere, imò loquor cum S. Bernardo: *Pro redimendo ſervulo, non ex parte, ſed totum ſanguinem, ex multis & largis foraminibus, voluiſſe effundere.* Idcirco ut omnes Tibi viciſſim dignos Amoris ac Gratitudinis affectus exhiberent; Te in Nativitate, *Omnipotentem in cunabulis*, ſeu admirabilem tuam Infantiam, pannis involutam produxi; in Circumciſione, *DEUM ſalutis;* in Epiphania, *DEUM vocantem;* in Reſurrectione, *SS. Matri primùm Apparentem;* in Aſcenſione, velut *Aquilam grandem* evolantem; in Inſtitutione Venerabilis Sacramenti, *Cibum & Convivam* factum demonſtravi. Nunc verò typis mandavi, ut ij qui imposterum legerint, charitatis flammâ erga Te accendantur; patere ergo Manſvetiſſime Domine, ut & hic exilis labor meus Tibi cedat in honorem, alijs in emolumentum, mihi verò Teipſum ſerva in præmium & hæreditatem.

Nunc tuis Sacratiſſimis advolvor pedibus Magna DEI Mater, Mundi Domina, Cælorum Regina. Fateor Feſtivitates tuas, etſi indignus, tamen ſemper, pro modulo meo, conatus fui laudibus celebrare; idcirco in Feſto Immaculatæ Conceptionis, *Te Bellatricem fortiſſimam in Juditha* adumbratam produxi; in Feſto Naſcentis, *Te Stellam maris, Stellam matutinam in medio nebulæ* exhibui; in Feſto Præſentationis, *Te Arcam vivam Novi Teſtamenti, in Oraculum Templi illatam* repræſentavi; in Feſto Annuntiationis *Te Rebeccâ Iſaaci Sponſâ* ſummè pulchriorem demonſtravi; in Feſto Viſitationis, Te ad exemplum DEI, *Feſtinantem* ad conferendum nobis beneficia oſtendi; in Feſto Purificationis, Te in *Anna devota* præfiguratam, ac primam *Hoſtiam* DEO litantem declaravi; demum in Feſto Aſſumptionis, Te

velut

Digitized by Google

velut *Eſther* coronatam, *Reginam Cœleſtium*, *Terreſtrium, & Inferorum* proclamavi. Suſcipe igitur & Tu, ô Magna *DEI Mater!* hoſce exiguos conatus meos, & cùm ſis *Mater miſericordiæ*, *Mater gratiæ*, peto cum S. Bonaventura: *Ut effundas gratiam tuam ſuper me, & ſolitam Clementiam tuam, nè unquam ſubtrahas à me.* Cùm verò ſis *mea maxima fiducia, & tota ratio ſpei meæ; exaudi me in die tribulationis, & nè projicias me in tempore mortis;* ſed quod unicè deſideravit S. Ephrem: *Adeſto mihi Mater miſericordiæ, in extremo vitæ periculo, ac miſeram meam animam conſerva.*

Demum ad Vos me converto, ô Feliciſſimi *Glorioſæ Aulæ DEI* Poſſeſſores,! & quidem ad vos, Beatiſſimi in novem Choros diſtributi Spiritus; ad vos, SS. novi Teſtamenti Patriarchæ; ad vos, Glorioſiſſimi Apoſtoli; ad vos, Fortiſſimi Martyres; ad vos, Ferventiſſimi Confeſſores; ad vos, Caſtiſſimæ Virgines, & Devotiſſimæ Mulieres, me converto. Et quia in his dictionibus, eximias veſtras virtutes, fortiſſimos pro Chriſto exantlatos labores, invictas Martyrij palmas, pro poſſe meo produxi; ſuſcipite & vos exilem hunc laborem, & viciſſim, dum me ex illa AULA DEI GLORIOSA reſpicitis; juvate precibus veſtris, ut ex tot quotidianis pereundi periculis, immunis evadam, ac Vobis æternùm conjungar in Cœlis. Maximè verò exopto, ut mihi tum, quando agonizanti inclamabitur: *Subvenite Sancti DEI, occurrite Angeli Domini, ſuſcipientes animam ejus;* eam etiam ſuſcipiatis, ac in conſpectu Altiſſimi offeratis.

ORDO CONCIONUM,
quo in hoc Opere continentur.

Claſſis I. Feſta SSS. Trinitatis, & Incarnati DEI.

CONCIO I. *In feſto SSS. Trinitatis.*
II. *In feſto Nativitatis Domini.*
III. *In feſto Circumciſionis Domini.*
IV. *In feſto Epiphaniæ Domini.*
V. *In feſto Reſurrectionis Domini.*
VI. *Feriâ ſecundâ Paſchatis.*
VII. *Feriâ tertiâ Paſchatis.*
VIII. *In feſto Aſcenſionis Domini.*
IX. *In feſto Sancti Spiritûs.*
X. *Feriâ ſecundâ Pentecoſtes.*
XI. *Feriâ tertiâ Pentecoſtes.*
XII. *In feſto Corporis Chriſti.*

Claſſis II. Feſta Magnæ Matris DEI.

CONCIO I. *In feſto Immac. Concept. B. V.*
II. *In feſto Nativitatis B. Virginis.*
III. *In feſto Præſentationis.*
IV. *In feſto Annuntiationis B. V.*
V. *In feſto Viſitationis B. V.*
VI. *In feſto Purificationis B. V.*
VII. *In feſto Aſſumptionis B. V.*

Claſſis III. Feſta Sanctorum Angelorum.

CONCIO I. *In feſto Sanctorum Angelorum.*
II. *In feſto SS. Angelorum Cuſtodum.*
III. *In feſto S. Michaëlis Archangeli.*

Claſſis IV. Feſta SS. Patriarcharũ Novi Teſtamenti.

CONCIO I. *In feſto S. Joannis Baptiſtæ.*
II. *In eodem feſto.*
III. *In feſto S. Joſephi Nutritij Chriſti.*

Claſſis V. Feſta Sanctorum Apoſtolorum.

CONCIO I. *In feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.*
II. *In feſto S. Andreæ.*
III. *In feſto S. Jacobi.*
IV. *In feſto S. Joannis Evangeliſtæ.*
V. *In feſto S. Thomæ.*
VI. *In feſto SS. Philippi & Jacobi.*
VII. *In feſto S. Bartholomæi.*
VIII. *In feſto S. Matthæi.*
IX. *In feſto SS. Simonis & Judæ.*
X. *In feſto S. Mathiæ.*

Claſſis VI. Feſta Sanctorum Martyrum.

CONCIO I. *In feſto SS. Innocentium.*
II. *In feſto S. Stephani.*
III. *In feſto S. Laurentij.*
IV. *In feſto S. Sebaſtiani.*
V. *In feſto S. Wenceslai.*
VI. *In feſto S. Clementis.*

Claſſis VII. Feſta Sanctorum Confeſſorum.

CONCIO I. *In feſto S. Martini Epiſcopi.*
II. *In feſto S. Ignatij Soc. Ieſu Fundat.*
III. *In feſto S. Franciſci Xaverij.*
IV. *In feſto S. Franciſci Borgiæ.*

Claſſis VIII. Feſta Sanctarum Mulierum.

CONCIO I. *In feſto S. Mariæ Magdalenæ.*
II. *In feſto S. Catharinæ.*
III *In feſto S. Urſulæ.*
IV. *In feſto Omnium Sanctorum.*

ORDO

Digitized by Google

ORDO CONCIONUM,

prout communiter per Annum occurrunt.

In feſto Circumciſionis Domini.	pag. 17.
In feſto Epiphaniæ Domini.	27.
In feſto S. Sebaſtiani Mart.	318.
In feſto Purificationis B. V. Mariæ.	140.
In feſto S. Mathiæ Apoſtoli.	285.
In feſto S. Joſephi Nutritij Chriſti.	202.
In feſto Annuntiationis B. V. Mariæ.	124.
In feſto Reſurrectionis Chriſti.	36.
Feriâ ſecundâ Paſchatis.	43.
Feriâ tertiâ Paſchatis.	51.
In feſto SS. Philippi & Jacobi Apoſt.	254.
In feſto Aſcenſionis Chriſti.	60.
In feſto Spiritûs Sancti.	68.
Feriâ ſecundâ Pentecoſtes.	77.
Feriâ tertiâ Pentecoſtes.	84.
In feſto SSS. Trinitatis.	1.
In feſto Corporis Chriſti.	92.
In feſto S. Joannis Baptiſtæ.	184.
In eodem feſto Concio alia.	194.
In feſto SS. Petri & Pauli Apoſt.	211.
In feſto Viſitationis B. V. Mariæ.	132.
In feſto S. Mariæ Magdalenæ.	385.
In feſto S. Jacobi Apoſtoli.	228.
In feſto S. Ignatij Soc. Ieſu Fundat.	354
In feſto S. Laurentij Martyris.	310.
In feſto Aſſumptionis B. V. Mariæ.	148.
In feſto S. Bartholomæi Apoſt.	262.
In feſto SS. Angelorum. Domin. 1. Septembris.	156.
In feſto SS. Angelorum Cuſtodum.	166.
In feſto Nativitatis B. V. Mariæ.	108.
In feſto S. Matthæi Apoſtoli.	270.
In feſto S. Wenceslai Ducis & Mart.	325.
In feſto S. Michaëlis Archangeli.	175.
In feſto S. Franciſci Borgiæ Soc. Ieſu.	374.
In feſto S. Urſulæ Virginis & Mart.	401.
In feſto SS. Simonis & Judæ Apoſt.	277.
In feſto Omnium Sanctorum.	410.
In feſto S. Martini Epiſcopi.	344.
In feſto Præſentationis B. V. Mariæ.	116.
In feſto S. Clementis Papæ Mart.	335.
In feſto S. Catharinæ Virg. Mart.	395.
In feſto S. Andreæ Apoſtoli.	219.
In feſto S. Franciſci Xaverij Ind. Ap.	364.
In feſto Immac. Conceptionis B. V. M.	100.
In feſto S. Thomæ Apoſtoli.	246.
In feſto Nativitatis Chriſti.	10.
In feſto S. Stephani Protomartyris.	302.
In feſto S. Joannis Evangeliſtæ.	238.
In feſto SS. Innocentium Martyrum.	294.

FACUL.

Digitized by Google

CLASSIS I.

FESTA SSS. TRINITATIS, & INCARNATI DEI.

In Feſto SSS. & Individuæ Trinitatis.

CONCIO I.

Pater æternus Trinitatem manifeſtans. S. Auguſt.

ARGUMENTUM. *Quantopere infinita miſericordia DEI Patris, nobis SSS. Trinitatem manifeſtantis, eluxerit; I. in creatione Hominis. II. in ejuſdem conſervatione, poſt lapſum in peccatum. III. in ipſis pœnis, quas ob peccata infligere coacta eſt, Carnalibus per diluvium, Sodomitis per ignem; præſens exponet Dictio.*

Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti.

Matth. c. 28.

DUm hodiernâ luce, verba facere conſtitui, de immenſo, immortali, inviſibili, admirando rerum omnium Conditore; DEO ter Optimo Maximo; etſi ſapientiſſimus Regum me terreat, ſuo illo effato, Proverb. 25. *Scrutator Majeſtatis opprimetur à gloria.* Etſi me quoque melliſluus Mediolanenſium Antiſtes dehortetur, lib. 1. fidei c. 5. dicens: *Scrutari non licet ſuperna Myſteria, quia impoſſibile eſt generationis divinæ ſcire ſecretum.* Nihilominus tamen, me nequaquam cohibere valeo, quin cum Magno Augu- Num. 1. *Prov. 25.* *S. Ambroſ. lib. fid.*

ſtino, inquiram in Creatorem meum benigniſſimum, qui me de nihilo creavit, creatum vitâ impertivit, eáque frui gratioſiſſimè indulſit.

Verùm ubi te inveniam, & in quo te agnoſcam, ô increate univerſorum Conditor, ac rerum omnium Moderator magne DEUS? Nam ùt primùm Terra hæc benefica, quæ verè mater eſt omnium plantarum, animantium, ipſorúmque adeò hominum, ſeſe mihi objecit, ac admirabili ſua rerum varietate, oculos meos attraxit: *Interro-*
S. Auguſt. in ſoliloq. *gavi Terram*, cum Divo Auguſtino, ſoliloq. c. 31. *ſi eſſet DEUS meus:* maximè cùm ipſe Ariſtoteles, eam minimè comprehendere valens, ab æterno extitiſſe ineptè aſſeruerit. *Sed Terra dixit quòd non; & omnia*
Nu. 2. *quæ in ea ſunt, hoc mihi confeſſa ſunt*: Unde converti me, eodem Auguſtino Duce ad mare, & quia vidi illud in maxima copia, diverſiſſimos varij generis piſces, aliáque monſtroſa producere animantia: *Interrogavi mare, & abyſſos, & reptilia, quæ in eis ſunt, videlicet ſi eſſent DEUS meus: & reſponderunt, non ſumus DEUS tuus, quære ſupra nos eum.* Mente igitur quantocyùs libravi me, in propatulas aëris regiones, & cùm ibidem innumeram propè pennatorum multitudinem, ac varietatem conſpexiſſem, *interrogavi ſtabilem aërem, ſi eſſet DEUS*
S. Auguſt in ſoliloq. c. 31. *meus? & inquit univerſus aër, cum omnibus incolis ſuis: fallitur Anaximenes, non ſum ego tuus DEUS, quære ſupra nos eum.* Hæc audiens ipſas mox errantium Aſtrorum ſphæras penetravi, & cùm ſeſe mihi offerrent, ſeptem illa, diverſo lùmine coruſcantia Planetarum corpora, rurſum *interrogavi cælum, ſolem, lunam, & ſtellas*, maximè cùm multi gentiles Philoſophi hæc pro Dijs ſuis agnoverint; *ſi eſſent DEUS meus? at neque nos ſumus, inquiunt.* Denique *Interrogavi totam mundi molem: Dic mihi, ſi tu es DEUS meus an non? & reſpondit voce forti, non ſum ego; quem quæris in me, ipſe fecit me, ſupra me quære eum, qui regit me, qui fecit me.*

Nu. 3. Quæ cùm ità ſint, & univerſa mundi moles cum omnibus ſuis
Pſal. 99. operibus illud etiamnum clamet Davidicum: *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos*; imò *in ipſo vivimus, movemur, & ſumus.* Dicite mihi ſaltèm vel vos duo dilecti diſcipuli Domini, quorum unus in tertium uſque cœ-
2. Corint. 12. lum raptus, *audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Alter verò in ſpiritu ad cœlum translatus; *vidit Primum & Noviſſimum, viven-*

tem

tem in ſæcula ſæculorum. Dicite inquam mihi, quis eſt DEUS noſter, per quem creata ſunt omnia, ut eum laudem & benedicam pro collatis in me beneficijs? Reſpondet primùm D. Paulus, 1. ad Timoth. 6. *DEUS eſt; beatus, & ſolus potens, Rex regum, & Dominus dominantium, qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inacceſſibilem.* Reſpondet & D. Joannes: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo; Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt.* 1. *Tim.* 6. 1. *Ioan.* 5.

Nu. 4. At ſi DEUS ſolus beatus, & immortalis, lucem habitat inacceſſibilem, quis corde accedere, quis hebeti mentis oculo Lumen illud intueri præſumet? præterea *ſi Unus & Trinus, quis noſtrûm intelligere poteſt;* dicere poſſum cum D. Thoma, *quo pacto ſit DEUS trinus & unus; ſi trinus, quomodo unus; ſi unus, quomodo trinus?* Nihilominus cùm D. Chryſoſtomo teſte, hom. 1. de natura DEI: *Contendere ſcire, quid ſubſtantia DEUS ſit, extremæ ſit inſaniæ,* imò Divinitatis myſterium nullus creatus intellectus comprehendere valeat; non committam me hodie huic inſcrutabili & immenſo mari, in quo quàm plurimi cum Ario periclitati ſunt; ſed oſtendam ſolummodo, Angelos imitandos eſſe, qui in cælo non ſcrutantur, non diſcutiunt ſubſtantiam DEI, ſed cum omni humilitate eam adorant. *Nam ipſi Angeli*, ait D. Chryſoſt. ibidem, *non de Divina Subſtantia diſputant inter ſeſe, ſed glorificant, adorant, & modulos triumphales aſſiduè referunt ſummo cum honore.* Cùm autem ex tribus hiſce Perſonis Sanctiſſimis, *Pater æternus Trinitatem nobis manifeſtaverit,* ùt ait D. Auguſt. lib. de Spiritu & Anima; agam in præſenti de ejus duntaxat beneficijs, quæ univerſo humano generi præſtitit; ut ad exemplum SS. Angelorum eum cum Filio & Spiritu S. laudemus, adoremus, glorificemus. *D. Thomas in Catena.* *D. Chryſoſt.* *D. Chryſoſt.* *D. Auguſt.*

Nu. 5. D. Baſilius ubi paulò accuratiùs ſecum pervolviſſet, ſolùm illa beneficia, quæ Pater æternus, mox ab orbe condito, hominibus exhibuit, & etiamnum in ſingula penè momenta exhibere non ceſſat, meritò in hæc verba erupit. *Quæ ratio dona DEI Patris, pro merito explicare poteſt, quorum tanta multitudo eſt, atque ea ipſa talia, ut etiam unum ſufficiat nos obnoxios facere, in omnem gratiam largitori.* Et certè avet quis ſcire quiſnam nos, & hæc omnia, quæ ſenſibus percipimus, creaverit? huic abſque mora reſpondebit Proph. Malachias cap. 2. *Nunquid non Pater omnium noſtrûm? nunquid non DEUS unus creavit* *D. Baſilius.* *Malach.* 2.

Digitized by Google

nos? Et quidem ille, qui quemadmodum omnia creavit; ità & in
Ad Epheſ. 4. omnibus creatis mirabiliter exiſtit juxta aſſertum D. Pauli ad Epheſ. 4. *Unus DEUS & Pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, in omnibus nobis.* Hic igitur quàm exæſtuanti ſemper flagraverit amore erga homines, abundè colligere poſſumus vel ex prima creatione hominis, ubi tanquam prima Perſona in Trinitate SS. reliquas duas, Filium, & Spiritum Sanctum, ſpeciali quodam affectu ad concreandum
Geneſ. 1. his verbis invitavit: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem*
D. Chryſoſt. *noſtram.* nam in his verbis teſte D. Chryſoſt. *Loquitur Pater, ad coopificem Filium, & ad Spiritum Sanctum,* & nequaquam, ùt ſtolidi fabulantur Judæi, ad Angelos; quaſi verò eos adhibuiſſet, in cooperationem creationis humanæ. Pulchrè idipſum elucidat D. Ambroſius
D. Ambroſ. lib. 6. hexam. c. 16. *Non dixit DEUS Angelis, faciamus hominem, quia miniſtri ſunt, ſervi autem cum DEO, & opera cum Authore non poſſunt*
Nu. 6. *operationis habere conſortium.* Præterea dum hominem creavit, non creavit eum ad imaginem Angelorum, aut aliarum creaturarum, ſed *ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*: ità ut ipſi non ſolùm *Regium decus,*
D. Gregorius Nyſſen. ùt loquitur D. Gregorius Nyſſenus lib. de Opif: *in creatione hac tribuerit*: ſed inſuper ad ſimilitudinem SSS. Trinitatis eximia prorſus ornamenta contulerit. Nam ùt diſertè fatetur D. Ambroſius, lib. de
D. Ambroſ. dignitate Animæ: *Anima noſtra quandam SSS. Trinitatis habet imaginem; primò in eo, quia ſicut DEUS eſt, vivit, & ſapit; ità Anima ſecundùm ſuum modum eſt, vivit, & ſapit. Deinde ſicut DEUS Pater, DEUS Filius, DEUS Spiritus S. eſt, & tamen non tres Dij, ſed unus DEUS, tres habens perſonas, ità & Anima eſt intellectus, Anima voluntas, Anima memoria, non tamen tres Animæ in uno corpore, ſed una Anima tres habens dignitates.* Sic igitur homo per omnipotentiam DEI Patris ſimilis evaſit Sanctiſſimæ Trinitati, & quidem *per memoriam Patri, per*
D. Bernard. *intellectum Filio, per voluntatem Spiritui S.* ùt pluribus hac de re agit
Nu. 7. D. Bernard. lib. Med. c. 1. Poſtquam optimus DEUS ſic homi-
1. Reg. 2. nem creâſſet, & quaſi in pedes erexiſſet, *qui egenus jacebat in pulvere*; extemplò beneficium hoc innumeris alijs accumulavit, ut amorem ſuum immenſum erga illum teſtatum faceret. Et primò quidem teſte
D. Baſilius. D. Baſilio, lib. regul: *Conſtituit eum univerſorum in terra Principem,* dum imperium ei ſuper omnes Animantes in terra his verbis contulit

Gen. 1.

Gen. 1. *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram.* quaſi diceret: *Dominamini cum poteſtate, & authoritate*, ait D. Athanaſius Synaita; *Dicite Leoni veni, & veniet, & Aquilæ ingredere, & ingredietur, & Piſci appropinqua, & obediet, & Draconi pereas, & ſtatim peribit.* Harum aliarúmque Animantium promptam obedientiam etiamnum aliquo modo experimur, dum fortiſſimæ quoque belluæ adeò cicurantur & manſveſcunt, ut à puerulo imbelli tractentur & exerceantur. Nam ùt bene D. Ambroſ. lib. 6. hexam. c. 6. *Videbatur nihil elephantis, natura habere robuſtius; nihil tam terribile & procerum, nihil tam ferum, quàm leones vel tigrides ſunt, & tamen hæc docentur ùt parvuli, ſerviunt ùt infirmi, verberantur ùt timidi, corriguntur ùt ſubditi, in mores tranſeunt noſtros.* Præterea quod mireris, vix eum terræ Principem ſuper omnia creata conſtituit, in gratiam quoque ipſius delicioſiſſimum creavit paradiſum, ut ibi omni oblectationum genere voluptuosè omnino perfrueretur; *Tulit enim Dominus DEUS hominem*, ait Scriptura Gen. 2. *& poſuit eum in paradiſum voluptatis, ut operaretur, & cuſtodiret illum*: & quidem ut *operaretur illum* non moleſtâ aliqua operatione, ſed penitus voluptuoſâ, ùt quæ non vires fatigaret, ſed recrearet. *Poſitus eſt homo in paradiſum*, confirmat dicta mea D. Auguſt. lib. 8. in Geneſ. *ut operaretur ipſum, non per agriculturam laborioſam, ſed per voluptuoſam, & delicioſam.*

Geneſ. 1. D. Athan. Syna. D. Ambroſ. Nu. 8. Geneſ. 2. D. Auguſt.

Nec hìc beneficia Patris æterni finem aliquem aut modum invenire potuerunt, ſed quemadmodum in creatione oſtendit erga hominem *viſcera miſericordiæ*, ità eadem planè oſtendit in conſervatione ejuſdem, tum videlicet, quando totum genus humanum, in Adamo tam graviter deliquerat. Certè ſicut *Angelis peccantibus non pepercit*, 2. Petri 2. *ſed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos.* ità ſimiliter in eaſdem pœnas potuiſſet præcipitare hominem ob commiſſum peccatum; verùm propter nimiam ſuam bonitatem, pœnas has æternas non ſolùm diſtulit, ſed etiam penitus abſtulit & abrogavit. *Legislator enim ab homine contemptus*, ait D. Chryſoſt. hom. 3. de Adam, *non fulmine illum ultus eſt, non induxit, quam minatus eſt mortis ſententiam, ſed cùm in media fuga eſſet, DEUS adſtans clamabat, Adam ubi es? quaſi compatiendo ei ex corde diceret: Ubi es Adam, imago mea*

Nu. 9. 2. Petri 2. D. Chryſoſt.

Digitized by Google

mea primùm formata? ubi paradiſi pretioſiſſimus theſaurus? ubi manuum mearum artificium? ubi nunc familiaris meus amicus? *Hinc comparere non audentem,* pergit idem ſanctiſſimus Præſul, *animat; mortuum ad verba hortatur, nomine vocat occultatum, ut vocationis manſuetudine animetur, & timore mortuus cogitationes refocillabundas aſſumat*; concludit demum non ſinè ingenti admiratione: *En tantum apud Pa-*
Nu. 10. *trem hunc eſt miſericordiæ pelagus!* Præterea, quamvìs hominem ejecerit paradiſo, quamvìs laboribus ac miſerijs ſubjecerit, non tamen omnem ei abſtulit dominatum in terram & animantia, ſed
D. Chryſoſt. ſolùm aliquem, qui ei non multùm profuit, ùt idem obſervavit Chryſoſt. hom. 9. in Gen: *Conſidera miſericordiam DEI ineffabilem, quomodo Adam totum mandatum ſubverterit, miſericors autem DEUS bonitate ſuâ, noſtra vincens delicta, non omnem honorem abſtulerit, neque toto dejecerit principatu, ſed ea duntaxat animalia, à noſtra poteſtate alienavit, quæ non multùm ad hujus vitæ utilitatem nobis conducunt.*

Cùm autem nuſquam magìs miſericordia eluceat, quàm vel in ipſis pœnis, ſi nimirum Arbiter invitus puniat, aut pœnas, quàm diu poteſt, differat; clarè adverto etiam in puniendo Patrem æternum, verè fuiſſe *Patrem miſericordiarum*, ùt qui coactus quodammodo ad verbera, ad pœnas deſcendit. Teſtantur enimvero id duæ graviſſimæ Vet. Teſtam. pœnæ, univerſale videlicet aquarum diluvium, & Sodomiticum per ignes excidium; ubi tamen vel ipſa miſericordiæ ſuæ vi-
Nu. 11. ſcera, in puniendo refractarios manifeſtè oſtendit. Quis non mire-
Geneſ. 6. tur, cùm vidiſſet DEUS *terram eſſe corruptam*, Gen. 6. & *repletam iniquitate*, atque ob hoc omnes homines diſperdere vellet cum terra, tantùm abeſt, ut mox ad pœnam deſcenderit, quin etiam in annos
D. Chryſoſt. planè plurimos diſtulerit; *Ecce enim*, ait Chryſoſt. hom. 21. in Geneſ. *quingentis annis vixerat Noë, clamans & teſtificans futurum per univerſum orbem diluvium, & neque ſic à malitijs ſuis abſtinere voluerunt.* Interea poſt quingentorum annorum moram etſi eum ad puniendum quamprimùm, hoſce peccatores obſtinatos extimularet juſtitia; nihilominus tamen ſuæ bonitatis non oblitus, alios adhuc centum adjecit annos, quibus eis ſpatium pœnitendi indulſit, ut videlicet ipſi videntes arcam à Noë extrui, timore quopiam correpti, reſipiſcerent; & à flagitijs tandem ceſſarent. Quia autem & poſt centum hos elapſos

pſos annos etiamnum *cuncta cogitatio cordis intenta fuit, ad malum omni tempore.* Gen. 6. exiſtimaret fors quiſpiam, quòd tunc evoluto hoc tempore, ruptis cataractis cœli, DEUS tandem aquas effuderit, & omnes omnino peccatores de terra abſtulerit? verùm aliter accidit, poſt tantam longanimitatis moram ſeptem inſuper alios apposuit dies: *Adhuc enim ait DEUS Noë, & poſt dies ſeptem, ego pluam ſuper terram. Attende obſecro*; mirabundus rurſum exclamat D. Chryſoſt. hom. 24. in Gen. *bonitatis Divinæ excellentiam, quomodo poſt tantam longanimitatem etiamnum ſeptem adjiciat dies?* nempe ſpatium pœnitendi peccatoribus. Quod quia omnino neglexerunt: tum demum DEUS ad infligendum pœnas proceſſit: *Facta eſt* (inquit Scriptura) *pluvia ſuper terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* At quid erat opus, tot diebus ad ſubmergendam terram? *nónne potuiſſet uno die totam pluviam inducere?* poſſum quærere cum D. Auguſt. & Chryſoſt: *Quid dico uno die, uno momento potuiſſet?* cur ergo quadraginta integros dies ac noctes inſumere voluit? Ideo ſic diſpoſuit, ut vel in ipſa pœna eis daret ſpatium pœnitendi, & omnibus manifeſtaret ſuam in puniendo miſericordiam. Meritò igitur illud D. Chryſoſtomi repetere poſſum: *En tantum apud Patrem hunc eſt miſericordiæ pelagus!*

Geneſ. 6. Ibidem. D. Chryſoſt. Nu. 12. Geneſ. 7. D. Auguſt.

Nec aliter ſe geſſit idem amabilis Pater in puniendo Sodomitas, & Gomorrhæos; certè poſtquam vel ipſe *clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſſet, & peccatum eorum aggravatum nimis.* Gen: 18. Non ſtatim ùt par erat, ad pœnas progreſſus eſt, ſed quaſi clamori huic, qui in cœlum aſcendit, non crederet; ait: *Deſcendam & videbo, utrùm clamorem qui venit ad me, opere compleverint; ſin non eſt ità, ut ſciam.* Dixit; ac cum Filio & Spiritu S. de cœlo deſcendit; cum iiſque in ſpecie trium virorum, Abrahamo in convalle Mambre ſedenti apparuit. Verùm quod admiratione & conſideratione dignum eſt; vix Abrahamo *apparuerunt tres viri ſtantes prope eum*; ecce duo ex eis abierunt Sodomam versùs, igne caſtigaturi impios, unus autem ex eis remanſit cum Abrahamo; nam *converterunt ſe inde, & abiêrunt Sodomam*, inquit Scriptura, *Abraham verò adhuc ſtabat coram Domino.*

Geneſ. 18. Nu. 13. Geneſ. 18.

At cur non omnes tres Perſonæ Divinæ, abiêrunt Sodomam, meritò inquirere poſſum? cur remanſit una ſtans apud Patriarcham? profectò non ſinè grandi id factum eſt myſterio. Unde ſi ſequentes conſidero Nu. 14.

ver-

verſus, video illam ipſam Perſonam Divinam, hac de cauſa apud Abrahamum perſtitiſſe, ut ipſe haberet occaſionem intercedendi pro Sodomitis, nè juſtos perderet cum impijs; illa verò haberet cauſam exercendi ſuam infinitam miſericordiam. Poſtea de induſtria remanſit cum Patriarcha, nè cogeretur quodammodo intereſſe ijs pœnis, quas duæ reliquæ Perſonæ inflicturæ erant. Et hanc Divinam Perſonam

D. Cyrillus. DEUM Patrem fuiſſe colligo, cum D. Cyrillo ex cap. 19. Gen. ubi hæc habentur: *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ignem à*

Geneſ. 19. *Domino de cœlo. hoc eſt, pluit Dominus à Domino*, ait Cyrillus. Nimirum *Filius à Patre genitus*; non verò ipſe Pater æternus, qui remanſiſſe videtur apud Abrahamum.

Nu. 15. Si demum necdum ſatis *viſcera miſericordiæ* DEI Patris in his exemplis declaravi: provoco igitur ad te ô diviniſſime Joannes Euange-

Origenes. liſta, *qui intimæ veritatis inſpector ultra omne cœlum, in paradiſo paradiſorum, hoc eſt: in cauſa omnium audiviſti, & vidiſti, unum VERBUM, quod erat apud DEUM, & per quod facta ſunt omnia.* Dic proinde nobis, quomodo conſtitutum eſt cor amabile Patris æterni? quídve boni univerſo præſtitit humano generi, ut confiteamur, & laudemus miſericordiam ejus! Audite, quid reſpondet cap. ſuo 3. *Sic DEUS*, id eſt

Ioan. 3. Pater æternus, *dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* q. d. tantò planè eóque exceſſivo Amoris affectu ferebatur, cor amabile DEI Patris in mundum, ut ei id, quod unicum ac chariſſimum in cœlo haberet, Filium ſcilicet ſuum unigenitum, eidem daret cum Spiritu Sancto. *Parum erat Patri tradidiſſe Filium, ut redimeret ſervum*, ait

D. Auguſt. D. Auguſtinus in Joann: *niſi daret Spiritum Sanctum, ut ſervum adoptaret in Filium; dedit Filium in pretium redemptionis; dedit Spiritum Sanctum in privilegium adoptionis; ſe denique totum ſervat in hæreditatem adoptatis, ô DEUM (ſi fas eſt dicere) prodigum ſui præ deſiderio ho-*

Nu. 16. *minis.* Præterea dum nobis ſuum dedit unigenitum, dedit illum in eum finem, ut nos vivificaret, ac vitam reciperemus ſuperabundantem, qui ſpirituali ſubjacuimus morti; nam *DEUS qui dives eſt in mi-*

ad Epheſ. 2. *ſericordia*, ait D. Paulus ad Epheſ. 2. *propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, cùm nos eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in*

D. Hieron. *CHRISTO*; in quem locum bene D. Hieronymus: *DEUS Pater per charitatem ſuam non ſimplicem ſed multam, cùm eſſemus mortui propter deli-*

Digitized by Google

delicta noſtra, vivificavit nos; & non ſolùm vivificavit, parùm quippe hoc erat bonitati ejus, ſed vivificavit cum Chriſto JESU, unam atque eandem vitam tribuens, habere cum Chriſto.

Denique etiam in extremo Judicij die (ùt ingenioſè obſervavit
Doct. Origenes) apparebunt vel maximè Patris æterni *viſcera miſeri-* *Origenes.*
cordiæ. Siquidem ipſe nequaquam maledicet reprobis, etſi benedi-
cturus ſit prædeſtinatis. Colligitur id ex verbis Chriſti Domini, qui
ubi tanquam Judex vivorum & mortuorum producet in reprobos ſen-
tentiam non dicet: *Diſcedite maledicti à Patre meo*; quemadmodum
dicet ad ſalvandos: *Venite benedicti Patris mei.* Sed ſolùm dicet: *diſ-* *Matth. 25.*
cedite maledicti, indicans DEUM Patrem, nulli maledicturum, ſed
quemlibet ex reprobis ipſum ſibi fore Authorem maledictionis. Ità
ſanè me docet, Orig. hom. 9. in diverſis: *Conſiderandum eſt, quod* Nu. 17.
Sanctis non ſolùm dictum eſt Benedicti, ſed cum additamento Patris mei; è contra autem, non dicitur maledicti Patris: quia Pater benedictionis miniſtrator eſt, maledictionis autem unuſque ſibi eſt author.

Quæ cum ità ſint, & verè DEUS Pater infinita nobis ex viſceri-
bus miſericordiæ ſuæ contulerit beneficia, diligamus DEUM Patrem,
ac Dominum noſtrum (quod & Chriſtus omnibus præcipit, Matth. *Matth. 29.*
25.) *ex totò corde noſtro, ex tota anima noſtra, ex tota mente noſtra.*
Benedicamus ei, qui & nobis benedicturus eſt; illúdque identidem
repetamus cum D. Paulo: *Benedictus DEUS, & Pater Domini noſtri* *2. Cor. 1.*
JESU CHRISTI, Pater miſericordiarum & DEUS totius conſolationis.
Repetamus & illud Divi Auguſtini lib. 15. de Trinit: *Meminerim tui* *D. Auguſt.*
Domine, intelligam te, diligam te, auge in me iſta, donec me reformes ad integrum: id eſt, uſque dum à Filio tuo audiam: *Venite* *Matth. 3.*
benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum. Amen.

Digitized by Google

In Feſto Nativitatis Dom: N: JESU CHRISTI.

CONCIO II.

Omnipotens in Cunabulis. D. Cyprianus.

ARGUMENTUM. *Oſtenditur præſepe & pannos, verè fuiſſe ſignum agnoſcendæ Divinitatis in Chriſto; ſiquidem JESUS ligatus faſciis & pannis, Samſone fortior; jacens verò in præſepio ipſo Salomone glorioſior cunctis apparuit, adeò ut per hæc utilia ſigna, ejus ſola Divinitas cognita ſit orbem transformâſſe terrarum.*

Et hoc vobis ſignum, invenietis Infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio. *Lucæ* 2.

Nu. 18. ILluxit tandem poſt tot annorum, longo prorſus ordine, evolutas ſeries, poſt tot molimina rerum, gratioſa illa dies, quam videre deſideraverat Abraham, quam crebris ac iteratis votis flagrantiſſimè expetierant, cæteri in limbo Patres, qui continuis planè ſuſpicijs, familiari ſuo *Rorate cæli deſuper*: Cœlum ac Superos fatigabant, ac nubes ipſas ad pluendum Juſtum perurgebant. Jlluxit, inquam, Dies illa, in qua, Salviano teſte, *exultat polus, tellus reſultat, gloriantur Angeli, paſtores adgaudent, Virgo parit, naſcitur DEUS.* Et licèt JESUS Chriſtus, verus DEUS & Homo de nocte fuerit natus, imò tum, *cùm in ſuo curſu nox medium iter pergeret.* Sap. 18. Attamen nox illa ob illuceſcentes undique ſplendores, non nox atra, ſed dies clara cenſeri poterat, quæ pulſis quaquaverſum tenebris, lucem magnam poſſidebat. Nam vel ipſo perhibente D. Ambroſio: *Nox ipſa nox non erat, nec aliquid obſcuritatis in ſe habebat.* Rationem addit, *quia exultant Angeli, aſtra deſerviunt & claritas omnia illuminat*: nec abs re. *Si enim ſol ad Joſue orationem defixus ſtetit in die*, ait idem Ambroſius: *cur non ad*

Salvianus. *Sapien.* 18. *D. Ambroſ. ſerm.* 16.

ad Chriſti Nativitatem feſtinus promoveret gradum? Dies igitur clara, & nequaquam nox obſcura fuerit, neceſſe eſt, tum, cùm natus eſt Salvator noſter; ſiquidem vel ipſa claritas DEI omnem noctis abegit obſcuritatem: ſatis id innuit Euangeliſta, dum de claritate DEI, Angelo apparente Paſtoribus hæc ait cap. 2. *Ecce Angelus Domini ſtetit juxta illos, & claritas DEI circumfulſit eos.* Lucæ 2.

Hic idem Angelus, poſtquam *facta eſt, cum eo multitudo militiæ cæleſtis, laudantium DEUM, & dicentium Gloria in excelſis DEO*: Superabundantem celare non valens lætitiam, eandem mox Paſtoribus vigilantibus in regione illa, his verbis manifeſtavit: *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Salvator: &* quidem *in Civitate David.* Verùm ô nimiùm dilecte Angele, edicito nobis, ſi natus eſt Salvator in Bethleemitica Civitate David; ubinam invenietur? & quod potiſſimùm eſt, quibuſnam ex ſignis à ſimplicibus hiſce paſtoribus dignoſcetur? certè multus ibidem populus eſt; variíque generis reperiuntur homines, inſuper advenæ non pauci, qui juxta Cæſaris decretum deſcribantur: quomodo igitur agnoſcere poterunt Salvatorem? Idcirco nè errabundi circumirent civitatem Bethlehem, appoſuit eis quoque Angelus ſignum, per quod facili negotio Neo-natum agnoſcere Dominum poſſent: *Et hoc vobis ſignum, inquit: invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio.* Nu. 19. Lucæ 2. Lucæ 2.

At amabò! quale hoc ſignum eſt magni in terris nati DEI? *pannis involvi, jacere in præſepio? An non ex illo ſigno potiùs videri potuiſſet contrarium;* dicere poſſum cum Purpurato Præſule Toleto, *cùm panni illi & præſepe non potentiam Chriſti, & Divinitatem, ſed tantùm infirmitatem humanæ naturæ declarent?* Nihilominus optimum planè ſignum, per quod DEUS natus agnoſceretur, erat præſepium ac panni. Siquidem Theodoro, & Beda teſte: *Signum Salvatoris nati datur, non tyrio exceptum oſtro, ſed pannis ſqualentibus involutum; non in ornatis auro ſtratoriis, ſed in præſepibus inveniendum, ut ſic Divinitas ſola cognoſceretur, orbem transformâſſe terrarum.* Unde & D. Joannes pannos, ac præſepe, nati DEI contemplans, ea nonniſi *gloriam* appellare voluit. Nam ubi dixiſſet, *VERBUM caro factum eſt*; mox ſubjunxit, *vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Toletus. Ven. Beda. Theodor. Ioan. 1.

Ipſi verò paſtores, teſtante D.Cypriano ſerm. de Nat. eodem in Parvulo pannis involuto agnoverunt, & adorârunt Divinitatem: *Paſtores enim, quem parvulum vident, ait; confitentur immenſum, & pia ei devotionis affectum præſentant.* (D. Cyprian.)

Quare cùm neo-natus Salvator noſter, pro ſigno habere voluerit *pannos & præſepe*, oſtendam in his vilibus & abjectis, ejus ſummam extitiſſe gloriam, *ut Divinitas ſola cognoſceretur orbem transformâſſe terrarum.* Theodor. orat. de Nativ. (Theodor.)

Nu. 20. Quotieſcunque DEUS Patriarchis, Prophetis, aliiſque probis veteri in Teſtamento comparere dignatus eſt, communiter talem aſſumpſit figuram, quâ Dominum Majeſtatis, ac Regem gloriæ ſe re declararet, ipsíſque debitum timorem ac horrorem incuteret. Hinc cùm primâ vice loqui decreviſſet Moyſi, comparuit in *rubro igneo* undique ardente, nec conflagrante, Exod. 3. Cùm populo ſuo, per manum Moyſis deferri curâſſet Præcepta Decalogi, rurſum comparuit in igne ſuper fumantem montem Sinai; inter horrendos tonitruorum, ac buccinæ quaquaverſum perſtrepentis clangores, Exod. 19. Demum & Jobo ſibi amiciſſimo, non aliter quàm in turbine comparere voluit, *ut Majeſtatem ſuam ac Potentiam omnibus exhiberet*, ait Hieronymus. (D. Hieron.) Verùm quando noviſſimè mundo loqui ſtatuit per Filium: *Advenit DEUS*, ait D. Baſilius hom. de gener. Chriſti, *non per ignem, tubam, & montem fumantem, non per turbinem, nubem & tempeſtatem, animas audientium perterrens, ſed proprio corpore, cum hominibus cognatis piè converſans ac differens.* (D. Baſilius.) Exiſtimavit enim non melius poſſe cum hominibus deliciari, quàm ſi naſcendo ùt Parvulus, cum iiſdem ageret ùt Parvulus, vagiret ùt Parvulus; *nam potuit loqui de cœlo, ut omnes audirent*, ait Theodor. orat. 6. *ſed maluit flere in præſepio*, ut in ipſis lachrymis Amor Divinus, quaſi in perſpicaci quadam incluſus cryſtallo, ab omnibus & videretur, & agnoſceretur. (Theodor.) Potuit inſuper has in terras deſcendens in glorioſo, & adulto, aſſumpto corpore comparere, ſed maluit Parvulus ligari faſcijs: ut tantò glorioſior ejus, in membris teneris occultata Fortitudo, evaderet, ac admirationem pareret univerſis.

Nu. 21. Hanc ipſam dum menti meæ objicio: unáque mihi in memoriam revoco, inauditam illam fortiſſimi Samſonis fortitudinem, quâ Phyliſtæis, ac orbi penè toti, erat formidabilis: clarè animadverto, nunquam

cun-

eundem fuiſſe glorioſiorem, quàm ligatum: nunquam formidabiliorem, quàm cùm manibus & pedibus, duobus novis vinctus fuiſſet funibus. Certè mirabilis fuit Samſon tum; quando occurrentem ſibi concitato curſu Leonem, animosè aggreſſus, imperterritè, velut hædum in fruſtá diſcerpſit. Imò terribilis apparuit & tum, quando dormientibus Phyliſtæis, ambas civitatis Gazæ abſtulit portas: attamen auſim dicere, nunquam viſus & mirabilior & terribilior fuit, quàm cùm manibus & pedibus vinculatus traditus fuit in manus Phyliſtinorum; tum enim Spiritu Divinæ fortitudinis roboratus, ruptis velut ad ignem funibus: *Inventam mandibulam aſini, quæ jacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros.* Judic. 15. *Iudic. 15.*

Verùm ſi & Servatoris noſtri, in parvulis membris perpendam infantiam, non vereor dicere & eundem ligatum faſcijs mirabiliorem extitiſſe Principi tenebrarum; aliiſque hoſtibus, quàm ſi glorioſo aſſumpto corpore Divinitatis ſuæ exhibuiſſet potentiam: hinc de induſtria, *Venit humilis & ligatus faſciis, ut ſuperbus hoſtis eum admiraretur*, ait Gregorius lib. 2. moral. c. 17. *Quatenus qui fortia divinitatis ejus deſpexerat, etiam humanitatis ejus infirma pertimeſceret*, Nec abs re. *Si enim veniſſet*, ait D. Cæſarius dial. 3, *uſurus poteſtate naturali, nil admiratione dignum facere viſus fuiſſet; ſi adversùs Angelum deſertorem decertâſſet DEUS.* Interea verò dum venit tanquam infantulus, involutus faſcijs; ligatus manibus ac pedibus quaſi ad pugnandum imbellis, & tamen potentiſſimos hoſtes, ad belligerandum ſtrenuiſſimos ſic ligatus vicit, debellavit, ſubegit, æternam ſanè hanc ei infamiæ inuſſit notam, quòd videlicet ab *Infante pannis involuto, & poſito in præſepio fuerint victi, & exarmati.* Sic etiam Divinus hic Parvulus, ligatus faſcijs adeò extitit mirabilis, ut vel ipſe potentiſſimus Judæorum Rex Herodes infantiam hanc extimuerit: *Ecce jacentem in præſepio, pertimeſcit armatus*, ait non ſinè admiratione D. Hilarius hom. 1. in Epiph. *contremiſcit humilem Rex ſuperbus, & abjectam infantiam ac vagientem expaveſcit ætatem.* Bene proinde factum, quod D. Joannes Infantis hujus Diviniſſimi *pannos ac præſepe* conſiderans; de ijſdem mirabundus dixerit: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti &c.*

D. Gregor. *D. Cæſarius.* Nu. 22. *D. Hilarius.* *Ioan. 1.*

Valde imprudenter olim fecit Roboam ſapientiſſimi Patris, inſipiens Filius, quòd regnum Judaicum tam amplum, *Populum infinitum*

3. Reg. 3. *qui numerari, & ſupputari non poterat præ multitudine.* 3. Reg. 3. à neſcio quibus diſcolis inductus juvenibus, eundem nonniſi faſtu & ſeveritate regére decreverit. Hinc etſi unanimiter Seniores populi eidem
Fl. Ioſephus. diſſvaderent teſte Flavio Joſepho lib. 8. c. 3. *Ut nonnihil de ſuo faſtigio ſe demitteret, cùm natura ità comparatum ſit, ut ſubjecti delectentur Re-*
Nu. 23. *gibus manſuetis*: tantùm abeſt, ut eorum conſilia ſecutus ſvavem ſe eis exhibuerit, quin etiam minacibus prorſus verbis, imò & verberibus ad omne obſequium eos compellere ſtatuerit; at quid effecit? *ſi mun-*
D. Chryſol. *dus ipſe perire maluit, quàm timere*, ùt ait D. Chryſol. non caſu aut fortuitò accidit, quòd decem Tribus integræ; timorem ſervilem non ferentes, velut dato claſſico ab eo receſſerint, quaſi uno dicentes ore:
3. Reg. 12. *Quæ nobis pars in David, vel quæ hæreditas in Filio Iſai.* Hunc igitur errorem ut corrigeret Salvator noſter, mox in ipſa Nativitate manſvetudinem potiùs, quàm Majeſtatis rigorem, præ ſe ferre voluit, dum ùt communis omnibus, in ſtabulo naſci, faſcijs ùt parvulus ligari, ùt pauperculus ac humanæ opis indigus, in vili præſepio jacere prælegit: ut ſic faciliùs corda raperet mortalium, totíque dominaretur orbi. Con-
Theodorus. firmat enimverò dicta mea Theodorus orat. de Nat: *Propterea pauperculam DEUS elegit Matrem, pauperiorem patriam, omnia paupera & vilia & plurimùm obſcura, ut Divinitas ſola cognoſceretur Orbem transformáſſe terrarum.*

Nu. 24. Quia verò duas potiſſimùm naſcendo aſſumpſit virtutes, quibus carebat cœlum, & ſuperabat terra, paupertatem videlicet & humilitatem; quarum ſvaſu faſcijs ligari, ac pecuino voluit reclinari in ſtabulo, evenit ut omnibus, ſummis æquè ac infimis facilè innotuerit.
Theodor. *Vide quomodo paupertas*, adſtipulatur rurſum mihi Theodor. ibidem, *eum, qui pro nobis homo factus, acceſſibilem univerſis oſtendit: nullum enim accedere, ad eum Imperij celſitudo prohibuit, ſed omnibus apparuit*
D. Chryſol. *offerens omnibus ſalutem.* Quare & D. Chryſologus perpendens mirabilem illam exinanitionem Filij DEI in Nativitate, non invenuſtè ſibi hæc objicit, ſerm. 158. *Sæpe quærimus*, ait, *quare Chriſtus ſic mundum intrat, ut ventris experiatur anguſtias, ſuſtineat vincula pannorum, præſepe toleret?* aptiſſimè verò ſibi reſpondet: *Et qualiter venire debuit, qui voluit apportare gratiam, timorem pellere, quærere charitatem? ſic ergo naſci voluit, qui amari voluit.*

Jam

Jam non miror ampliùs cœleſtem illum Angelum in ſignum inveniendi neo-natum Salvatorem, paſtoribus dediſſe *pannos & præſepe*; ſiquidem ſcivit in his vilibus Dominum mirabiliorem longè comparîturum, quàm olim comparuerit vel ipſe Salomon cum omni magnificentia ſua in throno aureo; opere prorſus admirando. Et ſanè gloriam amplam, imò magnificentiam Majeſtatis Regiæ ampliſſimam, Salomonem eo in throno aureo, duodecim leunculis exornato, ſibi comparâſſe, nemo diffitebitur; ſiquidem gloria hæc non ſolùm excivit Reginam Sabam, *ſed & univerſa terra, deſiderabat vultum Salomonis*, ait Scriptura, 3. Reg. 10. At quis non videt magnificentiorem in ſtabulo, Salvatoris fuiſſe gloriam; ut qui pannis licet involutus, ac in præſepio poſitus non unam ſolùm ad ſe attraxit Reginam, ùt quondam Salomon; ſed potentiſſimos etiam tres Orientis Reges, qui præter larga allata munera, in parvulo hoc imbelli, immenſam adorârunt Divinitatem. Nam *in præſepio jacebat Puer*, ait D. Auguſtinus ſerm. 30. de temp. *& Magos ab Oriente ducebat, abſcondebatur in ſtabulo, & agnoſcebatur in cœlo, ut agnitus in cœlo manifeſtaretur in ſtabulo.* Et quomodo non manifeſtaretur etiam in ſtabulo, cùm ipſa pulcherrima Pulchritudo in parvulo elucent; illud omni palatio auguſtiùs ſuâ præſentiâ reddiderit? *Certè ornamenta, quæ deerant*, ait D. Cyprianus, *etiamſi abfuiſſent, non haberent oculos inſpectores, quia præſentia Parvuli ſic eorum, qui aderant, oculos occupaverat, ſic illuminaverat animos, ſic corda illexerat, ut in hoc ſummo bono, omnium bonorum unita collectio videretur.* Nu. 25. 3. Reg. 10. D. Auguſt. D. Cyprian.

Unde ſi D. Chryſoſtomo, tam amabilis, tam pretioſa videbatur unica catena ferrea, quæ D. Pauli vinciebat dextram, ut eam præferret omni cœlo, ipſis quoque Angelis dum Homiliâ 2. de laud. Pauli in hæc verba prorumperet. *Si quis me cœlo condonet omni vel eâ, quâ Pauli manus vinciebatur catenâ; illam ego bonore præponerem; ſi quis me cum Angelis ſtatuat, aut cum Paulo vincto; vincula eligerem.* Si inquam aureum illud eloquentiæ flumen totum ſibi Paulus pro Chriſto vinctus rapuit, adeò, ut non tantùm non ſcandalizaretur in vinculis ejus, ſed ea majoris æſtimaret Cœlo: quò non rapuiſſet, faſcijs ligatus Parvulus vinctus JESUS? Profectò ſi eidem licuiſſet cum paſtoribus intereſſe ac *pannos & præſepe*, vera ſigna neo-nati Salvatoris contemplari, Nu. 26. D. Chryſoſt.

plari, abſque ullo dubio in hæc aut verba affectuoſiſſimè erupiſſent: *Si quis me cælo condonet omni vel ijs, quibus JESULI manus vinciebatur pannis; pannos ego honore præponerem. Si quis me cum Angelis ſtatuat, aut cum JESULO vincto, poſito in præſepio, pannos, præſepe eligerem.*

Nu. 27. Nihilominus ſi *panni ac præſepe* verè juxta effatum Angeli Gloriæ ac Divinitatis ejus fuerunt indicium, cur obſecro Sapientia DEI incarnanda hæc ſibi elegit? cur primùm ùt infantulus pannis ac faſcijs ligari

D. Ambroſ. voluit? certè à ſcopo non aberrarem, ſi cum D. Ambroſio dicerem; ideo eum ligari voluiſſe, ut nos à vinculis mortis abſolveret; nam *ille Parvulus, ille Infantulus factus eſt, ut tu vir poſſes eſſe perfectus*, ait lib. 2. in Lucam: *ille involutus eſt pannis, ut tu mortis laqueis ſis abſolutus; ille alium locum in diverſorio non habebat, ut tu plures haberes in cæleſtibus manſiones.* Maximè verò quod obſtupeſcendum eſt, cur tanta Majeſtas, pecuino in præſepio reclinari voluit? an quia *omnis caro fænum*; ſic & ipſe carnem noſtram aſſumens, velut fænum in præſepio jacere

D. Gregor. voluit? confirmat enimvero idipſum S. Greg. lib. 7. moral. c. 4. dicens: *Quia per Prophetam dicitur omnis caro fænum; univerſitatis Conditor ex noſtra ſubſtantia carnem ſumens, fænum fieri voluit, nè noſtra in perpetuum caro fænum remaneret.* Ampliùs dico, ſi Chriſtus *granum frumenti* eſt, ùt ſeipſum nominavit apud Joannem cap. 10. ubi quæſo meliùs granum hoc cœleſte locari poterat, quàm in præſepio. Si præterea à

Pſal. 84. Davide vocatus eſt *fructus pacis, fructus terræ* ubi meliùs & molliùs jacere poterat, quàm ſuper fœnum in præſepio. Verbô, *ſi flos campi eſt,*

Cant. 2. *& lilium convallium*, ubi commodiùs & creſcere, & paſtoribus apparere poterat, quàm extra urbem in campo, ut ijdem cum veritate di-

Cant. 2. cere poſſent: *Flores apparuerunt in terra noſtra.*

Nu. 28. Cùm igitur Salvator noſter, noſtri cauſâ naſci voluerit, meritò

D. Bernardus ſer. 1. de Nat ampliùs inquirit D. Bernardus cur ſic? videlicet ſe humiliando? *Quæſo, fratres mei, quæ neceſſitas fuit, ut ſic exinaniret ſe, ſic humiliaret ſe, ſic abbreviaret ſe Dominus Majeſtatis? niſi ut vos ſimiliter faceretis.* hoc eſt, ut repudiato amore proprio humilitati daretis operam, & nequaquam vos ſuper alios efferretis; nam aliàs *intolerabilis eſſet impudentia, ut ubi ſe exinanivit Majeſtas vermiculus infletur & intumeſcat.* Quod ſi præcaverimus noſtrúmque cor veram humilitatem ſuíque contemptum poſſederit, fiet ut & JESULUS denuò in tali naſcatur corde,

illúd-

illúdque animitus cum Propheta dicere queat: *Parvulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis.* *Iſaiæ 9.*

In Feſto Circumciſionis D.N. JESU CHRISTI.

CONCIO III.

DEUS Salutis, id eſt JESUS. S. Hieron.

ARGUMENTUM. *Offertur pro feliciſſimo Novi Anni Exordio, omnibus & ſingulis, SS. Nomen JESU, prout illud varia in ſe complectitur, ex ſacris literis præfigurata nomina: & primùm quidem Clericorum capiti Antiſtiti Sacerrimo, datur Nomen JESU continens in ſe nomen JEHOVAH. Clericis verò reliquis uti & Religioſis idem Nomen SS. quod Cant. 1. vocatum eſt* Oleum effuſum. *II. Præſidibus in ſtatu politico datur JESUS ſignificans* Dominum Juſtum, *Jerem. 23. III. Conjugatis datur JESUS ab Iſaia nominatus* Princeps pacis, *IV. Virginibus & Juvenibus datur JESUS, vocatus ab eodem Propheta* Emmanuel, *nobiſcum DEUS. V. Viduis datur JESUS idem, quod* Pater futuri ſæculi. *VI. Hæreticis datur JESUS à Zacharia vocatus* Oriens. *Omnibus denique in communi offertur JESUS* DEUS ſalutis.

Et vocatum eſt Nomen ejus JESUS. *Luc. 2.*

DUm DEUS noſter Parvulus, in cruenta ſua Circumciſione vocatus eſt JESUS, id eſt Salvator; quis erit exprimendo, hujus Sanctiſſimi Nominis ineffabilem prorſus dulcedinem, ac mirè delectabilem ſvayitatem; quod nullibi alibi, quàm in cœlo ſuam ſumpſit originem. Nam *Nomen JESU glorioſum,* ait Origenes ſuper Epiſt. ad Philip: *omnique cultu digniſſimum, non decuit primùm ab hominibus appellari, neque ab eis afferri in mundum, ſed à DEO ſolo.* Et Nu. 29. *Origenes.*

licet nonnulli in veteri teſtamento reperti ſint, qui hoc gaudebant nomine utpote Joſue filius Nun, Princeps populi Iſraëlitici, & Jeſus filius Joſedech ſummus Judæorum Pontifex; *tamen nonniſi inani JESUS* Origenes. *nomine Veteres gloriati ſunt*; ait idem Origenes, *nec enim verum ſalutem præſtiterunt, ſed adumbrârunt.* Solus Chriſtus nomen, & omen habebat, ſolùm in ipſo nomen factis reſpondebat; quod etiam jam inde ab æterno, à Patre ſuo feliciſſimè obtinuerat. Idcirco Euangeliſta Lucas Circumciſionem ejus nominiſque impoſitionem deſcripturus, non dixit, *impoſitum eſt ei nomen*; ſed *vocatum eſt nomen ejus JESUS.* Indicans hoc Sanctiſſimum Nomen, non ei tunc impoſitum fuiſſe fors à Parentibus: ſed jam ab æterno extitiſſe; adeóque in Circumciſione, S. Bernard. ſolùm fuiſſe vocatum. Pulchrè ſanè hac de re loquitur D. Bernardus ſerm. 1. de Circumciſ: *Vocatum planè, & non impoſitum; quia hoc ei nomen eſt ab æterno, à natura propria habet, ut ſit Salvator; innatum eſt ei hoc nomen, non inditum ab humana vel Angelica natura.*

Nu. 30. Hinc & Filius DEI non poterat meliori, ac Auguſtiori nomine decorari, quàm glorioſo hoc Nomine JESU, ſiquidem vel ipſe Pater æternus, omnem ſuam potentiam, omnem majeſtatem, & poteſtatem in illud concluſit, D. Ambroſ. & cum hoc omnia pariter Filio contulit. *Pater enim*, ùt disertè ait Ambroſius lib. 10. in Luc. c. 10. *dando nomen quod eſt ſuper omne nomen, non plus dedit quàm habuit, ſed totum quod habuit dedit.* unáque præcepit, *ut in Nomine JESU omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Propterea etiam factum, quod in hoc Sanctiſſimo Nomine, non ſolùm *tota Deitatis adoretur Majeſtas*; ùt loquitur D. Chryſol. D. Chryſol: ſed & magno Auguſtino teſte: *Omnia quoque alia Chriſti nomina, quæ plurima & præſtantiſſima ei Scriptura attribuit, in ſe complectatur.*

Nu. 31. Ineffabile profectò ac Majeſtate pleniſſimum erat Nomen Tetragrammaton JEHOVAH, quod ſibi ſoli reſervavit quondam DEUS, nec ab alijs facilè exprimi voluit: verùm & ineffabile Nomen JESUS, Teſt. Abul. atteſtante Abulenſi, *eſt Nomen ſimiliter Tetragrammaton continens in ſe admirandum illud JEHOVAH, quod ſignificat Eſſentiam, vel eſſe ſemper.* Pulchrum præterea erat nomen illud, quo Dilectum ſuum Sponſum appellare conſveverat, inſolito amoris affectu exæſtuans ſponſa. dicens Cant. 1. Cant. 1. *Oleum effuſum Nomen tuum*: quô virtutem & operationem

ejus

Digitized by Google

ejus exprimere volebat; quod videlicet velut Oleum effuſum omnia leniat, & ſanet. At quid Nomen JESUS quod interpretatur *Salvator*, aliud facere conſvevit, quàm ſanare peccati vulnera, atque ſalvare? *O Nomen benedictum!* exclamat S. Bernardus ſerm. 15. in Cant: *ô oleum undique effuſum! quouſque è Cœlo in Judæam, & inde in omnem terram excurrit.* Aliud quoque percelebre Nomen olim à Prophetis obtinuit Dominus; qui eum vel *Juſtum*, vel ipſam *Juſtitiam* nominabant, *& hoc eſt Nomen, quod vocabunt eum Dominus juſtus noſter*, ait Jeremias c. 23. At quis negabit JESUM noſtrum eſſe *Dominum juſtum*, cùm ipſe, ùt teſtatur D. Paulus 1. Cor. 1. *Factus eſt nobis Juſtitia & Sanctificatio?* S. Bernardus. Nu. 32. Ierem. 23. 1. Cor. 1.

Memorabile erat & illud Nomen, quod Iſaias divino afflatus ſpiritu eidem dederat dicens: *Vocabitur Nomen ejus Admirabilis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis*, cap. 9. Verùm nónne & ipſe JESUS hæc honoratiſſima involvit nomina? involvit ſanè; ut qui naſcendo fuit *admirabilis*, & reconciliando nos Patri æterno *pacificans per ſanguinem Crucis ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt*, ad Coloſſ. 1. verè fuit *Princeps pacis, & Pater futuri ſæculi*, ad quod nos ùt filios præordinavit. Idem Propheta inter alia glorioſa nomina ei quoque attribuit nomen Emmanuelis, dicens: *Vocabitur nomen ejus Emmanuel*, id eſt, *nobiſcum DEUS.* At cui nomen hoc meliùs convenit, quàm noſtro JESU, qui propriè eſt *nobiſcum DEUS* in carne; ac omnibus ſuis promiſit: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Iſaiæ 9. Coloſſ. 1. Iſaiæ 7. Matth. 28.

Denique alia ut præteream nomina, quæ ei data ſunt à Patriarchis ac Prophetis, unius adhuc meminiſſe placet, videlicet illius, quod ei dictante Spiritu Sancto dedit, Zacharias Propheta c. 6. dicens: *Oriens nomen ejus*, magnificum ſanè erat Nomen hoc, quod indicabat regni ejus non fore finem, ſed ſemper quaſi in Oriente permanſurum. Verùm & ſuperbenedictum nomen JESUS verè fuit *Oriens*, ſiquidem vix ſuper terras eſt exortus, mox illuminavit hos, *qui ſedebant in tenebris & in umbra mortis*: regnum quoque ſuum extendit in æternum juxta prædictionem Angeli: *& regni ejus non erit finis.* Luc. 1. Nu. 33. Zachar. 6. Pſal. 106. Lucæ 1.

Quare cùm Sanctiſſimum Nomen JESUS j Auſpicium, primámque diem anni Chriſtiani maximè exornet; conſtitui Auditoribus meis in varias claſſes diſtributis; idem ineffabile Nomen prout recenſita in

ſe complectitur nomina, pro feliciſſimo anni novi exordio in ſtrenam offerre; addito hoc voto: *DEUS ſalutis, id eſt, JESUS, per totum annum, ſinè morbo peccati nos portet, juvet, ac tueatur.* D. Hieron.

Si *à Jove Principium*, Veteres in ſuis actionibus ducere conſveverunt, non abs re me facturum judico, ſi & ego ab Eccleſiaſticis, id eſt à DEO ſacratis, eorúmque Antiſtite ſacerrimo, duxero initium; iiſque novi anni exordium gratulaturus, primam præ cæteris ſtrenam obtulero. Unde ut me primum ſiſtam ſacratiſſimo Antiſtiti, eidem ſtrenæ loco offero, non aurum, non argentum, non fluxas terræ quiſquilias, quæ apud tales nec ſolent, nec debent eſſe in pretio, ſed JESU nomen digniſſimum, prout in ſe complectitur admirandum illud

Nu. 34. Nomen *Jehovah.* Olim quemadmodum narrat Paulus Burgenſis in

Paulus Burg. in 3. c. Exod: *Nulli fas erat nomen Tetragrammaton, niſi ſummo Sacerdoti tantummodo pronuntiare, tunc cùm in templo ſolenniter benedicebat.* Opto igitur & ego ut ipſe Antiſtes noſter quoties per anni decurſum in templo, ad Aras divina peraget ſolenniter, cum hoc & in hoc nomine nobis benedicere dignetur. Quia autem illud ipſum Sanctiſſimum Nomen, ſummus Sacerdos ſolùm in Tiara expreſſum portare

D. Hieron. conſveverat, ùt Exod. 28. c. legitur, *idque inſignum gratiæ & miſericordiæ quam à DEO habebat.* teſte D. Hieronymo. Rurſum exopto, ut cum hoc proſperè ac feliciter totum decurrat annum.

Cæteris verò eccleſiaſticis, idem SS. offero Nomen JESU, &

Cant. 1. quidem prout ſimul nomen & virtutem involvit *Olei effuſi* Cant. 1. Oleum habet hoc, maximè balſamum quamdiu manet in Pyxide in-

Nu. 35. cluſum, nullum nec odorem, nec ſanitatis effectum præſtat, at effuſum & odorem omnibus exhibet gratiſſimum, & vulnera ſi occurrant, feliciſſimè ſanat: *Oleum dum in vaſe eſt*, confirmat dicta mea S. Anſel-

S. Anſelmus. mus, *neque odorem profert, neque dolores ſanat, effuſum verò & odorem emittit & dolores ſanat.* Simile quid accidiſſe videtur Sanctiſſimo Nomini JESU, quod ob inenarrabilem medendi virtutem meritò vocatum *Oleum effuſum.* Hoc enim quamdiu in cœlis latuit, quamdiu in arcano Divinitatis theſauro, incluſum hærebat, parum imò vix aliquid innotuit ejus virtus hominibus; at ubi per Angelum in terras allatum, & in Circumciſione vocatum eſt, mox & odorem dedit, & virtutem ſuam longè latéque effudit. Aptè in hanc rem loquitur ipſe S. An-

Digitized by Google

S. Anſelmus: *Nomen Domini, dum ipſe adhuc in ſinu Patris concluſus tenetur, parum aut nihil cognoſcebatur; poſtquam verò carnem ſumpſit, & ſe omnibus cognoſcendum expoſuit, odorem, id eſt famam & bonam opinionem de ſe emiſit.* Adeò ut homines ſvaviſſimâ hac odoris fragrantiâ allecti, cum Sponſa exclamaverit: *Curremus in odorem unguentorum tuorum.* Ipsíque tres Reges ab Oriente evocati cucurrerint in hunc odorem cum muneribus, adoraturi Parvulum. Hoc igitur Nomen JESU ſeu Oleum effuſum dum Eccleſiaſticis dono, unà deſidero, ut in contemplatione ſalutaris hujus Nominis, conentur & ipſi eſſe *oleum effuſum*, hoc eſt: odorem bonæ famæ, bonæ opinionis, de ſe apud ſæculares emittant. verbò, *ut experimento cognoſcatur eſſe in nobis, quod & in Chriſto JESU.* videlicet bona vita, bonum exemplum. Unde ſe bene, alióſque monet Eccleſiaſticos, his verbis D. Ambroſ: *Quod ſumus profeſſione, actione potiùs quàm nomine demonſtremus, ut nomen congruat actioni, actio reſpondeat nomini, nè ſit nomen inane, & crimen immane.*

S. Anſelmus. | Cant. 1. | Nu. 36. | Gloſſa intel. | D. Ambroſ.

A ſtatu Eccleſiaſtico converto me ad Politicum, & pro feliciſſimo novi anni exordio, omnibus Præſidibus ac Juſtitiæ Adminiſtris idem Sanctiſſimum dono Nomen JESU, cum addito illo nomine, quo eum vocaverat Jeremias c. 23. dicens: *Et hoc eſt nomen, quod vocabunt eum Dominus juſtus noſter.* JESUM, inquam, dono illis ſed *juſtum*: ſed illum, *qui factus eſt nobis juſtitia.* 1. ad Cor. 1. Si virtutes DEI Incarnati conſiderem adverto nullas adeò in ipſo eluxiſſe ac *Miſericordiam & Juſtitiam*, quas ità attemperatas habebat, ità omnibus, ubi opus erat, exhibebat, ut meritò de eo dixerit Paulus ad Rom. 2. *Perſonarum acceptio non eſt apud eum*, hinc eaſdem quoque virtutes, conjunctas eſſe voluit apud Præſides & Judices, qui *judicant populos in æquitate.* Colligitur id ſanè vel ex ipſiuſmet verbis Chriſti, quando Octo Beatitudinis gradus in monte, coram populo propalavit. Tum enim poſtquam dixiſſet, *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam.* Matth. 5. abſque mora adjunxit alteram Beatitudinem: *Beati*, inquit, *miſericordes*, oſtendens juſtitiam ſinè miſericordia nequaquam eſſe debere: vel ùt loquitur Querricus Abbas ſerm. de Omn. Sanct: *Nè zelus immoderatior in vitium feratur, ſequitur mox miſericordia, quâ temperetur.* Idcirco & DEUS in Vet. Lege ut omnibus Præſidibus utrumque firmiter in-

Ierem. 23. | Nu. 37. | Roman. 2. | Matth. 5. | Querr. Ab.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

culcaret virtutem, juſtitiam videlicet & miſericordiam; volebat illud per olei & ſangvinis mixturam declarare, quâ aſpergi debuerant Præſides. Refert id caput 29. Exodi; ubi DEUS Moyſi hæc præcepit: Exod. 29. *Cúmque tuleris de ſanguine, qui eſt ſuper altare, & de oleo unctionis, aſperges Aaron & veſtes ejus.* ut nimirum Aaron, in judicijs ſciret meminiſſe utriuſque virtutis juſtitiæ & miſericordiæ. Bene proinde ait Oleaſter: *Ungitur oleo & ſangvine Aaron, ut ſciret Oleum miſericordiæ, cum rigore ſangvinis temperare.*

Nu. 38. Oleaſter.

Et has geminas virtutes obſervari vellem vel maximè à Præſidibus, quibus obtuli JESUM, id eſt *Dominum juſtum*: ut & ipſi in judicijs non reſpiciant perſonas; non fratres, non affines, non ſoceros, non generos præferant ſibi ignotis; in ferendis ſententijs verò non zelo quodam abrepti, præcipitent, ſed ſciant *Oleum miſericordiæ cum rigore ſangvinis temperare.* Exemplo ſanè ipſis eſſe poteſt Huſitarum Princeps potentiſſimus Job, qui juſtitiam cum miſericordia, ſeveritatem cum lenitate dexterrimè ſcivit conjungere. Hunc juvenes ob ſeveritatem metuebant: Job. 29. *Videbant me juvenes,* inquit ipſe c. 29. & *abſcondebantur,* & tamen viduæ ac Pupilli ob innatam manſvetudinem eum diligebant, ab eóque ſolatium capiebant, ùt ipſe ibidem teſtatur, *& cor viduæ conſolatus ſum.* D. Gregor. hæc ubi ponderat D. Gregor. hom. in Job. bene ait: *Quanta diſciplina regiminis! ut ante eum juvenes abſcondantur, quanta manſuetudo pietatis! ut per eum viduarum corda conſolentur.*

Nu. 39. Gradum facio ad Conjugatos, qui cùm maximè fauſtos, lætos ac pacificos matrimonij ſui deſiderent annos, quid optabiliùs eis pro felici novi Anni ſucceſſu, offerre poſſum, quàm ipſum JESUM, matrimonij Authorem, & Sanctificatorem? Nomen igitur illius Sanctiſſimum, Iſaiæ 9. prout ſimul includit, juxta Iſaiam, *Principem pacis* liberaliſſimè eiſdem attribuo; ut hoc favente & dirigente, totum pacificè tranſigant annum. Et quidni in pace, eo præſente tranſigerent annos, cùm Chriſtus non ſolùm ideo vocetur Princeps pacis; quia, Coloſſ. 1. *omnia pacificavit per ſangvinem crucis*, ùt loquitur D. Paulus; ſed etiam quia defacto pacificare conſvevit eos, qui matrimonij ſeſe ſubjecerunt legibus. *Nam* D. Chryſoſt. *quos copulavit,* ait D. Chryſoſt. hom. in Iſai. *eis etiam gratiam perſeverandi largitur Princeps pacis, ut jugi pace perfruantur.* Cùm autem Pax ex charitate originem ſuam, trahat, & ſolùm cum hac, inter conjuges

Digitized by Google

juges perſeveret, meritò eos verbis D. Pauli ad Coloſſ. 3. adhortari poſſum: *Super omnia charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis, & Pax Chriſti exultet in cordibus veſtris*; aliàs Chriſto abſente neceſſe eſt abeſſe & pacem. *Coloſſ. 3.*

Certè ſi Virum inter ac Mulierem, extinctâ charitatis flammâ, gelida nonniſi matrimonij maneret facies, quomodo pax ſinè hoc vinculo perfectionis perſeveraro poſſet? ampliùs dico; ſi vir aut mulier ſubnaſcentes amoris igniculos in alienos ſolùm transferret ſinus, quomodo pax Chriſti exultaret in cordibus eorum? Meritò proindè D. Paulus cùm diſcordiarum ac diſſenſionum, originem in matrimonio provenire vidiſſet ex defectu charitatis, omnibus viris eam ſeriò præcepit dicens: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam ſuam, pro qua ſeipſum tradidit.* Mulieribus verò præcepit obedientiam, quæ charitatem cum pace fovere & augere in immensùm ſolet. Hæc inquam, ſi conjuges obſervaverint; à JESU ſuo *Principe pacis*, omnia bona conſequentur, nam D. Chryſ. teſte hom. 38. in Gen: *Quando concordia, & pax, & vinculum dilectionis, cum muliere & viro fuerit, omnia ſimul affluunt bona & nullis inſidiis expoſiti ſunt, magno & inexpugnabili quodam muro circumdati, ſuâ juxta Domini præceptum concordiâ. Hoc ferro fortiores eos reddet; hoc omnibus divitiis magis locupletabit, hoc ſupernam gloriam eis conferet, hoc & DEI benevolentiam eis ubertim conciliabit. Tunc & filij qui naſcuntur, virtutem ſequentur, quos imitabuntur & ſervi, & undequaque domus virtute florebit, erîtque multiplex rerum proſperitas.* hæc Chryſ. Nu. 40. *Epheſ. 5.* *D. Chryſoſt.*

Quid nunc & vos ô Juvenes & Virgines, à me pro ſtrena novi anni hujus expectabitis? cùm ſciam animos veſtros majori ſemper detineri deſiderio quàm cæterorum? Dabo igitur & vobis id, quod in orbe hoc noſtro & chariſſimum, & ſpecioſiſſimum eſt; videlicet JESUM parvulum, ſeu prout aliter ab Iſaia vocatur *Emmanuelem*: pulchrum ſanè, & perquam ſpecioſum hoc nomen eſt *Emmanuelis*, quod de induſtria Salvator noſter aſſumpſit, & illo à Prophetis appellari voluit, propter ingens illud, nimiúmque deſiderium, quo ferebatur in homines, & cum ijs commorari, ac deliciari deſiderabat; juxta illud Proverb. 8. *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.* Unde & Propheta Iſaias, poſtquam eum nominâſſet Emmanuelem mox adjecit illud: *Butyrum,* Nu. 41. *Proverb. 8.*

Iſai. 7. Salazar. *rum, & mel comedet*. hoc eſt, ùt Salazar in cap. 8. Proverb. ait; *Inter homines converſari & degere, quaſi mellis atque butyri loco reponet.* Si nunc Emmanuel noſter tanto flagrat deſiderio commorandi inter homines? ut id pro non mediocri reputet gaudio; quale amabò illud erit, deliciari cum caſtis virginibus, poſſidere corda puritatis can-
Cant. 2. dore fulgentia? certè *paſcetur inter lilia*, poſſum dicere cum Sponſa, hoc eſt: *Saginabitur quodammodo, & impinguabitur ubertate barum deliciarum.*

Hunc igitur delicioſum *Emmanuelem* caſtarum mentium Regulum ac verè *Nobiſcum DEUM* omnibus vobis offero, caſtitatis Amatoribus: includite eum in corda veſtra, nec ſinite illum unquam à vobis hoc decurſu anni avelli; nunquam autem avelletur aut ultroneè diſce-
D. Chryſoſt. det; ſi *Caſtitatis muro*, ùt loquitur D. Chryſoſtomus, eum incluſum detinueritis; imò perſeverabit ſemper, ſi nullo gravioris peccati fœto-
Nu. 42. re, aut fœdâ impuritatis maculâ eum à vobis abegeritis. Et certè ad caſtè verecundéque vivendum incitare quemvis ex Juvenibus, aut Virginibus jure poſſunt, vel ipſæ gentiles Virgines, quæ tanto in puritatem animæ & corporis ferebantur amore; ut etiam mori mallent quàm fœdari. Quas proinde digno celebravit encomio D. Hieronymus, dum inter cæteras; ſeptem Milleſias Virgines his verbis alijs in exem-
D. Hieron. plum proponit: *Quis valet ſilentio præterire ſeptem Milleſias Virgines, quæ Gallorum impetu cuncta vaſtante; nè quid indecens ab hoſtibus ſuſtinerent, turpitudinem morte fugerunt; exemplum ſui cunctis Virginibus relinquentes, honeſtis mentibus, magis pudicitiam curæ eſſe quàm vitam.* lib. 1. cont. Jovin.

Nu. 43. Veſtri nunc omninò oblíviſci non poſſum, nec debeo, ô deſolatæ Viduæ! quæ dimidio propè cordis veſtri orbatæ eſtis; accipite & vos Nomen JESU ſvaviſſimum, quod omnibus redundat ſolatijs, omnibus affluit delicijs; & quia maritus, qui Patris inſtar erat, vobis ablatus
Iſai. 9. eſt: accipite nunc alium; videlicet JESUM, *Patrem futuri ſæculi*, & omnem cordis veſtri redintegrabit ſciſſuram; unde ſi D. Paulus 1. ad Timoth. 5. omnibus Viduis unicè ſvaſit, ut ſpem ac fiduciam ſuam in unicum collocarent Dominum, tanquam in Patrem & Conſolatorem
1. Timoth. 5. viduarum, dicens: *Quæ verè Vidua eſt, & deſolata ſperet in DEUM*; quid poſſum vobis melius in præſenti offerre quàm ipſum JESUM, qui

Digitized by Google

qui alio nomine à Propheta vocatur *Pater futuri ſæculi.* Iſai. 9. hunc certè ſi dignè ſuſceperitis, non in hac vita ſolùm, benignum experiemini Patrem, ſed multò magìs in futura; qui idcircò teſte D. Bernardo: Pater futuri ſæculi vocatur, *quia per eum in immortalitatem reſurgemus.* D. Bernard.

Denique cùm in hiſce terris noſtris, etiamnum vigeat hæreſis, quæ multorum corda varijs obfuſcat errorum tenebris; decet ut ex charitate & zelo ipſis quoque JESU nomen, per quàm ſalutare, pro Novi Anni exordio offeram. Quia autem Nomen hoc inoluit, & illud quod protulit Zacharias c. 6. dicens: *Oriens nomen ejus.* ex corde Zach. 6. igitur ijs offero *JESUM orientem, Solem juſtitiæ*, ut radijs ejus illuſtrati, deſinant impoſterum cæcutire. Et meritò; ſi enim Chriſtus ideo à Nu. 44. Prophetis nominatus eſt Sol, & quidem *Oriens*, ùt vult D. Rupertus, S. Rupertus. *quia ſicut Sol pellit tenebras, & nubila, ità Chriſtus Sol oriens diſpulit omnem caliginem errorum, peccatorum, tentationum, adduxitque perpetuum diem veritatis gratiæ & juſtitiæ.* Optarem animitùs ùt *Oriens iſte ex alto.* Vero fidei lumine eorum corda ſic illuminaret, ut tandem ſemel ex hæreſeon tenebris evoluti, veritatis claritatem agnoſcerent: maximè verò cuperem, ut ipſi ad lumen illud cœleſte Fidei erigerent ſeſe, è ſpiſſa illa humani reſpectus nebula: *Quid dicent homines*; & alacri facta reſolutione ambularent confidenter in lumine Veritatis Catholicæ. Multi enim inter heterodoxos reperiuntur, qui ex frequenti cum Catholicis congreſſu, tum etiam ex ſedula SS. Patrum antiquiorum lectione, deveniunt in cognitionem fidei veræ; ſed ab illa ſuſcipienda è veſtigio revocantur, ab exitiali illo reſpectu, qui eos magìs vereri homines, putà amicos & propinquos præcipit, quam ipſummet DEUM. His igitur dono *orientem Solem JESUM*, unáque precor, ut eorum corda ſic illuſtret, ſicut quondam illuſtravit D. Pauli, qui vocatus ad fidem, abacto omni reſpectu his verbis ſeſe ſolabatur: *Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* Et certè poterat D. Paulus Galat. 1. tunc quando Damaſcum conceſſit, ad perſequendum Chriſtianos, & Nu. 45. à Chriſto revocatus, mox hæc aut ſimilia cogitare. *Quid dicent Phariſæi:* quorum ſectam ut optimam mordicus tuebar, quod me Chriſtianis infenſiſſimis hoſtibus adjunxerim? *Quid dicent Legiſperiti?* inter quos ad pedes Gamaluelis edoctus, percelebris eram; quòd contem-

ptâ lege, Crucifixo adhæream? *Quid dicent ipſi ſummi Sacerdotes*, quos contra Chriſtianos vel maximè concitaveram, quòd rejectâ eorum poteſtate me ipſis aggregaverim? an non objicient mihi illud: *Inſanis Paule, nimiæ literæ te ad inſaniam convertunt.* Hæc inquam & nonnulla alia bonus Paulus ſuggerente humano reſpectu tunc cogitare poterat, & in Judaiſmo perſeverare; verùm aliter ſe habuit, quamprimùm enim ab Oriente hoc illuminatus eſt; ſtatim judaicas reliquit tenebras, unà cum hoc reſpectu; & veram fidem ſuſcipiens hoc dicto ſe ſolabatur. *Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.*

Actor. 26.

Nu. 46. Pro ultimo demum omnibus in communi rurſum offero idem Sanctiſſimum *Nomen JESU*, quod verè nomen omnis ſalutis, & conſolationis eſt, ut inter varias vitæ, & peregrinationis hujus moleſtias, & adverſitates debito ſolatio non deſtituantur. Unde ſi quis à melancholia obrutus, patiatur tædia ac anguſtias cordis, adeat ſuum JESUM exprimat ejus Nomen Sanctiſſimum & ſolamen inveniet; *Longè enim abeſt deſperatio*, ait Euthym. *ubi eſt hujus Sanctiſſimi Nominis invocatio.* Imò erit ei Nomen hoc D. Bernardo teſte, *Mel in ore, in aure melos, in corde jubilus.* Quod ſi alius ægritudinis ac dolorum acerbitate prematur; rurſum ad hoc Sanctiſſimum confugiat Nomen, & auxilium abundè ſentiet: *Nam ſi febribus æſtuas*, ait D. Ambroſius, *JESUS ſalus eſt; ſi alimento indiges, cibus eſt: ſi labore opprimeris, requies eſt; ſi in certamine verſaris, corona eſt.* Verbô, eſt alius, qui ad ipſas mortis deveniat portas, non deſperet: etſi ingenti iniquitatum pondere ſit oppreſſus; ſed JESUM invocet, & ſalutem inveniet, maximè verò repetat identidem illud D. Auguſtini: *O bone JESU! propter temetipſum eſto mihi JESUS, eſto mihi Salvator benignus. Etſi ego admiſi, unde me damnare poſſis, tu non amiſiſti, unde me ſalvare poſſis.* Amen.

Euthymius. *D. Bernard.* *D. Ambroſ.* *D. Auguſt.*

In

In Feſto Epiphaniæ Domini.
CONCIO IV.
Varijs modis vocans DEUS. Caſſianus.

ARGUMENTUM. *Quemadmodum DEUS primitias Gentium, videlicet hos tres Orientis Reges, per novam ſtellæ irradiationem, ad verum fidem, ſúique cognitionem evocavit: ità defacto, varias hominibus exoriri facit ſtellas, eóſque variis modis vocat; alios ut è cœno peccatorum tranſeant in ſtatum gratiæ; alios ut è procelloſis inſanientis mundi fluctibus ad tutiſſimum Religioſæ vitæ concedant portum. Hunc igitur vocantem qui negligunt, non ei ſed ſibi perniciem Animæ ſuæ, ut adſcribant, neceſſe eſt; ſiquidem ipſe eſt DEUS, qui vult omnes homines ſalvos fieri.*

Vidimus enim ſtellam ejus in Oriente. *Matth.* 2.

ECce Magi ab Oriente venerunt Jeroſolymam; Magi inquam non Angelorum invitati alloquio, non Prophetarum exciti præconio, non hominum evocati rumore; ſed loquente cœlo, hortante ac præeunte ſtella, ſe viæ commiſerunt intrepidi. Jllúdque imple- Nu. 47.
verunt quod vatidico ore, futurum prædixerat Iſaias, dum diceret c. 60. *Ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortûs tui, inundatio Camelorum operiet te, Dromedarij Madian & Epha, omnes de Saba venient aurum & thus deferentes.* (*Iſai. 60.*) Loquente inquam ſtella, ſeu potiùs Magorum corda trahente per ſtellam Domino, ſubintraverunt Jeroſolymam; ac ſolliciti quæſiverunt: *Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum?* (*Matth. 2.*) Horum itinerantium feſtinos greſſus perpendens magnus Auguſtinus ſerm. 30. de temp. præclarè, ùt aſſolet, ait: *In præſepio jacebat Puer, & Magos ab Oriente ducebat, abſcondebatur in ſtabulo, & agnoſcebatur in cœlo, ut agnitus in cœlo, manifeſtaretur in ſtabulo; ut qui in aperto cœlo ſignis ſidereis monſtrabatur magnus, in anguſto diverſorio quæſitus, inveniretur invalidus.* (*D. Auguſt.*)

D 2 Verùm

Digitized by Google

Nu. 48. Verùm cur Incarnata Majeſtas, volens hos Reges in agnitionem verè fidei, ſuique adorationem evocare, non Angelum revelantem ùt paſtoribus, ſed ſtellam radiantem ſubmiſit? An ideo ut quemadmodum ſtellæ, teſte Hilario, Chaldæos ad infidelitatem adduxerunt; ità rurſum eoſdem in Magis, ſtella ad fidem reduceret? Aut ideóne ſtellâ

D. Remigius. coruſcante illos excivit, quia ùt loquitur D. Remigius, ſucceſſores & nepotes erant Balaam, qui prædixit fore, ut *oriretur ſtella ex Jacob*; illiq; quotidie ſidera ſcrutando, rei eventum præſtolabantur? Aut ideo fulgore radioſi ſideris ad credendum Magos provocavit; quia docente

1. Cor. 14. D. Paulo: *Prophetiæ fidelibus datæ, non infidelibus? ſigna autem data ſunt infidelibus, non fidelibus*; ùt fuſiùs rationem hanc explicat Greg. Mag.

D Gregor. hom. 10. in Euang. dum ait: *Ab Oriente Magos non Angelus, ſed ſtella perduxit; quia videlicet Judæis tanquam ratione utentibus, rationale Animal, id eſt Angelus prædicare debuit, Gentiles verò, qui ratione uti neſciebant ad cognoſcendum Dominum, non per vocem, ſed per ſigna perducuntur.*

Nu. 49. Verùm hinc & alia emergit difficultas, ſi eos per ſtellam vocare voluit, cur per ſuam? dicitur namque non ſimpliciter vidimus ſtellam,

Matth. 20. ſed *vidimus ſtellam ejus*. An non Priſcilliani aſſeclæ, qui cujuslibet hominis geneſim ſub ſtellarum fato ponebant; hoc in verbo adjutorium ſui erroris aſſument? at abſit hoc á Fidelium cordibus, ſiquidem ſtella

D. Auguſt. iſta, quam viderunt Magi, teſte Auguſtino contra Fauſtum: *Chriſto ſecundùm carnem nato, non ad decretum dominabatur, ſed ad teſtimonium famulabatur.* Dicitur proinde ſtella ejus, quia ùt notat Gloſſa interlin. *hanc creavit Dominus præcisè ad oſtenſionem ſui.* Denique cur in Oriente, & non potiùs in Meridie, aut Occidente; hoc radioſum aſtrũ fecit effulgere? ſed meritò fulſit in Oriente, & non in Occidente ſtella hæc, quia deſignabat regnum illius, quod nullum noverat occaſum; nullúmque habiturum erat finem; Angelo teſte: *& regni ejus non erit finis.* Imò oportebat eam coruſcare in Oriente, ſiquidem lucendo in-

Zachar. 6. dicavit Nativitatem illius, cujus nomen erat Oriens: *Ecce vir, Oriens*

D. Chryſoſt. *nomen ejus.* Zach. 6. Poſtea in Oriente ſplendicat teſte Chryſoſt: *ùt unde diei lumen quotidie naſcitur, inde initium fidei apud Gentes procederet, quia fides lumen eſt animarum.* Quicquid ſit maxima eluxit in ſtella hac, Incarnati VERBI miſericordia, quæ præter populum Iſraëliticum, per Angelos in ſui agnitionem evocatum; etiam gentes in-

ſpur-

Digitized by Google

ſpurcis infidelitatis tenebris oberrare non eſt paſſa, ſed & earum primitias, ad fidei cunas ſvaviter ac fortiter pellexit.

Quare cùm infinitè miſericors DEUS etiam nobis defactò varias vocationis oriri faciat ſtellas, per quas & peccatores è cæno, & innocentes è periculis evocet; oſtendam breviter, quomodo vocanti DEO, exemplo trium SS. Regum, morem gerere debeamus?

Optimum DEUM omnes homines, cujuſcunque ſint ætatis aut conditionis, varijs inſpirationibus ac luminibus illuſtrare; patet ex capite 8. Proverb. ubi per Sapientiam clamantem, accuratè exprimitur vocans: *Nunquid non ſapientia clamitat?* ait ſacer textus, *in ſummis excelſiſque verticibus*; in quibus Prælati, Reges, aliique commorantur Principes: *ſuper viam in mediis ſemitis*, ubi perfecti Religioſi, Clerici; *juxta portas civitatis*, ubi milites & mercenarij; *in ipſis foribus*, ubi mercatores, judices; *in compitis platearum*, ubi juvenes vani; *in plateis domuum*, ubi negotiatores reperiuntur. Clamat enimverò in tantum, ut vox ejus nullum prætereat, imò & aures, & corda, tam juvenum quàm ſenum, virorum pariter ac mulierum, feriat, excitet, atque extimulet. Nam ùt bene D. Auguſtinus in Enchir: *DEUS omne genus hominum vult ſalvare, per quaſcunque differentias diſtributum, Reges, privatos; Nobiles, ignobiles; ſublimes, humiles; doctos, indoctos.* Nu. 50. *Proverb. 8.* *D. Auguſt.*

Quod ut è voto fluat, cedàtque quantos non increatus amor adhibet in vocando modos? quantas non in illuminando, ſervat ac excogitat praxes? Certè vocat undique ad correctionem: *Vocat per lectorem*, ait idem Auguſtinus in Pſal. 102. *vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correctionis, vocat per miſericordiam conſolationis.* Et cùm corda hominum varia, eàque penitus diſſimilia reperiat, adeò ſe ijs accommodat increatus cordium ſcrutator DEUS, ut aliter hunc aliter illum è periculis, è peccatorum cæno ad ſtatum perfectiorem evocet. Hinc dum animadvertit, quoſdam mollioris eſſe naturæ oriri illis facit feliciſſimam ſtellam *Iovis*, ſubmittendo honores, divitias, ſanitates multàque mundi proſpera, ut his tanquam beneficijs allecti, currant in amorem Dilecti Benefactoris. Quòd ſi animas inveniat cervicoſas, duras, & vix tractabiles, effulgere illis patitur truculentum *Saturni* ſidus, eàſque per infirmitates, morbos, afflictiones, perſecutiones tam diu terit atque atterit, uſque dum tractabiles Nu. 51. *D. Auguſt.*

biles factæ, voluntati obſequantur divinæ. Si verò, quod ſubinde evenit, corda depræhendant terrenis rebus affixa; quæ pluris creaturam aliquam, quàm Creatorem, pluris tinctum terræ pulverem, quàm cœli delicias æſtiment, jubet ſimilibus ſævam *Martis* illuceſcere ſtellam; ac per bella horrida, cædes, rapinas, evocat eos ad ſalutis refrigerium. Si autem homines deprehendat affabiles, qui converſationibus magìs, quàm alijs rebus ſint intenti; ſubmittit illis quandoque ſtellam *Mercurij*, pium aliquem ſocium, Virum Religioſum, Confeſſarium prudentem, qui pio alloquio, ſermone ſpirituali inflammatos perducat ad ſemitam Salvatoris. Denique ſi quorundam hominum animos nanciſcatur cereos, flexibiles, omnémque in nutum promptiſſimos, illis exoriri facit, candidiſſimum *Phoſphorum* illuminando corda, & vel per ſe vel per Angelum Cuſtpdem, pias immittendo inſpirationes, eos ad paratas cœli evocat delicias.

Nu. 52. Hos tam varios à me enumeratos vocandi modos, pulchrè Caſſianus coll: 3. c. 3. ad tres ordines revocat: *Primus vocationum ordo* (ait ille) *eſt ex DEO; ſcilicet quoties inſpiratio quædam immiſſa in cor noſtrum, nonnunquam etiam dormientes nos, ad deſiderium æternæ vitæ, ac ſalutis exſuſcitat; Deúmque ſequi & ejus inhærere præceptis compunctione ſaluberrimâ cohortamur. Secundus vocationis modus eſt per hominem. cùm videlicet vel exemplis quorundam Sanctorum; vel monitis inſtigati, ad deſiderium ſalutis accendimur. Tertius verò vocationis modus eſt, ex neceſſitate videlicet cùm nos divitiis mundi hujus, vel voluptatibus obligati ingruentibus repentè tentationibus, quæ vel mortis pericula comminantur, vel amiſſione bonorum percutiunt, vel Charorum morte compungunt; ad Dominum, quem ſequi in rerum proſperitate contempſimus, ſaltèm inviti properare compellimur.* hæc Caſſianus.

Caſſianus.

Et ſic per mundi hujus proſpera, per divitias, ac rerum omnium abundantiam, vocavit miſericors DEUS, divitem illum apud Lucam c. 12. qui dilatabat horrea ſua; eò quòd agri illius uberes attuliſſent

Luc. 12.

Nu. 53. fructus. Quem dum conſiderat D. Ambroſius ſerm. 82. in Lucam: quærit cur huic immerenti ager tam uberes attulerit fructus? cùm ob avaritiam aliáque ſcelera meritus ſit, ut ei nec unicum produceret granum; reſpondet verò dextrè, & ait: *DEUS per rerum abundantiam hunc vocavit; ſi fortè eum aliquando nimietate ipſa ſatiatum, ad ſenſum* huma-

D. Ambroſ.

Digitized by Google

humanitatis adduceret. Sic etiam per divinas inſpirationes; per lumina interna; movit ac illuſtravit DEUS depravatum, perverſi adhuc Auguſtini cor, animámque, quemadmodum ipſe in ſoliloquijs cap. 3. genuinè fatetur: *Erat*, inquit ipſe, *nubes magna & tenebroſa, ante oculos vanitatis meæ, ità ut videre non poſſem, Solem juſtitiæ; involvebar in tenebris filius tenebrarum, cæcus enim, & cæcitatem amabam, & ad tenebras, per tenebras ambulabam, quis inde me eduxit? quis eſt illuminator meus? tu vocâſti me nomine tuo, intonâſti deſuper voce grandi, in interiorem aurem cordis mei: Fiat lux; & facta eſt lux, & vidi lucem tuam, & cognovi vocem tuam, & dixi, ecce video.* Pari ratione per ſtellam in Oriente radiantem quis negabit, & interiora cordis horum trium Regum fuiſſe illuſtrata? Certè in tantùm DEUS per ſtellam hanc fulgentem eorum corda, tenebris alioqui infidelitatis obſita illuſtravit, ut eoſdem Reges non ſolùm ad proficiſcendum compulerit; ſed etiam incitaverit eos, omni depoſito reſpectu, ad palam inquirendum, de neo-nato Rege Judæorum; imò tam potens erat hæc Magorum vocatio, ùt Auguſtino teſte ſerm. 2. in Epiph: *Magnum teſtimonium extiterit cæcitatis Judæorum. Siquidem in his terris, de longinquo iſti peregrini Puerum Chriſtum nondum verba proferentem adoraverunt, ubi Cives illi juvenem miracula facientem crucifixerunt.* Unde D. Joannes Chryſoſt: eorum paratum ac obſequentem animum conſiderans ſummopere miratur, quod præſente Herode, intrepidi de novo Rege auderent inquirere, eíque divinos honores parati eſſent attribuere: *Nunquid neſciebant* (inquit ille) *quia in Jeruſalem regnabat Herodes? nunquid non intelligebant, quia quicunque Rege vivente, alterum Regem pronuntiat, aut adorat, punitur in ſanguine?* ſed ſibimet præclarè ſatisfecit dicendo: *Dum Magi conſiderabant Regem futurũ, non timebant præſentem, adhuc non viderant Chriſtum, & jam parati erant pro eo mori. O beatiſſimi igitur Magi, qui ante conſpectum crudeliſſimi Regis, priuſquam Chriſtum cognoſcerent, Chriſti facti ſunt Confeſſores.*

D. Auguſt. *D. Auguſt.* Nu. 54. *D. Chryſoſt.*

Varijs igitur adhibitis medijs ac modis vocat homines infinitè miſericors DEUS, ità tamen vocat, ut ſemel vocatos, ſemel illuſtratos, non vocet, non illuſtret facilè ſecundò; *Semel* (inquit Job) *loquitur DEUS, & ſecundò*, ô verba tremenda! *& ſecundò idipſum non repetit.* Notent proinde bene peccatores, qui in peccatorum cæno immerſi

Iob. 33.

per-

Digitized by Google

perſeverant; notent & innocentes adhuc, qui in medio periculorum hujus mundi commorantur, ſi vocanti ac pulſanti DEO primâ vice mentis aures obturaverint, ſi oſtium cordis penitus occluſerint, ac inſpirationibus divinis omnem aditum prohibuerint, eos difficulter ſecundò vocandos; ſiquidem *ſemel loquitur DEUS, & ſecundò idipſum*
Nu. 55. *non repetit.* Unde ſtultiſſimè agunt illi, qui vocationes, adhortationes, aliáque ſimilia, nonniſi ab Angelis expectant, hominúmque ſalutaria contemnunt monita; hi certè ſurdæ aſpidis obturantis aures ſuas, non ſunt abſimiles; nam aures claudunt; nè quando educantur de horrendis peccatorum ſuorum latibulis; oppeſſulant cordis januam, nè quando erumpant ad pœnitentiam. Ideo nec internis DEI inſpirationibus, nec externis Concionatorum vocibus, nec ullis congruis medijs, patiuntur ſe ad virtutem reduci; omne medicamentum, omnem medelam rejiciunt; imò quandoque ipſi DEO dicunt: *Recede à nobis,*
Iob. 1. *ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Job. 1. Verùm audiant hi verba
Querr. Abb. Querrici Abbatis ſerm. 1 de Pentec: *Væ illis, qui rebelles ſunt lumini, id eſt vocanti DEO; nec acquieſcunt veritati, quam intelligunt, quia ſicut lutum ex calore Solis, ità hi ex bonitate & beneficiis DEI, nonniſi duriores fiunt.* Et quemadmodum nimia patientia & longanimitas DEI obduravit cor obſtinati Pharaonis; ità eadem, ſimilium reproborum ac rebellium corda tantopere obdurabit, ut tandem in profundum delapſi, omnia contemnentes miſerè pereant. Teſtantur id horrenda D. Apoſtoli verba ex cap. 6. Iſaiæ decerpta, quibus pœnam eorum exprimit, qui vocantem ſpreverunt DEUM: *Electio,* inquit, *conſecuta eſt; cæteri excæcati ſunt, dedit enim illis DEUS Spiritum compunctionis*; ſeu ùt legit Hebræus *vermem arrodentem, oculos ut non videant, & aures*
Origenes. *ut non audiant, uſque in hodiernam diem*; id eſt, ùt explicat Origenes, *uſque ad finem vitæ eorum*; adeò ut non moriatur cum illis, ſed vivat ac
Iſai. 66. rodat eos in ſempiternum. *Vermis enim eorum*, teſte Iſaia 66. *non morietur.*

Quiſquis igitur à DEO ſe vocari ſentit, quiſquis ſive è peccatorum ſordibus ad pœnitentiam, ſive è periculis mundanis ad perfectio-
Nu. 56. rem Religionis ſtatum, ſeſe incitari animadvertit, is patulis auribus audiat vocantem, ſequatur hortantem, neque dicat frigidum illud: Obſtant mihi noti, deterrent me amici, & propinqui; prohibent parentes & tu-

Digitized by Google

& tutores, ſiquidem magìs DEUS quàm hi revocantes homines audiendus eſt: maſculos proinde induat animos vocatus à DEO; diſſolvat illa quibus tenetur vincula, moras rumpat, ac eò feſtinet, quò properare jubet, clamans in cordibus ſapientia, vocans DEUS. Idcirco non me dicentem, ſed hortantem audiat D. Hieronymum, & quod ille aliquando dixit Heliodoro in epiſtola 1. id ſibi nunc ab eodem dictum arbitretur. *Recordare* (inquit ille) *Tyrocinij tui diem, quo Chriſto in baptiſmate conſepultus, in Sacramenti verba juràſti pro nomine ejus; non te Patri parciturum eſſe non Matri.* Si ergo nec Patri parcendum, nec Matri exiſtimat Hieronymus, quid concedendum putabit conſangvineis, propinquis, amicis? certè parùm aut nihil. Unde pergit ulteriùs: *Licèt parvulus ex collo pendeat nepos, licèt ſparſo crine, & ſciſſis veſtibus, ubera, quibus te nutrierat Mater oſtendat, licèt in limine Pater jaceat, percalcatum perge Patrem, ſiccis oculis evola ad vexillum crucis: ſolùm enim pietatis genus eſt, in hac re eſſe crudelem.* En quàm Heliodorum Hieronymus, & per eum omnes quoque vocatos, cupiat eſſe ad omnia Matris blandimenta, ad omnes Patris illecebras animo obfirmato.

D. Hieron.

Eat nunc diſcolus aliquis Juvenis, irrideat vocantem DEUM, explodat inſpirationes bonas, contemnat vocationem ad ſtatum Religionis perfectiorem; dicat cum perverſo adhuc Auguſtino, *voces hominis non ſunt voces DEI*; dicat affectus & deſideria ad hunc vel illum ordinem, eſſe ſolùm impetus juveniles; dicat demum inſpirationes S. Angeli Cuſtodis eſſe ſomnia, & deliramenta, & ſentiet propediem vel ipſum DEUM irriſorem, ac ſubſannatorem; claris etenim inſinuat verbis; Proverb. 1. *Ego quoque in interitu tuo ridebo, & ſubſannabo.*

Proverb. 1.

Placet tragicum puniti Juvenis audire exemplum? audite quæ de Juvene Nobili tradit Jacobus Lobbetius: Hic mortuo Patre pernicioſæ donatus libertati, nec ampliùs Parentis ſentiens imperia, intra pauculos elapſos menſes, ſpreta Religione, ad quam vocabatur, contemptâ inſuper vocatione DEI, ad turpia Veneris tranſivit caſtra, ibíque ſtrenuè peccando; in tantum aures mentis vocanti DEO obſtruxerat, ut vix ulli divinæ lucis radij in cor ejus penetrare potuerint. Nihilominus quid ad hæc infinita DEI miſeratio, num in profundum, delapſum juvenem penitus deſeruit? ah abſit. Certè oriri ipſi fecit lucidiſſimum Phoſphorum, movendo cor, illuminando præcordia, immit-

Nu. 57.
P. Iac. Lobb.

tendo bonas inſpirationes: quas cùm nihil omnino cerneret operari, accendit illi feliciſſimam ſtellam Mercurij, ſubmiſit Viros Religioſos, ſubmiſit propinquos & notos, qui perverſum hunc Juvenem à ſceleribus revocarent. Verùm cùm & illi nihil proficerent, ſed ſurdo canerent, Optimus DEUS ultimum tentavit medium; at quodnam illud? ah clementiſſimum Divini Amoris agnoſcite conatum! animam nuper defuncti Patris, ad ſceleratum ablegat Juvenem, non ſemel, ſed altera vice. Venit hæc, comparet, monet, increpat, demum horrendâ hac comminatur voce, fore ut niſi reſipiſcat, Deúmque ſequatur vocantem, miſerrimè intereat, & quidem in feſto proximo S. Martini. Terruerunt nonnihil verba hæc, ipsáque Patris viſio, obſtinatum in malo Juvenem; promiſit quidem tum emendationem vitæ ſeriam, ſed ubi ad Sodales, ad ſocias ſcelerum peſſimas rediviſſet, viſionem hanc tanquam ſomnium triſte, tanquam terriculamentum puerile, ex animo ejicere moliebatur. Verùm quia timor ſemel incuſſus, fortiter cordi adhæſerat, accidit ùtlicet, à ſceleribus non abſtinuerit, ſuſpectam tamen habuerit deſignatam diem. Quæ ubi illuxit; & ſe omnimodè ſanum conſpexit verè viſionem illam terriculamentum fuiſſe credebat. Quare in ſignum lætitiæ ſubitò excellens apparat convivium, convocatíſque ſuis, ultra noctis medium ſtrenuè vacat poculis ſæpius illud iterando, en quomodo morior in feſto S. Martini, quæ jam præterij, neſciens interim mortalium miſerrimus primùm inchoari feſtum diem alterius S. Martini Papæ & Martyris, qui ei futurus erat ſupremus. Unde vix binæ effluxerant horæ & irritatum ſenſit DEUM; cùm enim poſt ejuſmodi helluationes jam ſub auroram temulentus, ſe in lectum, ac in ſpurcos amplexus conjeciſſet, adeſt è veſtigio ſpectrum horridum, eíque collum in præſentia concubinæ intorſit, animámque ad inferos miſerè abripuit, in feſto ſcilicet S. Martini Papæ & Martyris, quod anima Parentis deſignaverat.

Quotquot igitur eſtis ô illuſtres Animæ, quæ vocantem auditis DEUM, ipſúmque in bona agnoſcitis ſtella: *Nolite huic luci* (verba ſunt aurei Chryſoſt:) *& tantis deliciis oſtium claudere*; ſed horum trium SS. Regum calcata promite veſtigia; præeuntem ſequamini ſtellam, & licèt Herodis inſtar inſaniat dæmon, inſtar Jeroſolymæ turbetur caro, tum propria, tum aliena, Parentum ſcilicet & Amicorum; nihilo-

D. Chryſoſt.

nihilominus ite generoſi; dicite intrepidi. *Vidimus ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum*, & quemadmodum hi ſapientiſſimi Reges *invenietis vitam, & haurietis ſalutem à Domino.*

In Feſto Reſurrectionis D. N. JESU CHRISTI.

CONCIO V.

Vidit MARIA Reſurrectionem Domini, & prima vidit. S. Ambroſius.

ARGUMENTUM. *Quemadmodum olim Jacob incredibili prorſus repletus fuit gaudio; ubi à filiis inaudijt*: Joſeph filius tuus vivit, & ipſe dominatur in omni terra Ægypti. *Ità credibile omnino eſt & Virginem Sanctiſſimam, omni gaudiorum genere oppletam fuiſſe; quando non tam ab Angelis audijt, JESUS Filius tuus vivit &c. ſed revera eo ipſo momento,* vidit Reſurgentis gloriam, & quidem (*etſi contrarium ſentiat inſana Hæreticorum pertinacia*) prima vidit, & credidit. *Unde quâ majeſtate, quâ gloriâ, Pax noſtra Chriſtus, eidem comparuerit; quibúſve verbis eam, paulò ante mæſtiſſimam exhilaraverit; adductis potiſſimùm Sanctorum Patrum teſtimoniis, omnibus conſiderandum propono &c.*

Filius tuus vivit, & ipſe dominatur in omni terra &c. *Geneſ. 45.*

QUis gaudium illud verbis exprimat; quo delibutus fuit Nu. 58.
Sanctiſſimus Patriarcha Jacob, quando filios ex Ægypto reduces, in plauſtris & equis Ægyptiorum conſpexit? quando lætiſſimum illud unà accepit nuntium: Joſeph filius tuus vivit? quis ſermone explicet effuſam illam cordis lætitiam, & quidem cordis illius, quod

Digitized by Google

hactenus meris nonniſi tædijs & mæroribus repletum erat, quando
Gen 45. audire licuit: *Joſeph filius tuus dominatur in omni terra Ægypti? Profe-*
P. Fernand. *ctò nullis verbis explicari poteſt* (ait Doct. Fernandius in Geneſ.) *ma-*
gnitudo voluptatis, qua non tam plenus quàm abſorptus fuit animus Ja-
cob, ubi à filiis incredibilem prorſúsque ſtupendam de Joſeph chariſſimo,
inter omnes liberos, hiſtoriam accepit. Unde & in hebræo habetur,
quòd cor ejus ad nuntium hoc *elanguerit*, ſeu *ceſſaverit*, hoc eſt, ùt
Lyranus. explicat Lyran: *præ lætitia linqui animo viſus eſt, & cor ceſſavit quaſi à*
motu naturali. Nec immeritò, cùm enim hactenus paternum illud
cor, ob abſentiam unicè dilecti Filij continuâ obrutum eſſet triſtitiâ,
accidit ut repentina ſuperveniens lætitia adeò eum perturbaverit, ut
ipſis ſenſibus deficere videretur; idcirco etiam poſt longiorem hæſita-
tionem, quaſi de gravi ſomno evigilâſſet; *revixit ſpiritus ejus*, ait Scri-
D. Chryſoſt. ptura Gen. 45. & quidem D. Chryſoſt. teſte; ſicut ſolet reviviſcere
ignis in lampade affuſo oleo; ſic revixit ſpiritus ejus, ubi natura pau-
lulùm lætitiæ impetum temperâſſet: *Sicut ignis in ampulla* (ait hom.
65.) *quando deficit alimonia, & jam extinguitur; ſi parùm quis olei in-*
fuderit, repentè qui extingui putabatur, clariorem emittit lucem; ità &
ſenex ille præ triſtitia extingui videbatur, ubi autem audivit, quòd filius
viveret, & dominaretur, redaccenſus eſt, & juvenis ex ſene factus. Qua-
Geneſ. 45. re & præ gaudio ſe non capiens exclamavit: *Sufficit mihi, ſi adhuc Jo-*
ſeph filius meus vivit, vadam, & videbo eum. Gen. 45.

Nu. 59. Verùm dum Joſeph Patriarcham pro hodierna Chriſti reſurgen-
tis ſolennitate, in medium produco, ipſámque dictionem ab eo exor-
Querr. Abb. dior, meritò mihi non nemo cum Querrico Abbate objicere poſſet il-
lud ex ſerm. 1. *Quid de Joſeph ad gaudium hujus diei, ad gloriam re-*
ſurrectionis Chriſti? JESUM, non Ioſeph, eſurimus; Salvatorem, non So-
mniatorem; Dominatorem Cœli, non Ægypti; non qui pavit ventres, ſed
qui paſcit mentes? At idem perbellè reſpondere poſſum quod ipſe ſibi.
Ovum ſive nucem appoſui vobis fratres, frangite teſtam, & invenietis
eſcam, Ioſeph diſcutiatur, & invenietur JESUS. Etquidem ipſus ille,
qui verè mortuus reſurrexit, & ab Angelo B. Virgini annuntiatum eſt
eum videre. Proinde ſi ſubtriſtem illum conſiderem ſtatum, in quo
Mater doloroſa poſt mortem ſui Unigeniti etiamnum permanebat o-
mni ſolatio deſtituta, video eam cum deſolata Sponſa, non incongruè
dile-

Digitized by Google

dilecto ſuo moras trahenti, dicere potuiſſe: *Revertere, revertere, ſimilis eſto Dilecte mi capreæ, hinnulóque cervorum.* Cant. 2. id eſt, ùt explicat D. Bernardus: *Citò revertere Fili mi, in tua reſurrectione noli moras facere, quia anima mea deſiderat te; ſcio quidem, quòd citò reverſurus es, juxta illud Propheticum Oſeæ 6. Vivificabit nos poſt duos dies, & in die tertia ſalvabit nos. Verùm abbrevia hoc ipſum triduum, & ſimilis eſto in revertendo capreæ; id eſt: velociſſimus eſto ad peragendum curſum tuum.* Idcirco poſtquam & Chriſtus á mortuis reſurrexit, ac eodem in momento Beatiſſimæ Virgini ab Angelis reſurrectio annunciata fuit, his aut ſimilibus verbis: *JESUS Filius tuus vivit, & ipſe Dominator in cælo & in terra.* Quis intellectus comprehendere, aut quæ lingva pronuntiare valebit inexplicabile illud gaudium, quo delibuta fuit mœſtiſſima alioquin anima, magnæ DEI Matris? abſque ùllo dubio, exclamaverit ſimiliter cum Jacobo Patriarcha: *Sufficit mihi, ſi adhuc JESUS Filius meus vivit.* Quapropter qualinam gaudio Beatiſſima Virgo fuerit repleta tunc, quando Chriſtus ei præ omnibus prima vice apparuit, breviter exponam, adductis primum nonnullis argumentis quibus oſtendam; Matrem DEI meruiſſe primam præ omnibus hanc viſionis gratiam.

Cant. 2.

S. Bernard.

Oſeæ 6.

Quemadmodum nullus propè articulus Fidei aut myſterium Chriſti fuit, quòd non cæca ac imprudens hæreſis oppugnâſſet; ità video nec ipſam glorioſam Chriſti Reſurrectionem, aliqua ex parte potuiſſe eſſe immunem. Nam nonnulli hæreticorum maximè noſtri temporis, qui nil credere volunt, niſi quod in Sacra Scriptura clarè & expreſsè habetur, eò veſaniæ progreſſi ſunt; ut contra communem totius Eccleſiæ opinionem, aſſeruerint Chriſtum à mortuis redivivum, nequaquam primùm Matri ſuæ Sanctiſſimæ comparuiſſe, ſed Mariæ Magdalenæ, & tribus mulieribus in via, ídque probare conantur ex eo, quod nullus Euangeliſtarum in ſua enarratione euangelica, idipſum vel verbo expreſſerit. At dicite mihi vos increduli Tenebriones, ſi ſani cerebri eſtis; num Chriſtus prudenter, & legibus naturæ conformiter egiſſet, ſi poſt glorioſam ſuam reſurrectionem priùs Mariæ Magdalenæ, Apoſtolis, aliiſque apparuiſſet, quàm Matri ſuæ? cujus tamen cor & animam propter ipſum *doloris gladius* pertranſivit, imò quæ præ omnibus alijs ipſi inſeparabiliter adhæſit, & ùt loquitur D. Auguſtinus: Nu. 60.

D. Auguſt. *Eum nunquam deſeruit, non in infantia, non in pueritia, non in juventute, non in paſſione ipſa, quæ lactavit infantem, ſecuta eſt, & audiit prædicantem, vidit, & comitata eſt patientem.* Dicite, inquam num Virgo Sanctiſſima hoc ſolatio deſtitui debuerat, quæ Filio ſuo in vivis nunquam defuit ullo ſolatio, imò propter illum, plurima paſſa eſt incommoda: cùm interim jus naturæ id exigat: *Qui ſentit incommodum, ſentiat & commodum?* num demum Matri DEI præponi debuit Magdalena, quæ nequaquam tantis propter illum doloribus excrutiabatur, quantis Mater doloroſa? nec unquam tanto etiam in eum ferebatur amore, quanto ipſa? Profectò contra jus naturæ, contra jus veræ charitatis egiſſet Chriſtus, ſi præteritâ Matre, comparuiſſet priùs alijs.

Nu. 61. Unde firmiter ſentiendum eſt Filium DEI, qui cum Patre ſuo hanc legem tulit; *honora Patrem & Matrem.* Exod. 20. mox poſt glorioſam ſuam reſurrectionem, Matrem præſentiâ ſuâ honorâſſe, eíque primæ præ omnibus comparuiſſe; & quia idem omnibus præcepit filijs per Syracidem c. 7. *Gemitus Matris tuæ ne obliviſcaris.* Certum & indubitatum eſt, eum minimè oblitum fuiſſe lachrymarum Matris ſuæ propter ſe effuſarum, ſed eo ipſo in momento, quo reſurrexit, eidem comparuiſſe, ac omnem lachrymam ab oculis ejus abſterſiſſe, ut ſatisfaceret utrique legi naturæ videlicet & amoris, ſiquidem ipſe de ſe teſtatus eſt, Matth. 5. *Non veni legem ſolvere, ſed adimplere.* Proinde Chriſtum reſurgentem verè ſuæ Matri primùm comparuiſſe unanimiter planè aſſentiuntur SS. Patres. Nam D. Ambroſius lib. 3. de Virgin. clarè hæc habet: *Vidit MARIA reſurrectionem Domini, & prima vidit, & credidit, & quæ plus cæteris doluit, tantò majus ex ea gaudium, conſolante Filio percepit.* Succedit D. Bernadus, qui melliſluo ſuo ore id quoque teſtatur, ſerm. de Reſurr: *MARIA reſurrectionem Domini, & gloriam Filij ſui prima videre meruit, & non ad confirmationem dubij, ſed ad conſolationem gaudij.* Poſt paululùm verò hoc argumento omnibus perſvadere conatur: *Et quidni primò omnium apparuiſſet Matri ſuæ? nulla fuit in fruitionis gratia dignior, nulla expectationis deſiderio ferventior, nulla apparenti intimior, nulla in toto orbe charior, nulla in diſcurrendo continentior, non enim Angelorum teſtimonium quærebat.* Denique alios ut omittam, nec aliter loquitur D. Rupertus, dum l. 8. de Div. Offic. c. 25. ità ait: *Ipſa præ omnibus* (ſcilicet B. V. de hac enim loquitur illo cap.)

Exod. 20.
Eccli. 7.
Matth. 5.
S. Ambroſ.
D. Bernard.
D. Rupert.

Digitized by Google

capite) *ipſa ante omnes, vidit hanc noſtram pacem JESUM; ipſa eſt Jeruſalem, pulchra, electa, ſuavis, quam in principio lætitiæ ſuæ propoſuit.* Quòd autem ex omnibus quatuor Euangeliſtis, nullus hujus apparitionis mentionem fecerit; bene ac prudenter factum eſt, ſiquidem D. Auguſtino & Anſelmo teſtibus, planè ſuperfluum fuiſſe rati ſunt Euangeliſtæ; ſi apparitionem primam B. Virgini factam deſcribere debuiſſent; unde rem tanquam per ſe facilè credibilem omiſerunt; cogitabant enim: ſi Fideles crediderint Chriſtum apparuiſſe, Petro, Magdalenæ, & alijs, qui tamen eum graviſſimè offenderunt, certò certiùs credent eum & apparuiſſe B. Virgini, quæ tanta propter eum ſuſtinuit. Aliàs ſanè ſi verum hoc eſſet, argumentum hæreticorum: *Nihil eſt de hac prima apparitione in Scriptura, ergo non comparuit primò B Virgini;* eſſet & hoc verum: *ergo nunquam ei comparuit*, ſiquidem id nec ſemel meminerunt Euangeliſtæ; quod tamen factum eſt. *Nam abſit* (ait D. Rupertus loc. cit.) *hoc ab illo, qui Patrem & Matrem in lege honorare præcepit, ut videlicet omnibus aliis, non ſemel ſed ſæpius apparuiſſet, ſuæ autem dilectiſſimæ Matri ne ſemel quidem. Vidit igitur præ omnibus B. Virgo, vidit ante omnes, & prima quidem vidit pacem noſtram.* Nu. 62. D. Rupert.

Nunc qua majeſtate, qua gloriâ Filius Matri, JESUS MARIÆ comparuerit, paulò enucleatiùs videamus; nam ùt adimpletum eſt illud, quod DEUS Pater per Prophetam Iſaiam de Chriſto prædixit cap. 57. dicens: *Percuſſi eum & abſcondi, & ſanavi eum & reduxi eum, & reddidi conſolationes ipſi & lugentibus ejus.* Ecce mox Chriſtus ipſe à Patre æterno reſuſcitatus; rurſum Angelorum ſummum, & quidem Archangelum Gabrielem ad Virginem lugentem ablegavit, ut ſicut ipſe quondam Incarnationis myſterium annuntiavit dicendo: *Ave gratiâ plena Dominus tecum.* Ità & nunc feſtivam Reſurrectionis ſolennitatem, his quoque verbis annuntiaret: *Regina cœli lætare, alleluja; quia quem meruiſti portare, alleluja; reſurrexit ſicut dixit, alleluja.* Et nè fors aliquis exiſtimet hoc à me pro arbitrio excogitatum eſſe, ſubjicio verba S. Vincentij Ferrerij, qui Conc. de Reſurrect. ex D. Gregorio hæc citat: *Chriſtus reſurgens miſit ſtatim Virgini Gabrielem nuntium, dicens: ſicut nuntiaſti Matri meæ Incarnationem, nuntia ſibi etiam meam Reſurrectionem. Et in continenti cum magno gaudio venit ad Virginem, dicens: Regina cœli lætare, alleluja*; B. Gregorius verò addit: *Ora pro nobis DEUM, alleluja*- Nu. 63. Iſai. 57. Luc. 1. S. Vincent.

luja. & ſtatim pòſt venit ad eam Filius benedictus, cum omnibus ſanctis Patribus.

Nu. 64. Quis nunc ſatis enarrare valebit glorioſum proceſſum, ac majeſtate plenum triumphum Chriſti? maximè verò quis explicare poterit admirandam glorificati ejus corporis pulchritudinem, qua Virgini Sanctiſſimæ omnem mox & abſtulit mœrorem, & delicijs innumeris replevit? certè de forma ejus hac glorioſa non parum dixero, ſi verba Prophetæ Habacuc cap. 3. ei applicuero, ac dixero: *Operuit cælos gloria ejus, & laudis ejus plena eſt terra.* id eſt, adeo glorioſus ac *formoſus in ſtola ſua* redivivus Chriſtus comparuit; *ut gloriam* (verba ſunt Abulenſis) *ipſiuſmet regni gloria, ſuâ gloriâ acquiſita operuerit.* hinc & laudis ejus plena eſt terra. Siquidem ille qui per contemptum dictus eſt *filius fabri*, nunc ab omnibus SS. Patribus agnoſcitur *Filius DEI*; ille qui audijt *plebis ſeductor*, nunc proclamatur cœli terræque Imperator; ille, cui à Judæis per ludibrium dictum eſt *Samaritanus es, & dæmonium habes*, nunc omnes eum venerantur dæmonum Domitorem; ille qui *vinctus ſtabat ante Præſidem*, nunc conſtitutus eſt *Judex vivorum & mortuorum*, eique *data omnis poteſtas in cælo & in terra.* verbô, ille qui *cum iniquis reputatus eſt*, factus eſt Rex hominum, & Angelorum, adeò ut verè *laudis ejus plena facta ſit terra; cælóſque ipſos gloria ejus operuerit.* Quare meritò D. Joannes Euangeliſta glorificati hujus corporis pulchritudinem cernens, Chriſtum non ampliùs filium hominis in Apocalypſi ſua nominavit, quemadmodum antea in Euangelio, ſed ſolùm, *ſimilem filio hominis*, Apoc. 1. idque ideo, ùt bene obſervavit Joachimus Abbas: *Quia tanta præeminebat claritate, tanta majeſtatis gloriâ præfulgebat, ut ſicut in eo aliquando, divinitatis ſuæ gloriam occultabat humanitas; ità nunc humanitatis ejus, objectio exinanita, à majeſtatis gloria & abs ſplendore ſummæ lucis abſorpta eſſe videbatur.*

Habac. 3. | Toſtat. Abul. | Matth. 13. | Matth. 27. | Ioan. 8. | Matth. 27. | Matth. 28. | Habac. 3. | Nu. 65. | Apocal. 1. | Ioach. Abb.

In hac igitur glorioſa ſpecie, & præfulgenti decore, ubi ſe Virgini Sanctiſſimæ reſurgens Dominus ſpectandum præbuit; abſque ullo dubio dixerit ei illud, quod poſtmodum Joanni in Apoc. 1. Ecce Mater mea *ſum vivus, & fui mortuus*, & ecce *ſum vivens in ſæcula ſæculorum, & habeo claves mortis & inferni.* Cui & mox ipſa omni gaudiorum genere perfuſa reſponderit haud dubiè: *Sufficit mihi, ſi Filius meus vivit.*

Apocal. 1.

Digitized by Google

vivit. Magnificat anima mea Dominum, & exultavit ſpiritus meus in DEO ſalutari meo; ubi verò conſpexit mortem ipſam ac diabolum Nu. 66.
ſubjugatum; juxta illud Habac. 3. *Ante faciem ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes ejus.* Meritò in vocem illam Exodi 5. eruperit: *Dextera tua Domine magnificata eſt in fortitudine, dextera tua Domine percuſſit inimicum.* Siquidem in Filio ſuo dilecto planè tum, vidit verum Samſonem; qui non portas alicujus urbis Gazæ abſtulit, ſed *portas æreas & vectes ferreos inferni confregit*: vidit verum Proph. Jonam: *Sicut in tribus diebus, & tribus noctibus fuit in ventre ceti, ſic Filius hominis fuit tribus diebus, & tribus noctibus in corde terræ.* Matth. 12. Vidit verum Joſeph è fovea & carcere eductum, non tam Ægypti, quàm cœli terræque conſtitutum *Dominatorem*. Vidit verum *Banaiam*, qui non leonem aliquem animatum de ciſterna extraxit, & confecit; ſed leonem rugientem tenebrarum principem, captum in inferno, vinculis arctiſſimè conſtrinxit; vidit denique filium ſuum velut alterum Jacob, duabus turmis, hominum videlicet & Angelorum regredientem, qui paulò antè baculo crucis innixus, torrentem Jordanis, ſeu verius ſuæ Paſſionis amariſſimum mare pedes pertranſivit. Unde pleno delibuta gaudio addiderit verba Pſaltis: *Convertiſti planctum meum in gaudium, & circumdediſti me lætitiâ, imò ſecundùm multitudinem dolorum meorum, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.*

Habac. 3.
Exodi. 5.
Iſai. 45.
Matth. 12.
Pſal. 29.
Pſal. 93.

Cùm igitur Virgo Sanctiſſima in reſurrectione Filij ſui pulſo omni Nu. 67.
mœrore proprio innumerabili fuerit perfuſa gaudio, meritò cum Divo Anſelmo dicere poſſum: *Hanc immenſitatem gaudij quis penetrare laboret? quoniam quæ ipſis Angelis DEI, eſt admiranda, & impenetrabilis, non facilè crediderim, quod cuivis homini mortali poſſit eſſe penetrabilis.* Imò cum D. Ruperto repentinum illud cordis gaudium æquiparare poſſum torrenti velociſſimo; qui momento temporis, & omnia doloris impedimenta abſtulit, & ſvavitatem inexplicabilem in animam ejus ſanctiſſimam introduxit. Nam *Torrens gaudij*, ait D. Rupertus lib. 7. de Div. Offic. cap. 25. *Repente inundans locúmque vulneris replens. animam ejus ferro doloris confoſſam inebriavit, cùm redivivus Filius illi ante omnes mortales, materno Virginem non defraudans honore, victoriam ſuam annuntiavit, & dulcia carnis ſuæ vulnera, quam illa veram de carne ſua carnem conceptam peperit, deoſculanda præbuit.* Denique

S. Anſelm.
D. Rupert.

Digitized by Google

que immenſitatem hanc gaudij ponderans; cogor, immutare nonnihil verba Jeremiæ, & quæ alias de doloribus ejus protuli dicens: *Magna eſt velut mare contritio tua,* nunc audacter pronuntio: *Magna eſt velut mare lætitia tua.* Siquidem omnia omnino gaudia quæcunque hactenus in corde ſuo receperat & ſenſerat, etiam in Incarnatione, aut Nativitate; ceſsêre illi cordis gaudio, quô inebriata quodammodo fuit ejus diviniſſima Anima. Atſi Virgo Beatiſſima tanto repleta fuit gaudio, quanto nunquam hactenus; meritò quærere quis poteſt, quomodo erat perferendo in mortali hoc corpore, cùm alios homines repentina gaudia quandoque etiam uno propè momento è vivis ſuſtulerint? Certè de Diagora Rhodio narrat M. T. Cicero lib. 1. Quæſt. Tuſcul. cùm is videret tres filios ſuos, in ſtadijs Olympicis una die victores extitiſſe, ipſáſque de certamine reportatas laureas ſuo capiti impoſitas; quòd præ nimia lætitia mox obriguerit, fatíſque conceſſerit: ſimiliter ſcribit & Livius de duabus Matribus Romanis, quæ ubi audîſſent filios ſuos reliquos inter Nobiles occubuiſſe ad cannas, in fatali illo cum Hannibale conflictu, tanto eas abſorptas fuiſſe mœrore, ut forent inconſolabiles, at poſtquam opinione citiùs una earum extra urbem proficiſcens, reducem vidiſſet filium in porta civitatis: altera verò ſedens ad menſam, ſuum vidiſſet conclave ingredientem, ſubitò utraſque præ gaudio expirâſſe: meritò inquam quærere quis poſſet, quomodo B. Virginis cor antea diriſſimis mœroribus oppletum nunc à ſupervenientе hoc ineffabili gaudio non fuerit oppreſſum. Verùm huic ſtatim ſatisfacit objectioni D. Anſelmus, qui diſertè ait, & Virginem morituram fuiſſe, niſi DEUS incolumem remanere voluiſſet, videlicet per ſpeciale quoddam miraculum. Et certè quomodo viribus humanis cor ejus ſanctiſſimum fuiſſet ſuſtinendo illud exceſſivum omnino gaudium, quando tripudiantem Angelorum inaudijt concentum, qui iteratis vocibus repetebant illud: *Regina cœli lætare, alleluja; quia quem meruiſti portare, alleluja; reſurrexit ſicut dixit, alleluja.* Quomodo præterea fuiſſet perferendo exundantes illas animi delicias, quæ à jubilo liberatorum è limbo Patrum provenerunt; dum unanimiter eidem applauſere dicentes: *Lætare & exulta, in omni corde Filia Jeruſalem, en Rex Iſraël Dominus in medio tui, non timebis malum ultrà;* profectò moritura fuiſſet Virgo, niſi DEUS incolumem remanere voluiſſet.

Margin notes: *Thren. 2.* — Nu. 68. — *M. T. Cicero.* — *D. Anſelm.* — *Sophon. 3.*

Qua-

Digitized by Google

Quare cùm nihil gratius Virgini Sanctiſſimæ præſtare poſſimus, quàm gratulari ei ex corde indeptam illam à Filio reſurgente lætitiam, *nam quid convenientius* (ait D. Rupertus ibidem) *quid pulchrius, quid venerabilius, quàm congratulari Matri Virgini ſuper reſurrectione Unigeniti.* Congratulemur igitur & nos illi ex totis viribus noſtris ineffabile illud cordis gaudium, ac cum univerſali Eccleſia ſæpius illud Angelicum repetamus: *Regina cœli lætare*; ut autem cum Chriſto glorioſè etiam aliquando reſurgere mereamur addamus illud D. Gregorij: *Ora pro nobis DEUM, alleluja.* Amen. *D. Rupert.*

Feriâ ſecundâ Paſchatis.

Concio VI.

Unica ad gloriam via, per paſſionem. Hugo Card.

Argumentum. *Cùm Chriſtum ipſum oportuerit pati, & ita intrare in gloriam ſuam: Colligitur I. Tribulationem à DEO immiſſam, verè eſſe amoris indicium, futuræ beatitudinis pignus, & prædeſtinationis teſtimonium: adeóque ab omnibus expetendam; ut quæ nonniſi probis & charis DEO, in augmentum gratiæ & gloriæ ſubmittitur. Colligitur II Proſperitatem hujus ſæculi vanis indultam Coſmophilis certum eſſe pignus & teſtimonium reprobationis; ſiquidem vel ipſo Salomone teſte, Proverb. 1.* Proſperitas ſtultorum perdet eos. *Utrumque variis SS. Patrum teſtimoniis, uti & fide dignis declaratur exemplis.*

Oportuit Chriſtum pati, & itâ intrare in gloriam ſuam. *Lucæ 24.*

ITáne Cœlum pretioſum eſt, ut & ipſum, neceſſe habuerit CHRISTUS JESUS emere ſangvine ſuo, qui pretij erat & valoris infiniti? Itáne gloria cœleſtis æſtimabilis eſt, ut eam quoque ipſe Filius Altiſſimi promereri debuerit paſſione ſuâ ac morte omnium atrociſſima? Nu. 69.

ma?

ma? nam clarè & expreſsè idipſum duobus ſuis Diſcipulis euntibus in
Luc. 24. Emaus, his verbis faſſus eſt: *Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.* Luc. 24. Sic eſt: etiam ſangvine ſuo, etiam doloribus propè infinitis; etiam morte crudeliſſimâ, gloriam illam cœleſtem ſibi promereri neceſſe habuit innocentiſſima humanitas Salvatoris noſtri. Et quamvis abſque paſſione ſua potuiſſet intrare in gloriam ſuam, &
D. Thom. ùt D. Thomas teſtatur; *primò mox inſtanti conceptionis Anima ejus ſibi meruerit gloriam*, tamen nonniſi per paſſionem & tribulationes voluit
Hugo Card. ad eam pervenire; *Ut oſtenderet* (ait Card. Hugo) *non aliam eſſe viam ad Patriam ſive gloriam, quàm per paſſionem, ignominiam & miſeriam.* Hinc non incongruè obſervo Patrem Cœleſtem, de quo D. Paulus ait:
Hebr. 12. *Omnem filium, quem diligit, caſtigat*: cum Filio ſuo naturali & unigenito non aliter proceſſiſſe, quàm quondam cum Joſepho, Davide, aliiſque dilectis, quos per tribulationes graves, per perſecutiones immanes, ad gloriam evehere erat ſolitus: certè de Patriarcha Joſeph: dilucidè id affirmat D. Chryſoſt. hom. de Joſeph: *Joſeph* (inquit)
D. Chryſoſt. *accepturus totius Provinciæ Dominatum, venumdatur in ſervum, in famulum addicitur, ſuſcipit ſervitutis notam, quem Dominus præparabat ad gloriam.* De Davide verò pulchrè D. Auguſt. ait: *Cùm Davidem*
D. Augu.. *DEUS praelegiſſet, & prædeſtinâſſet ad regnum, noluit ipſum ante tenere regnum, quàm à perſequentibus liberaret.* hoc eſt: prius eum voluit pati perſecutiones ab alijs, quàm cum poteſtate imperare, & præeſſe alijs. Nec aliter ſe geſſit erga Filium ſuum proprium, quem noluit etiam ante tenere regnum, aut ſedere ad dexteram ſuam, quàm à perſequentibus, ipſâque cruce infamiſſima liberaret. Imò vel ipſo Tertul. teſte:
Tertull. *Chriſtus non antè Rex gloriæ à Cœleſtibus eſt ſalutatus, quàm Rex Judæorum proſcriptus in cruce fuiſſet.*

Nu. 70. Quæ cùm ità ſint, & verè *oportuit Chriſtum pati*, concludat igitur jam unuſquiſque noſtrûm, & nos oportere pati, ut intremus in
Hugo Card. gloriam. *Si enim ipſum caput noſtrum* (ait Hugo Card.) *ſinè primò peracto labore in terra, in cœlo regnare noluit, niſi per tribulationis viam; quid audent membra ſperare, capite ſuo, magìs ſe eſſe felicia; non ergo ſperemus molliorem viam.* Idcirco & Chriſtus Dominus ubi audîſſet
Marc. 10. duos filios Zebedæi ſibi dicentes: Marci 10. *Magiſter volumus, ut unus ſedeat à dextris & alter à ſiniſtris in regno tuo*; è veſtigio eis repoſuit:

Non

Digitized by Google

Non eſt meum dare vobis regnum. Et hoc quidem non propter impotentiam, ſed *propter juſtitiam*, ait Euthymius hìc: *Gratis enim ſibi dari primatum petebant*; propterea & adjecit: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* quaſi diceret: *Delectat vos locus celſitudinis, ſed prius via exerceat laboris, per calicem enim paſſionis pertingitur ad majeſtatem.* Quare cùm juxta Acta Apoſtolorum c. 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.* Oſtendam ſicut tribulatio eſt ſignum prædeſtinationis; ità è contrario reprobationis eſſe ſignum, proſperitatem hujus ſæculi.

Euthymius. Cajet. Car. Actor. 14.

Tertullianus eximiæ eruditionis Vir; poſteaquam accuratiori indagine obſervâſſet, ultimam morientis Patriarchæ Jacobi benedictionem, quam duobus filijs Joſephi, Ephraim & Manaſſe impertivit; videlicet manus ſuas in modum crucis ſuper capita eorum ponendo, animadvertit unà; ſic quoque & DEUM dilectis ſuis ſolere benedicere, dum ipſe ſuper eos ponit manus in modum crucis, & copioſas cum benedictione tribulationum immittit cruces: *Si* (inquit) *decuſſatæ in modum crucis, DEI ſuper nos manus fuerint, benedictionem ſortiemur*; quaſi verò benedictio à Domino conſiſtere non poſſet ſinè crucibus, ſinè tribulationibus. Ampliùs obſervo; ſi verum illud D. Laur. Juſtiniani: *Tribulatio amoris indicium eſt, futuræ beatitudinis præſagium; & prædeſtinationis teſtimonium.* Clarè infero tales, qui patiuntur, eſſe *filios DEI, hæredes cœli, cohæredes Chriſti*, adeò ùt tribulationes immiſſæ, ſint quidam quaſi annuli, quibus ipſi deſpondentur cum DEO; agnovit idipſum S. Gertrudis, quæ Bloſio teſte in mon. ſpir. c. 10. dicere ſolita eſt: *Quòd quemadmodum annulus eſt ſignum deſponſationis, ita adverſitas, tam corporalis quàm ſpiritualis, humiliter propter DEUM tolerata, eſt veriſſimum ſignum divinæ electionis, & quaſi deſponſatio Animæ cum DEO; in tantùm ut gravatus quiſque confidenter dicere poſſit hæc verba; annulo ſuo ſubarrhavit me Dominus meus JESUS Chriſtus.* Nu. 71.

Tertullian. S. Gertrud. apud Bloſ.

Quare & Chriſtus Dominus cùm videret nullam aliam ad cœlum patere viam, quàm cruciatam, quàm illam quæ innumeris tribulationum ſpinis ſtrata eſſet; meritò diſcipulis ſuis pro futura ipſorum directione dixit: *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum*; quaſi diceret, ità planè & non aliter diſponam vobis iter ad regnum, Nu. 72.

Luc. 22.

Digitized by Google

quàm mihi Filio ſuo diſpoſuit Pater. Cùm igitur Pater meus mihi ſolummodo regnum diſpoſuerit per tribulationes ipſáſque pœnas mortis acerbiſſimas; *Oportuit enim Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.* Nec ego vobis aliter idem regnum diſponam, ſed efficiam, ut ſimiliter per tribulationes intretis in gloriam meam. Pulchrè hac de re loquitur D. Rupertus: *Hac regula eſt apud Cœleſtem Regem, ut ſicut ipſi Pater, ita nobis ipſe diſponat in regno præmium, ut ſi ſuſtineamus, conregnemus; ſi compatiamur, conglorificemur; ſi amarum calicem bibamus, conſideamus in regno.* Quare & verba illa, *ſi quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me*; non ad Diſcipulos duntaxat ſuos, ſed ad omnes omnino mortales protulit, qui regnum cœlorum intrare deſiderant: *Non enim admonitionem hanc* (ait D. Auguſt. hom. 47. in diverſis) *Virgines audire debent & non maritatæ, aut Viduæ debent, & nuptæ non debent; aut Monachi debent, & conjugati non debent? ſed univerſa Eccleſia univerſum corpus, univerſa membra, per omnia officia diſtributa audire debent: ſi quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam.*

Luc. 24. — *D. Rupert.* — *D. Auguſt.*

Nu. 73. Et ſanè ſi rem paulò attentiùs diſpiciamus, deprehendemus DEUM Opt. Max. non aliâ viâ ſuos ducere conſveviſſe ad feliciſſimæ æternitatis refrigerium, quàm per aquam & ignem, variarum tribulationum. Nec alia ipſis mittere munera, quàm cruces, afflictiones, perſecutiones cum ſpe tamen certiſſimæ quondam remunerationis; unde quemadmodũ olim Rex Aſſyriorum Alexander in ſignum ſpecialis gratiæ & amicitiæ, Jonathæ Judæorum Principi ſubmiſit purpuram, & coronam auream 1. Mach. 10. unà indicans eum, qui geſtare præoptet coronam auream, debere priùs ſe amicire purpurâ. Ità & DEUS dilectis ſuis mittere ſolet purpuram tribulationum, & coronam auream futuræ gloriæ. Nam ùt præclarè ait Hugo Card. in cap. 3. Joannis: *Talia mittit Chriſtus, & dat amicis ſuis munera purpuram ſcilicet tribulationis, cum ſpe futuræ retributionis, quæ ſignificatur per coronam, corona enim non eſt ſinè purpura, ſi compatimur & conregnabimus.* Quandocunque igitur bonus DEUS alicui ſuorum ſubmittit purpuram, varijs afflictionum cruculis exornatam, ſignum infallibile eſt, quod ei ſimul quoque diſponat coronam: *Si quando tentaris & affligeris*, confirmat idipſum D. Ambroſius, *cognoſce, quia & tibi paratur corona.* O quàm mul-

1. Mach. 10. — *Hugo Card.* — *D. Ambroſ.*

multis id omnino accidit, quos divina bonitas, partim per infirmitates & dolores corporis, partim per paupertatem & rerum inopiam, partim denique per varias tentationes & perſecutiones duxit ad coronam gloriæ. Certè in Turrium Cœnobio ùt memorat Moſchus in ſuo prato ſpirituali c. 8. canitie venerandus ſenex Myrogenes nomine adeò ſeverè vixerat, ut magna ſanctitatis laude eſſet conſpicuus. Hic tamen DEO ſic diſponente in maxima corporis incidit incommoda, maximè verò exercebatur Hydrope, nec tamen ab eo liberari poſtulabat. Veniebant ergo ad illum è diverſis locis, qui eum conſolarentur, rogarén tque ut in iſta præſertim ætate, atque invaletudine nonnihil de tam auſtera vivendi conſvetudine remitteret; his ille aliud nihil reſpondebat, quàm ut diceret: *Orate pro me Patres, nè interior homo hydropicus fiat. Ego enim ut in hac infirmitate diutiùs durem, DEUM oro.* Hunc eundem cùm audiviſſet Hieroſolymitanus Archi-Epiſcopus Euſtachius, adeò vehementer morbo afflictum; conſtituit ei ſuppeditare, quicquid vel Medicorum ars, vel imbecillitas corporis exigeret; Myrogenes autem omnia repudiavit hoc ſolùm ab Archi-Epiſcopo petens: *Ora pro me Pater, ut liberer ab æterno cruciatu.* Maluit nimirum hydropicus in aquis, quod deliquiſſet eluere, quàm exurendum in æternos ignes reſervare. Sic Abbas Stephanus ad 60. annos in omni virtutum palæſtra exercitatiſſimus; nîl tantopere à DEO expetijt, quàm cruciari; ſciverat enim & ipſe morbos, alióſque corporis animæque dolores eſſe ſpeciales quoſdam favores, quibus DEUS ſuos afficere ſolet. Hinc quod petijt obtinuit, & in morbum injectus eſt eúmque prorſus incurabilem. Quem tamen adeò non curabat, ut dum Medici membra ejus putreſcentia ſecarent, ille (quaſi in alieno corio luderetur, neque cruciatus ad ſe pertinerent) manibus opus faceret, ac folia palmarum plecteret: cúmque morbus in ſummo incremento eſſet, etiam circumſtantibus conabatur perſvadere, ut de ejuſmodi rebus non dolerent, neque aliud ſolliciti, niſi de bono vitæ fine cogitarent: *DEUS,* inquiebat, *quæ fecit cuncta utilia ſunt. Ego autem novi hujuſcemodi morbos propter peccata accidere, & melius eſt hîc pœnas ſolvere, quàm poſt mortem perpetua ſupplicia ſuſtinere.* Nu. 74.

Moſchus in prat.

Si igitur à DEO immiſſa tribulatio, verè eſt amoris indicium, futuræ beatitudinis præſagium prædeſtinationis teſtimonium, ùt colligitur Nu. 75.

gitur ex hactenus dictis evidenter ſequitur proſperitatem hujus ſæculi, vanis indultam Coſmophilis eſſe ſignum infallibile reprobationis divinæ; juxta illud Prov. 1. *Proſperitas ſtultorum perdet illos.* Agnovit ſanè idipſum, denſa licèt idolomaniæ caligine involutus Philoſophus Seneca, qui libro de providentia, chriſtianè planè aſſerere auſus eſt, infeliciſſimum eſſe eum, qui in hoc mundo non exercetur adverſis. Verba ejus audire libet: *Nihil eo infelicius eſt* (inquit) *cui nihil evenit adverſi, argumentum enim eſt eum à DEO contemni.* Hinc & D. Hieronymus poſtquam accuratiùs ipſam longanimitatem DEI, mente pervolviſſet, quâ Peccatoribus pœnas debitas prorogando differt; eandem non parvam, ſed magnam iram DEI nominavit: *Magna ira eſt* (ait Epiſtola ad Caſtrut:) *quando peccantibus non iraſcitur DEUS, patet id ex Ezechiele, quando ad Jeruſalem ait, jam non iraſcar tibi, zelus meus receſſit à te; medicus enim ſi ceſſaverit curare, deſperat.* Nec aliter ſenſit D. Auguſtinus, qui in explanatione Pſalmi 9. tomo 8. hæc ponderosè effatus eſt: *Multùm iraſcitur DEUS dum non exquirit, dum quaſi obliviſcitur & non attendit ad peccata, eorum qui per fraudes & ſcelera ad honores divitiáſque perveniunt.* D. Bernardus verò ponderans illa, digna memoratu verba Iſaiæ Prophetæ: *Miſereamur impio, & non diſcet juſtitiam.* cap. 26. timore ac tremore plenus, ſerm. 42. in Cant. exclamavit: *Ah ſuper omnem iram miſeratio iſta eſt, procul fiat miſeratio tam crudelis.* Rationem hujus dicti aſſignat ſermone de triplici miſericordia. *Quia videlicet hæc miſeratio ſeu miſericordia non auffert pœnas, ſed differt; non confert ſalutem, ſed auffert. Hanc ego miſericordiam Domini, inquit, quæ tardat ferire parvam nomino, quia hæc ſi quidem ſola fuerit, nullatenus ſufficit ad ſalutem, imò verò judicium damnationis accelerat.*

Prov. 1. — *Seneca.* — *D. Hieron.* — *D. Auguſt.* — *D. Bernard.* — *Iſa. 26.*

Nu. 76. Quæ cùm ita ſint & verè proſpera hujus ſæculi felicitas, vanis mundi Amaſijs conceſſa, non miſeratio, ſed DEI ira, non favor, ſed ruina eſt, ergo non invideamus eam ipſis, ſed magis deploremus eos, ſiquidem Minutio Felice teſte in Octav: *Tales ùt victimæ ſaginantur, ùt hoſtiæ ad pœnam coronantur.* Interim tamen non deſunt; qui cum Jeremiâ querulari non ceſſant, ipſique DEO objiciunt: *Cur Domine proſperatur via impiorum?* cap. 12. imò quæruntur nonnulli, ait D. Ambroſ. lib. 1. offic. c. 16. *Cur peccatores abundent opibus & divitiis?*

Min. Felix. — *Ierem. 12.* — *D. Ambroſ.*

cur

Digitized by Google

cur epulentur jugiter ſinè mœrore, ſinè luctu; juſti autem egeant, & affligantur? At paucis his ex eodem D. Ambroſ. reſponderi poteſt: *Idea via eorum proſperatur; veſtra verò repletur moleſtiis & miſeriis, quia horum requies erit in inferno veſtra autem in cœlo.* Nec abs re; ſicut enim animalia quæ eduntur; ſaginantur bene, ſed ad necem: ità & reprobi impingvantur bonis terræ,& ſaginantur ad necem ſempiternam Aptè hac de re loquitur D. Damianus, dum tribulatos, his verbis affatur: *Noli hujus vitæ felicitatem pravis hominibus invidere, ſed condole; imò quia ipſi non dolent potiùs ingemiſce, ut qui velut bruta animalia ad macellum properant.* Pulchrè huc, ad elucidandum dicta, quadrat fabula de Ruſtico, porcum & canem alente. Canis interdiu ovium gregem cogebatur comitari in paſcua, contra luporum incurſus continuas agere excubias, ſuſtinere æſtum & frigus, nimbos pati & nives, famem tolerare & ſitim, nam totis diebus exceptâ fors Dominicâ vix fruſtum panis à Paſtore ſuo accipiebat, præter arida oſſa quæ roderet, vix aliud inveniebat. Porcus interim genio indulgens & cuticulam ſuam curans, totus otio & ſagina pingveſcebat; interdiu ſemper in cœno & paſtu, noctu in ſtramine, & ſomno, cùm cani præ foribus excubandum, & contra fures indeſinenter pervigilandum eſſet. Impatientiâ ergo tandem atque invidiâ ſtimulatus, non ſinè ejulabili latratu, herum ſuum acceſſit, eíque exprobravit indignitatem rei; quòd videlicet ſetoſum, fædum, otioſum ac inutile animal, pingviſſimis offis delicatè nutriret, ſibi verò fideliſſimo cuſtodi domûs atque ovium, oſſa duntaxat exſucca objiceret, & indurata panis fruſta, quæ alius nemo comeſſe vellet? Huic ruſticus bellè reſpondit: nè ſuccenſeas mihi, fidelis canis, diem craſtinum ſolummodo expecta, & videbis in quem finem, hunc obeſum porcum tam delicatè ſaginaverim. Altero die cùm canis videret lanionem cultrò, primùm in jugulo porci, mox etiam in ventre & unctiſſimo larido, totíſque inteſtinis cruentiſſimè ludentem, ſubjectáque ſartagine, ſangvinis rivos excipientem, quamvis beſtia miſerandum in modum grunniret, dixit ad herum: ſi hic ſaginæ finis eſt, nolo ſaginari, magìs mihi proſunt oſſa & mucidus panis. Non longo epimythio opus eſt huic Apologo. Siquidem & ipſi vanitatis aſſeclæ omnes: *Pingues terræ, ut victimæ ſaginantur, ut beſtiæ ad pœnam coronantur* eámque æviternam.

D. Pet Damian.

Nu. 77.

Apologus.

Nu. 78. Profectò id fuêre experti non ſolùm illi vitiosè pingves Iſraëlitæ, *Pſal. 77.* de quibus Pſaltes Pſ. 77. *Adhuc eſca eorum erant in ore ipſorum, & ira DEI aſcendit ſuper eos, & occidit pingues eorum.* Nec ſolùm *pinguiſſimus* *1. Reg. 15.* *Aga, quem in fruſtra concidit Samuel coram Domino in Galgalis,* 1. Reg. 15. Sed & plures alij, qui in ipſo proſperitatis apice ab ira DEI comprehenſi, meritas dederunt pœnas. Eorum ſanè è numero teſte Æmilio lib. 8. & Platina in Nicol: 3. fuit Hugolinus Girardeſcus Civis Piſanus Gvelfarum partium Princeps, qui contraria factione Gibellinorum, partim pulſa, partim perculſa, eò potentiæ domi pervenit; ut nutu omnia adminiſtraret, Patriæque Dominus & eſſet, & haberetur. Feſtivo die ſuo natalitia dabat, invitaveràtque ad convivium, regio prorſus apparatu inſtructum omnes amicos ſuos; inter epulandum fortunam ſuam velut alter Haman mirificè deprædicando extulit, atq; ut laudibus ſuis alieno teſtimonio coronidem adderet; quen- *Æmilius.* dam ex intimis amicis, Marcum interrogavit: *Quid tandem ſibi deeſſe arbitraretur?* cui Marcus philoſophicâ libertate; *ſola,* inquit, *Numinis ira, procul diùque abeſſe à tam ſecundis rebus non poteſt.* Dictum grave, ſed omnino verum fuit, ſiquidem non multò poſt Gvelfarum viribus conſeneſcentibus, Gibellini arreptis armis ædes ejus expugnaverunt, unum è filijs & nepotibus vim arcere conatum occiderunt, ipſum cum duobus filijs & tribus nepotibus comprehenſum, atque in turrim concluſum, abjectis in flumen clavibus, fame diriſſimâ mori coëgerunt. Et hic eſſe ſolet fortunatorum exitus, ut meritò metuere habeant, Numinis iram procul diùque abeſſe à tam ſecundis rebus non poſſe, quibus omnia ad vota fluunt. Quemadmodum è contrario ſpe magna ſe ſolari poſſunt, qui adverſis innocenter, atque immeritò exagitantur. *D. Auguſt.* *Non moveant igitur juſtum* (verba ſunt magni Auguſtini) *quod qui faciunt mala, in iſto ſæculo floreant; exultant enim nunc, & poſtea damnantur ùt alieni. Interim boni laborant, qui flagellantur ùt filij.* in Pſ. 9.

Nu. 79. Quare cùm verè *per multas tribulationes oporteat nos intrare in* *Actor. 14.* *regnum DEI,* imò *non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit,* ùt ait *2. Tim. 2.* Paulus 2. Timoth. 2. optandum omnino eſſet, ut cum D. Catharina Senenſi repudiata omni prorſus felicitate mundana unicè tribulationes à DEO immiſſas gratanter acceptaremus. Hæc enim, cùm à Chriſto ſibi apparente, optio daretur, unam è duabus coronis, ſpinea videlicet

& au-

& aurea eligendi quam vellet, abſque more relictâ aureâ ſpineam arripuit, ſuóque capiti arctiſſimè impreſſit: *Ut ſic per illam, ad auream cœli perveniret*, inquit Surius in vita; ſciverat namque perbellè hæc Sancta Virgo, & *Chriſtum propoſito ſibi gaudio ſuſtinuiſſe crucem, nec ante voluiſſe eſſe & appellari Regem gloriæ, quam ſpinis coronatus Rex Judæorum, proſcriberetur in cruce.* Ità ſanè & nobis agendum eſt, ſi enim optimus DEUS nobis quoque ſubmittat tribulationes, acceptemus eas cum gratiarum actione, dicentes quoniam per eas promeremur Cœlum: *Nam magna DEI electis eſt conſolatio*, ait D. Petrus Dam. *ipſa divina percuſſio, quia per momentanea flagella quæ perferunt, ad nanciſcendum ſupernæ beatitudinis gloriam, ſpei greſſibus convaleſcent.* Verbo, non modicum quibuſcunque tribulationibus preſſus, habere poteſt ſolatium, in verbis his: *Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.* *Surius.* *Luc. 24.*

Feriâ tertiâ Paſchatis.

Concio VII.

DEUS in medio ejus. Pſalm. 4.

ARGUMENTUM. *Cùm & DEUS in lege veteri, & Chriſtus plerumque in nova, inventus ſit ſtans ſuos inter in medio:* Omnibus enim erat communis, *ait D. Thomas*, à nemine recedebat longiùs ad neminem accedebat propiùs, ſed omnibus æqualiter aderat atque proderat. *Oſtendo in præſenti quemlibet Patremfamilias in ſua domo, Judicem in urbe, Principem in regione ſua ſtare debere in medio, nec ſe per affectum perſonarum, aut munera è medio æqualitatis abripi ſinere. Siquidem affectus ille inordinatus & ſanctiſſimos in tranſverſum agere poteſt, quemadmodum egit Patriarcham Jacob; Joſephum ſuum pluͤs ſolitò diligentem: munera verò etiam ſapientiſſimorum oculos excæcare ſoleant, uti accidit Iſaaco, ac Davidi Regi muneribus corruptis.*

Stetit in medio eorum. *Luc. cap. 24.*

Nu. 80. QUid amabò locus medius ſpeciale habere poteſt præ
alijs, quòd noſter benigniſſimus Dominus JESUS,
cum tanto ſemper affectu & adamaverit, & ſibi dele-
gerit? quid inquam hic locus prærogativæ aut ſingula-
ritatis habet, quòd ipſe, toties in eo vel ſtans, vel ſe-
dens, vel jacens repertus ſit? certè vix in ſtabulo fuit
natus, & jam medius bovem inter & aſinum, à Virgine Matre voluit
Habac. 3. collocari; diſertè enim idipſum prædixit Propheta Habacuc c. ſuo 3.
juxta ſeptuaginta Interpretes: *In medio duorum animalium cognoſceris.*
Rurſum cùm duodennis Jeroſolymis relictus moraretur in templo, &
eum dolentes quærerent per totum triduum Parentes; tandem non
Luc. 2. alibi, quam in medio inveniri voluit: *Invenerunt illum ſedentem in me-
dio Doctorum,* ait Lucas c. 2. Cùm reliquos inter peccatores accederet
ad Jordanis fluenta baptizandus; à Joanne viſus eſt denuo in medio:
Ioan. 1. *Medius autem veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis*, inquiebat de eo Joan-
nes ad turbas c. 1. Sic in monte Thabor transfiguratus corpore, me-
Matth. 17. dius Moyſem inter & Eliam comparuit, Matth. 17. Sic in ultima cœ-
na ſtetit in medio ſuorum Apoſtolorum, dicens: *Ego autem in medio*
Luc. 22. *veſtrûm ſum, ſicut qui miniſtrat*, Luc. 22. Sic & in monte Golgothæo
in medio duorum latronum crucifigi prælegit; nam *crucifixerunt*
Ioan. 19. *eum*) ait Joannes c. 19.) *& cum eo alios duos hinc & hinc, medium au-
tem JESUM.* Denique à mortuis redivivus etiam non alium tenere
voluit locum, quàm ſibi familiarem; *medium.* Nam non ſolùm Ema-
untinis aſſociatus peregrinis ibat medius, ut conſtans Patrum eſt tra-
ditio: ſed & Apoſtolis ſuis comparens medium ſe collocavit: *Stetit*
Luc. 24. *JESUS in medio eorum*, ait Lucas 24. ſimiliter & Joannes: *Venit JE-*
Ioan. 20. *SUS, & ſtetit in medio*, c. 20. Imò quod mireris, quemadmodum olim
viſus fuit à Joanne in Apocalypſi ſua, ità etiamnum moratur, *in medio*
Apocal. 1. *candelabrorum aureorum*, c. 1. id eſt, *in medio Eccleſiarum*, ùt exiſti-
mat D. Thomas. Cur igitur toties iu medio? ſanè ſi vel ipſo Ariſto-
Nu. 81. tele teſte, non alibi reperiatur quàm *in medio virtus*; ubinam obſe-
cro magìs eſſe debuit Chriſtus quàm in medio? qui eſt, & dicitur à SS.
PP. Leone & Gregorio, &c: *Virtus Patris æterni*? ſi Sol ſiderum prin-
ceps,

Digitized by Google

ceps, medium ſe gyrat inter Planetas, & D. Ambroſio teſte lib. 4. hexam. cap. 6. *A nullo magis diſtat, nulli præſentior, nulli abſentior eſt.* Quid mirum quod & Chriſtus *Sol juſtitiæ* Malach. 4. medium teneat locum, *ubi nulli præſentior, nulli abſentior eſt?* Si denique JESUS noſter perhibente Paulo 1. ad Timoth. 2. *Mediator DEI & hominum eſt.* Neceſſe ei erat ſtare in medio. *S. Ambroſ.* *Malach. 4.* *1. Tim. 2.*

Nihilominus ſi Patrum conſulam oracula, non vulgares ſed præclaras alias invenio rationes, cur in medio ſtare conſveverit: *Chriſtus ſtetit in medio* (ait D. Bernard. ſerm. 1. de Prov.) *quia non eſt acceptio perſonarum apud eum, in communi poſitus eſt, offertur omnibus, & nemo illius expers, niſi qui renuit.* conſentit & D. Thomas hìc: *In medio invenitur JESUS, quia omnibus eſt communis, à nemine recedit longiùs, ad neminem accedit propiùs, ſed omnibus æqualiter adeſt, ac prodeſt.* Hinc Tertull: contra perverſos Judices agens, qui affectu ſuo uni magìs quàm alteri appropinquare ſolent, eis in exemplum propoſuit Dominum: *Qui non dignitatum aut natalium cujuſquam diſcernit merita, ſed omnibus æqualis, omnibus Rex, omnibus DEUS & Dominus eſt.* Ponderoſæ igitur hæ Patrum ſententiæ tantùm apud me valuerunt, ut idipſum in præſenti dictione pertractare decreverim, oſtendendo videlicet cuilibet Patrifamilias in domo ſua, Judici in urbe, Principi in ditione, ad exemplum Chriſti eſſe ſtandum in medio, nec declinandum ad unam partem magìs, quàm ad alteram. *D. Bernard.* *D. Thomas.* *Tertullian.*

Si quiſpiam ex me quæreret; quid quæſo veram unitatem cum vinculo pacis atque concordiæ inviolatam conſervat, in una aliqua domo, urbe, aut regno? huic è veſtigio reſponderem ex D. Thoma: Si is qui præeſt, *in communi poſitus à nemine recedat longiùs, ad neminem accedat propiùs, ſed omnibus æqualiter adſit, atque proſit,* ſeu quod idem eſt; ſi amet æqualitatem ad omnes, excludat partialitatem, & ità erga cunctos ſe gerat, ut de eo idem dici poſſit, quod de Chriſto Euangeliſtæ: *ſtetit in medio eorum.* Hinc DEUS Optimus videns hominem, facili negotio tam à munerum pondere, quàm à perſonarum reſpectu, in alterutram partem poſſe è medio æqualitatis detorqueri, graviſſimè omnibus & ſingulis hæc præcepit Præſidibus, Exodi 23. *Non accipies perſonam neque munera, quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum.* Nec prohibuit ſolùm, ſed exemplo quoque Nu. 82. *D. Thomas.* *Ioan. 20.* *Exodi 23.*

 omni-

Pſal. 45. omnibus præire voluit; dum & ipſe Pſalte teſte, non alibi quàm in medio inveniri voluit: *DEUS in medio ejus*, Pſal. 45. ſeu ùt explicat Divus

D. Auguſt. Auguſtinus, enarrat. in Pſal: *Eſt DEUS in medio, quia æquus eſt omnibus DEUS, & perſonas non accipit: quomodo enim illud quod in medio eſt, paria habet ſpatia ad omnes fines; ita DEUS eſſe dicitur æqualiter omnibus conſulens Judæis & Gentibus.* Ipſis etiam quod mireris in pœnis,

Nu. 83. medij tenaciſſimus DEUS debitam ſervat æqualitatem. Nam cùm Iſraëlitæ, dilectus alioquin populus, ab eo deſciviſſent, ſecuti Deos alienos, punivit eos 70. annorum captivitate: *Servient*, inquit ad Je-

Ierem. 25. remiam c. 25. *Regi Babylonis 70. annis.* Sic etiam cùm Tyrij Idololatræ, graviſſimis ſuis ſceleribus DEUM ad infligendam pœnam provocâſſent, non majorem ſed planè ſimilem inflixit pœnam; dum per Iſai-

Iſai. 23. am eis hæc diceret: *In oblivione eris ô Tyre ſeptuaginta annis*, cap. 23. & hoc eum in finem faciebat, ſapientiſſimus DEUS, nè ſi Judæos minori affligeret pœna, quàm Gentiles, cenſeretur eſſe perſonarum acceptor, audirétque magìs Judæorum quàm Gentium DEUS: pulchrè

Theodoretus. in rem hanc loquitur Theodoretus: *Frænat DEUS Judæorum & Tyriorum ſuperbiam: nam quod tempus præfinivit, vaſtitati Jeroſolymæ, idem præfinit & vaſtitati Tyri; idem enim Judæorum ac Gentium eſt DEUS.*

Nunc quemadmodum Pater cœleſtis fuit *DEUS in medio*; ità animadverto & Filium ejus fuiſſe, *DEUM in medio*: dum Patris ad exem-

Nu. 84. plum non alibi, quàm ſtare in medio voluit omnibus communis, omnibus æqualis. Certè ſi ejus genealogiam ſecundum carnem ſpectemus, habuit is matrem, nutritium, conſangvineos, & tamen quod bene obſervavit, Eugubinus. Ità erga eos ſe geſſit, ut palàm oſtenderit, ſe eſſe *Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech*, id eſt, quemad-

Hebr. 7. modum Melchiſedech teſtante D. Paulo ad Hebr. 7. *Fuit ſinè Patre, ſinè Matre, ſinè genealogia*; ità Chriſtus Dominus ab immodico cognatorum affectu, adeò erat alienus, acſi nullo neceſſitudinis jure cum illis teneretur; ſatis enimverò id declarant verba, quæ in ſynagoga Judæorum ad eos protulit, qui dixerunt: *Ecce mater tua, & fratres tui*

Matth. 12. *ſtant foris quærentes te*, Matth. 12. *Tum enim quaſi conſanguineos non agnoſceret*, ait Mendoza in lib. Reg. *interrogando quæſivit. Quæ eſt*

P. Mendoza. *mater mea, & qui ſunt fratres mei? indicans ſe nullo propemodum neceſſitudinis jure teneri, ſed eſſe DEUM in medio omnibus æqualiter conſulentem,*

Digitized by Google

tem, & amicis & non amicis. Ampliùs idipſum declarat præfervida Diſcipulorum contentio, quando in ultima cœna Luc. 22. inter ſe non leviter contendebant: *Quis eorum videretur eſſe major.* Viderant ſanè Diſcipuli reliqui non levia amoris indicia, tribus illis intimis Petro, Jacobo, & Joanni à Chriſto exhibita; audierant, nullus dubito & verba illa; quibus Petrum Vicarium ſuum in terris conſtituere decreverat, dicens: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*; & tamen his non obſtantibus, inter ſe contenderunt: *Quis eorum videretur eſſe major.* Profectò ſi rem penitiùs inſpiciam, animadverto cum Mendoza noſtro in lib. 1. Reg. c. 1. num. 5. nullam aliam cauſam fuiſſe, *Quàm quia æquiſſimus ille Magiſter tanta in omnes æquitate utebatur, tum paria in ſingulos beneficia conferebat, ut unuſque non immeritò ſibi major videretur.*

Luc. 22.

Matth. 16.

P. Mendoza.

Nu. 85. Nunc igitur quemadmodum DEUS, DEíque Filius, medium tenuêre; ità unicè exoptant, ut Præſides quoque inter ſuos teneant medium, nimirum Pater- aut Materfamilias ſtet domi ſuæ in medio; Judex in civitate, Princeps in regno, nec ad unum affectu inordinato magìs feratur, quàm ad alterum, multò minùs donis aut muneribus de æqualitatis medio ſe ſinat protrahi. Et certè ſi in domo una aliqua Pater aut Mater non ſtaret in medio ſuarum prolium, uni v. g. filio aut filiæ quòd formoſiores eſſent, magìs faverent quàm cæteris; quid aliud ea in domo oriretur, quàm rixoſa animorum, cordiúmque diſſenſio, uti accidit in domo Patriarchæ Jacob; ubi *videntes fratres, Joſeph, quòd à Patre plùs cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui.* Gen. 36. Quare meritò S. Mediolanenſium Antiſtes, omnes & ſingulos Parentes ſeriò monendos cenſuit, lib. de Joſeph: *Amor patrius* (inquit) *niſi moderationem teneat, nocet liberis, ſi aut nimia indulgentia dilectum reſolvat, aut prælatio unius, cæteros ab affectu germanitatis avertat; plùs aquiritur filio, cui fratrum amor acquiritur*: concludit demum: *Jungat liberos æqualis gratia, quos junxit æqualis natura.*

Geneſ. 36.

D. Ambroſ.

Nu. 86. Nec aliter accideret in urbe quapiam aut republica, ſi Judex vel Princeps relicto æqualitatis medio, traheretur perſonarum reſpectu, huic aut illi magìs afficeretur, quòd conſangvineus, amicus, prædives eſſet, quàm alteri qui ejuſmodi careret notis; tum enimvero non ſolùm graviter læderetur juſtitia ejúſque curſus inter-

ter-

Digitized by Google

terverteretur, ſed & graviſſima excitarentur diſſidia, animorum aver- ſiones; odia, invidiæ; rixæ, omniúmque malorum in capita Præſidum, imprecationes. Graviter idcirco Judices hortatus eſt D. Auguſtinus, dicens ſerm. 14. ad Fratres: *In medio, qui terram judicant, incedere debent, nec declinare ad dextram, molliendo judicium, nec ad ſiniſtram exaſperando ſupplicium.*

D. Auguſt.

Nu. 87. Hujus rei exemplum luculentiſſimum habemus in Prophetarum manſvetiſſimo Moyſe, qui in judicijs, Scripturâ teſte Exodi 34. *Operiebat faciem ſuam, quando loquebatur ad eos*; idque ea de cauſa faciebat: *nè ad hunc potiùs quàm ad illum oculos intendere videretur*, ait Doct. Lyranus, nec mirum quod hoc æquitatis amantiſſimus fecerit Moyſes: ſiquidem apud D. Baſilium lego Epiſt. 79. idipſum feciſſe & Judices olim, qui nunquam capitalem ferebant ſententiam, niſi velatis prius oculis; nè videlicet oculis conſiderando perſonas traherentur è medio, eorum reſpectu. Imò quàm tenaciter idem Propheta Moyſes æqualitatem adamaverit, teſtari poteſt vel ultima ejus voluntas, quâ immemor Filiorum, conſangvineorum, aliorúmque charorum, quos ineptos judicavit; Principem pro ſe ſuper univerſum Iſraël conſtituit hominem alterius tribus, Joſue Filium Nun: *Moyſes amicus DEI* (ait D. Hieron. in cap. 1. Ep. ad Titum) *potuit utique ſucceſſores Principatûs Filios ſuos facere, & poſteris propriam relinquere dignitatem; ſed extraneum de alia tribu elegit Joſue, ut ſciremus Principatum in populos non ſanguini deferendum eſſe, ſed vitæ.* Interea quod deplorandum eſt! Parentes immemores boni publici, filios ſuos licet ineptos, in officijs ſibi ſubſtituunt; Judices verò tantum abeſt, ut oculos ſuos velent, in ferendis ſententijs, ſed ultrò in eos oculos intendant, qui vel ſangvine ijs ſunt juncti; vel muneribus onuſti in judicium procedunt; hinc fit, ut turpiſſimè ex æquitatis medio protracti; injuſtitiæ fiant adminiſtri, qui juſtitiæ debebant eſſe propugnatores; contra hos zelo divino incitatus D. Auguſt. bene profatur ſerm. 35. de tempore: *Vos ô Judices reputati eſtis ab hominibus duces populi, orphanorum Patres, viduarum mariti, juſtitiæ zelatores, reipublicæ amatores. Cavete ergo, nè corrumpamini odio, amore, pretio, precibus, vel timore; decet igitur Judices, plus honorem DEI, quàm marſupia plena diligere. Sed væ vobis ô Judices, væ vobis in æternum, quia non eſt in vobis veritas, non miſe-*

Exod. 34.

Lyranus.

D. Baſilius.

D. Hieron.

D. Auguſt.

miſericordia, non pietas, non juſtitia; nec ſcientia DEI in vobis poteſt inveniri; regnat in vobis acceptio perſonarum, non eſt veritas in vobis, ô patres pauperum! ô verè non patres, ſed pradones! Quare non patres? quia ubique per vos opprimuntur, nec eſt, qui miſereatur pupillis DEI, ſed ſi dives locutus fuerit, mox tacuiſtis, cauſas ſuas uſque ad nubes perduxiſtis. Conſiderate igitur ô Judices terræ, quid per Oſeam DEUS loquatur, ait enim: Viſitabo populum meum, & Judices, & vias eorum, & cogitationes eorum reddam eis. hactenus D. Auguſtinus.

Hoc non obſtante; tantam nihilominus in homines, munera exercent potentiam, tantas vires exerunt, ut ſapientiſſimos etiam ſubigant, atque confundant; nam non ſolùm veriſſimum eſt illud D. Gregor. Naz. in ſent: *Ut aves laqueo, ſic ſapientes auro capiuntur*; ſed quod gravius eſt, ſic capiti inſuper oculis privantur, & excæcantur. *Munera enim,* ait ipſemet DEUS Exod. 23. *excæcant oculos ſapientum*, & quidem illos ipſos, quos juſtitiæ velo, cum Moyſe aliiſque æquitatis arbitris obvelare neglexerunt. Quod proinde ut exemplis confirmem, dicat mihi nonnemo, quid bonum ſenem, juſtiſſimum alioquin Patriarcham Iſaac è medio domûs ſuæ protractum; eò deduxit, ut immemor æqualitatis Eſau mägis dilexerit, quâm Jacob: & quidem Eſau hominem ferum, agreſtem, inobedientem, qui contra expreſſam Parentum voluntatem; junxit ſe Chananæis? quid inquam bonum Iſaac impulit, ut præ Jacobo ſimplici & optimo adamaverit Eſau peſſimum? nunquid non hæc fecêre munera, quibus Parentis oculos excæcavit, & in ſui attraxit amorem? Munera ſanè Iſaacum & cæperunt, & excæcaverunt; nam clarè idipſum judicat ſacer textus Gen. 25. *Iſaac amabat Eſau, eò quòd* (nota cauſalem) *de venationibus illius veſceretur.* Hinc illi amores! quia Eſau Patri offerebat feras manu ſua captas, quia ei obtrudebat offas, quibus libenter veſcebatur, ideo neglecto Jacobo licèt optimo, qui hæc non præſtitit; *Iſaac amabat Eſau.* Bene proinde in hunc locum ait Doctiſſ. Oleaſter: *Mirum valde eſt, quod etiam inter Parentes & filios, munera amorem gignant, & augmentent.*

Nu. 88. D. Gregor. Naz. Exod. 23. Geneſ. 25. Oleaſter.

At longè mirabilius eſt, quod ipſe quoque David, juſtitiæ propugnator acerrimus, imò legum, juriſque ſcientiſſimus, ùt de ſe ipſo fatetur Pſ. 118. *Super omnes docentes me, & ſuper ſenes intellexi*; quod inquam ipſus ille David, è medio juſtitiæ ejectus, contra omne jus

Nu. 89. Pſal. 118.

iniquam ſententiam ferre auſus ſit adversùs regium filium Miphiboſeth; cauſámque attribuerit Sibæ, ſervo ejus nequiſſimo: nam ùt ſacer
2. Reg. 16. narrat hiſtoricus 2. Reg. 16. Poſtquam David profugus à facie Abſolonis, mœſtus cum ſuis: *Tranſiſſet paululùm montis verticem apparuit Siba puer Miphiboſeth in occurſum ejus*; quem ubi Rex interrogavit, ubinam eſſet Dominus ejus, mox impudenter eum calumnians. dixit: *Remanſit in Jeruſalem dicens, hodie mihi reſtituet domus Iſraël, regnum Patris mei.* Hæc audiens David, ſtatim nec audita altera parte condemnavit rebellionis innocentem Principem, eíque omnia ejus attribuit bona: *Tua ſint omnia, quæ fuerunt Miphiboſeth, ait Rex Sibæ.* Durum enimvero & perquàm acerbum id acciderit bono Miphiboſeth; planè non dubito, ſperare nihilominus poterat omnia ſe cum gratia Regis recepturum; ubi coram innocentiam ſuam contra ſervum nequam demonſtrâſſet, verùm aliter res cecidit; David enim in regnum ſuum redux, etſi innocentiam juvenis probè intellexiſſet, tamen tantùm abeſt, ut calumniantem ſervum nequam pro merito puniverit, quin & eidem poſt omnia acta contra jus, fáſque dimidium bonorum attribuerit, dicens: *Fixum eſt, quod locutus ſum, tu & Siba dividite poſſeſſiones.* 2. Reg. 19. Verùm quid amabò cauſæ erat quod David, æquitatis aliàs amantiſſimus, tam perverſum fecerit judicium, inter herum & ſervum, inter Principem & ſubditum? quid ſi muneribus fuiſſet corruptus? quid ſi multitudo donorum eum inclinâſſet de medio juſtitiæ ad partes ſervi? Sic eſt: *Munera excæcârunt oculos ſapientis Davidis, & mutârunt verba juſti*; ut diceret: *Tu & Siba dividite poſſeſſiones.* Eruitur id ex Scriptura ſacra: nam quando Siba apparuit in occurſum Regis; venit hic ſubdolus nequam, cum duobus aſinis, qui onerati erant *ducentis panibus, & centum alligaturis uvæ paſſæ, & centum maſſis palatharum, & utre vini*, quæ omnia tum indigo, obtulit Regi, ſibíque gratiam
Lyranus. concilians eum ad ferendam iniquam impulit ſententiam: *David ſanctus* (ait eruditus Lyranus hìc) *ex verbis, & dono hujus adulatoris, & detractoris, in tantum fuit deceptus, quòd ſinè verborum examine, dedit ei hæreditatem Domini ſui.*

Nu. 90. Quid mirum nunc ſi & alij Judices oculos ſuos non velantes ſimiliter excæcentur, & in transverſum abripiantur à muneribus? cùm illa juxta Eccleſiaſticum non ſolùm oculos, ſed & lingvam iniquorum Ju-

Digitized by Google

Judicum tollere ſoleant? *Nam xenia & dona* (ait c. 20.) *excæcant oculos Judicum, & quaſi mutus in ore avertit correptiones eorum.* At quid hoc, *quaſi mutus in ore?* Vatablus & Lyranus ex hebræo legunt: *quaſi rana in ore ejus*, ajúntque xenia & dona idem prorſus præſtare in ore Judicis, quod *rana* quæpiam nomine *Calamita* præſtare ſolet, quæ ſi lingvam canis lambentis aquas, attingat, mox eum elingvem, & mutum reddit: ſic etiam munera in fauces Judicum projecta eos elingves faciunt, nec ſinunt juſtitiæ conformem proferre ſententiam. Expertus ſanè id erat, vel ipſe eloquentiſſimus Demoſthenes, quem ejuſmodi munerum Calamita planè elingvem fecit. Cùm enim aliquando contra Mileſios, qui iniquam cauſam habebant, perorare deberet; pridie autem ab eis corruptus fuiſſet muneribus; collum ſibi mox obvolvit, & quaſi gravi laboraret catharro à perorando ſe excuſavit; hoc advertens unus aliquis ex Mileſiorum adverſarijs, muto Demoſtheni inclamavit: *Laboras ô Demoſthenes non anginâ, ſed argentinâ.* Eccli. 10. Lyranus.

Verùm habent, quod metuant ſibi ejuſmodi Judices, ſeu veriùs juſtitiæ depravatores, nè incurrant æternum væ, æternámque maledictionem, ſiquidem expreſsè talibus DEUS non ſolùm maledixit Deuter. 27. *Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam innocentis*: ſed etiam Iſai. 5. *Væ qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis ab eo; propter hoc ſicut devorat ſtipulam lingua ignis, & calor flamma exurit, ſic radix eorum quaſi favilla erit, & germen eorum ùt pulvis aſcendet.* Jllud ſanè væ terribile ſenſerit non dubito, iniquus ille Judex, qui Cæſario teſte, muneribus corruptus in omnes trahebatur partes, bonum dicebat malum, & malum bonum. At DEUS vel in ipſa ejus morte palàm oſtendit, quàm graviter eum puniverit, dum lingvam illius unà cum anima dæmonibus tradere decrevit: *Mox enim poſt mortem*, ait hiſtoricus, *inventus eſt ſinè lingua; & meritò linguam perdidit moriens, qui eam ſæpe vendiderat vivens.* Nu. 91. Deuter. 27. Iſai. 5. Cæſarius.

Quapropter cùm in Præſide aut Judice, nihil pulchrius, nihil antiquius ſpectetur quàm æqualitas ad omnes; ſi videlicet cum JESU *ſtet in medio ſuorum.* Optandum eſt, ut ex medio illo, nullis unquam muneribus, aut quacunque perſonarum acceptione, ſe ſinat abduci, maximè cùm ipſis D. Bernardus præmium grande nimis à DEO ſpondeat: *Qui causâ amoris DEI* (ait ad ſororem c. 6.) *ab hominibus dona vani-* S. Bernard.

tatis & ſuperfluitatis, non recipit; DEUM in majeſtate ſua videbit, & cum omnibus Sanctis in decore illius in perpetuum gaudebit.

In Feſto Aſcenſionis D. N. JESU CHRISTI.

CONCIO VIII.

Chriſtus nobis aſcendendo ad cœlos Aquila factus eſt.

D. Gregorius.

ARGUMENTUM. *Triplicem potiſſimùm Aquilarum proprietatem Chriſtum Dominum aſſumpſiſſe hac dictione declaratur. I. Namq; Aſcenſionem ſuam admirabilem Aquilarum more ita celeriter abſolvit, ut meritò in ſpiritu prævidens Regum ſapientiſſimus eam penitùs capere non potuerit. II. Velut Aquila pullos ſuos, ita ipſe eviſcerata prorſus charitate ſuos omnes complexus eſt. III. Demum beneficam Aquilam adeò expreſſit, ut ingentia quàm plurimis contulerit beneficia. Quia verò in cœlum evolans priùs monti olivarum, ſua pedum ſacerrima impreſſit veſtigia; neceſſe eſt, ut ſi eum ſequi velimus, Aquilarum quoque aſſumamus proprietates noſmetipſos corde & mente levemus ad cæleſtia.*

Aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris DEI. *Marci c. 16.*

Nu. 92. SI admirabilem prorſúſque obſtupeſcendam JESU Chriſti in cœlos Aſcenſionem, quam quadrageſimo poſt Reſurrectionem ſuam die, in monte Oliveti coram Apoſtolis & Matre ſua Sanctiſſima inſtituit, paulò attentiùs perpendam: animadverto D. Bernardum, feſtivitatem hanc quàm optimè nominâſſe conſummationem omnium ſolennitatum; dum ſermone de Aſcenſ. ſic profatur: *Aſcenſio Domini eſt conſummatio & adimpletio reliquarum ſolenni-*

D. Bernard.

Digitized by Google

nitatum, & felix clauſula totius itinerarij Filij DEI. Siquidem verè Dominus die hac conſummavit curſum ſuum; abſolvit moleſtam vitæ ſuæ peregrinationem, & quemadmodum ipſe dixit, Joan. 16. *Exivi à Patre, & veni in mundum; iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem:* Ità à monte oliveti cœlorum ambitus penetrans, pervenit ad Patris uſque dextram æternùm in majeſtatis ſolio quieturus. Pulchrè enimverò curſum hunc univerſum Filij unigeniti DEI à Patre exeuntis, & ad eundem redeuntis, pauculis hiſce verbis graphicè expreſſit D. Gregorius dum homiliâ 29. in Euang. ſic ait: *De cœlo venit in uterum Virginis, de utero venit in præſepe, de præſepio venit in crucem, de cruce venit in ſepulchrum, de ſepulchro redijt in cœlum.* Ità tamen ut iter illud ultimum celerrimo planè curſu, Aquilæ ad inſtar velociſſimè abſolverit; exprimendo videlicet qualitates illius Aquilæ, quam Ezechiel c. 17. ſic deſcripſit: *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri.* Sic omnino & Chriſtus, velut grandis Aquila, magnis omnipotentiæ inſtructus alis, longo membrorum ductu; id eſt, comitatus Sanctis è limbo Patribus, levavit ſe ſuper aëra, imò ſuper omnes cœlos, & venit, non tam ad Libanum, quàm ad thronum Altiſſimi, nec medullam alicujus Cedri; ſed dextram tulit & poſſedit Patris ſui omnipotentis, nam *aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris DEI.*

Ioan. 16. *D. Gregor.* *Ezech. 17.* *Marci 16.*

Quod autem Chriſtus Dominus in admirabili ſua Aſcenſione, proprietates Aquilæ, celeriter in cœlum volantis aſſumpſerit; teſtantur id D. Gregorius & D. Ambroſius, hic ſanè tom. 2. in cap. 30. Proverb. clarè ait: *Aquila hæc intelligitur Chriſtus, qui terribili volatu, impetum ad inferos fecit, Sanctóſque rapiens ad ſuperna remeavit.* D. Gregorius verò hom. 4. in Ezech. dum explicat quatuor animalia hæc habet: *Totum ſimul nobis eſt Chriſtus, quia & naſcendo homo, & moriendo vitulus, & reſurgendo leo, & ad cœlos aſcendendo Aquila factus eſt.* Imò dum velut Aquila grandis in cœlum evolavit, non ſolùm Patris ſui obtinuit dextram, ſed & omnibus nobis cœlum adaperuit, effecítque ut caro noſtra poſſideret cœlum? Nam *hodie nos* (ait D. Chryſoſt. hom. de Aſcenſ.) *qui videbamur terrâ indigni, elevati ſumus ad cœlum, & qui nec terreſtria merebamur, cœleſte regnum meruimus poſſidere, noſtráque natura, cujus causâ Cherubim ſervabat paradiſum; à Cherubim ſum-*

D. Ambroſ. *D. Gregor.* *D. Chryſoſt.*

Digitized by Google

mo cum honore ſuſcepta fuit. Quare cùm Chriſtus Dominus in Aſcen-
1. Pet. 2. ſione ſua Aquilam egerit; utì & veſtigia ſua monti impreſſerit, *ut ſe-quamur veſtigia ejus*: oſtendam in præſenti; quaſnam Aquilæ proprietates Chriſtus aſſumpſerit, ut eaſdem & nos in cœlum evolantes habere ſtudeamus.

Nu. 93. *Ælianus.* Primam eámque genuinam Aquilæ proprietatem nobis exhibet eruditiſſimus Ælianus, dum lib. 14. c. 10. aſſerit; ſolam Aquilam: *Aërem ipſum volatu ſuperare & ſublimiùs evadere*; nec per ambages, ut aliæ volucres facere aſſolent, ſed viâ rectiſſimâ ſe in altum erigere ac cœlum petere: *Aliæ*, inquit, *aves volandi idcirco diverticulis flexionibúſque in cœlum efferuntur, quòd recta non poſſint: ſola Aquila directo volatu in ſublime fertur.* Verùm & hunc tam mirabilem Aquilæ volatum, Chriſtus quoque cœlorum faſtigia petens, obſervare voluit; dum eum directiſſimè, momentóque propè unico abſolvit. Unde non miror, vel ipſum ſapientiſſimum Regum, eundem capere taceo penetrare non potuiſſe: nam poſtquam menti ſuæ intimiùs objeciſſet *Aquilæ*
Proverb. 30. *volatum*, disertè faſſus eſt Proverb. 30. *Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: viam Aquilæ in cœlo.* Nec abs re, ſiquidem Anaſtaſio Niceno teſte: *Via hæc Aquilæ volantis denotabat Chriſti Aſcenſionem*; cùm autem ea fuerit verè admirabilis, & *Chriſtus velut Aquila*
D. Ambroſ. (perhibente D. Ambroſ. lib. de Salom. c. 2.) *revolavit ad Patrem, prædam ſecum referens, id eſt hominem, quem rapuerat de faucibus inimici.* Quid mirum, ſi viam talem intelligere nequiverit etiam Salomon ſapientiſſimus.

Nu. 94. Hinc & Eccleſia Sancta (quod bene notandum eſt) ex omnibus myſterijs unicam Aſcenſionem Domini nominare conſvevit *Admirabilem.* Et licèt myſteria Incarnationis, Nativitatis, Circumciſionis, Reſurrectionis, verè ſint obſtupeſcenda, tamen in Litanijs Sanctorum omnium, nonniſi per *Admirabilem Aſcenſionem* DEUM ſuum orat & obteſtatur; ídque potiſſimùm triplici de cauſa. I. Quia Chriſtus unico momento, imò unico inſtanti, poſtquam *nubes ſuſcepit eum ab oculis Diſcipulorum*, Act. 1. immenſum illud iter ex aëre uſque ad dextram Patris abſolvit; cùm interim ſola diſtantia firmamenti à terra, juxta probatiſſimum Aſtronomorum calculum contineat ampliùs, quàm *undecim milliones milliarium germanicorum*; adeò ut ſi nuntius

quiſ-

Digitized by Google

quiſpiam octo millibus annorum viveret & quàlibet die rectà eundo octo milliaria conficeret, vix tamen adhuc metam illam attingeret. II. Admirabilis erat hæc Aſcenſio, quòd aër ipſúmque cœlum, didicerit ferre & portare corpus hominis, quod illi antè videbatur impoſſibile: *Nam aſcendente Divina cum carne Majeſtate* (ait D. Auguſtinus ſerm. 5. de Aſcenſ.) *didicit cœlum portare hominem, atque ſub pedibus Chriſti famulantia æthera jacuerunt.* Proinde & ipſi Angeli, videntes hanc naturæ innovationem, in immenſum obſtupuerunt; imò D. Cyrillo teſte, *cùm ad cœlum Unigenitus DEI unà cum carne ſibi unita rediiſſet, erat novum hoc in cœlis ſpectaculum; obſtupuit enim ſanctiſſimorum Angelorum multitudo, ajebant enim: Quis eſt iſte, qui venit de Edom, id eſt de terra?* & quidem de terra maledicta, quæ ſpinas & tribulos germinare juſſa eſt. III. Demum erat mirabilis Chriſti Aſcenſio, quòd ſanctiſſimum ejus corpus, non ſolùm omnes penetraverit cœlos, ſed inſuper occupaverit & poſſederit thronum Altiſſimi; hinc rurſus *Angeli*, ait D. Cyprianus, *& viderunt, & mirati ſunt, humilitatem carnis noſtræ throno judiciario honoratam.* Bene proinde Chriſtus Aquilam in aſcenſione repræſentans omnium altiſſimè evolavit; & ſicut *Aquila in arduis ponit nidum ſuum*, Job 39. ità ipſe in arduis cœlorum, ad dextram DEI Patris omnipotentis poſuit ſeſſionem ſuam.

D. Auguſt. *D. Cyrillus.* *D. Cyprian.* *Iob. 39.*

Nu. 95. Alteram Aquilæ proprietatem, eámque rurſus genuinam, videre licet apud D. Hieronymum, qui refert ex omnibus propè volucribus, unicam & ſolam Aquilam eſſe, quæ maximo in pullos ſuos feratur amore: *Inter cæteras animantes omnes Aquilarum quidem maximus in pullos amor eſt, quæ & in excelſis & inacceſſis locis nidos collocant, nè coluber fœtus violet.* Verùm poterátne Chriſtus, majora ſuis, amoris exhibere indicia, quàm exhibuerit, ſiquidem teſtante D. Joanne: *Cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos?* cap. 13. poterátne, inquam, plura præſtare quàm præſtitit, dum candidè faſſus apud D. Joan. cap. 10. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant?* Profectò non ſolùm pullos ſuos, quemadmodum Aquila, *poſuit in excelſis ac ſecuri petris*, divinæ ac paternæ ſuæ providentiæ, ut tuti permanerent ab omnibus inſidijs infernalis Colubri; ſed etiam ſuiſmet ſuperponens humeris, ſuaviſſimè portavit; adeò ut & illud ſibi uſurpare poſſit, quod Pater ejus æternus de ſuo dixit populo Exodi c. 19.

D. Hieron. *Ioan. 13.* *Ioan. 10.*

Vos

Digitized by Google

Exodi 19. *Vos ipſi vidiſtis, quomodo portaverim vos, ſuper alas aquilarum & aſſumpſerim mihi.*

Mirabile ſanè eſt illud, quod lego de aquilis, apud Rabbi Salomonem. Quòd eæ, quando vident periculum inſtare pullis ſuis, non auferant eos inter ungves & pedes, quemadmodum aliæ aves facere conſveverunt; ſed ſuper alarum remigium poſitos eos ſalvare nitantur; ſciunt enim omne periculum ſolùm provenire ab inferiori parte, non verò à ſuperiori, ubi nullum ex volucribus hoſtem ſuper ſe volitantem agnoſcunt: Rab. Salom. *Omnes reliquæ aves* (verba ſunt illius) *pullos ſuos ponunt inter pedes ſuos, eò quòd timeant ſibi ab avibus, quæ ſuper ſe volitant. Verùm Aquila non timet ſibi niſi ab homine, nè fortè eam petat jaculo, propterea collocat pullos ſuos in alis cogitans: ſatiùs eſt, ut in me penetret jaculum, quàm in pullos meos.* Magnus enimverò hic amor Aquilarum in pullos ſuos eſt, ſed qui longè excellentiori modo in Chriſto eluxit. Siquidem non tantùm ſuos tulit ſuper alas oculatiſſimæ ſuæ providentiæ, protegendo eos ab omnibus inimicorum periculis, non tantùm ùt Aquila pectus ſuum jaculorum ictibus expoſuit; ſed inſuper ſangvinem omnem, unà cum vita profudit, ut dilecti ſibi, vitam haberent, & abundantiùs haberent.

Nu. 96. Maximè verò quo amore in Diſcipulos ferretur, declaravit abundè ejus in cœlum regreſſus, in quo perhibente D. Bernardo, D. Bernard. *non ſubitò raptus, non furtim ſublatus, ſed videntibus illis elevatus eſt*; ad oſtendendum, quàm invitus & penè coactus eos deſerens redeat ad Patrem. Hinc & Euangeliſtæ Aſcenſionem ejus deſcribentes de induſtria tali uſi ſunt termino, quo oſtenderent raptum potiùs fuiſſe in cœlum, quàm voluntarium aſcenſum; nam D. Marcus ait: *Aſſumptus eſt in cœlum*; D. Lucas: *Ferebatur in cœlum*; Acta Apoſtolorum: *Videntibus illis elevatus eſt. Ut oſtendatur* (ait Baëza noſter lib. 6. c. 7. de Aſc.) P. Baeza. *quàm hominum conſortio gaudebat; à quo non tam abiit, quàm ægrè & difficulter aſſumitur, avellitur. Quaſi non ipſe iret, ſed ferretur.* Hoc eodem amore ſtimulante, non aſſumpſit ſecum Matrem ſuam dilectiſſimam (quod facilè poterat facere) ſed ſui loco eam conſtituit Diſcipulorum conſolatricem: Guiliel. Pariſ. *Ut ipſa à ſe* (verba ſunt Guilielmi Pariſienſis) *in Diſcipulos transferret teneritudinem maternæ pietatis.* Quod & factum; nam Habacuc 3. *Elevatus eſt Sol*, ait Habacuc cap. 3. id eſt Chriſtus in cœ-

Digitized by Google

cœlum, *& Luna*, id eſt Maria, *ſtetit in ordine ſuo. Terras videlicet abſente Sole illuſtravit, & mortalibus maternum præſtitit munus.* P. Baëza ibid.

Demum alias ut omittam proprietates Aquilarum, quas recenſent Plinius, Aldrovandus, aliíque, proprium earum eſſe dicitur, non ſolùm erga pullos, ſed etiam erga homines (etſi ab ijs habent, quod ſibi metuant) eſſe beneficas; quibus non ſpernenda quoque præſtiterunt beneficia. Sanè admiratione dignum eſt illud, quod refert Plutarchus in parall. de benefica quapiam aquila, quæ puellam nobilem à morte liberavit: *Cùm enim peſtis Spartæ graſſaretur* (ait) *oracula monuerunt, mali vim ceſſaturam, ſi quotannis nobilem aliquam Virginem immolâſſent; fortè evenit, ut Helenæ ſors obtigerit; quæ cùm mactanda duceretur; Aquila devolans ſacrificuli gladium abripuit, & ad armentum delatum, ſuper juvencam dimiſit*; indicans non Virginem, ſed juvencam immolandam eſſe. Plutarchus. Nec minori admiratione dignum eſt illud, quod narrat Ælianus lib. 12. cap. 21. de alia ſimili Aquila, quæ Tilgamum Babyloniæ Regem, miro ſervavit modo à morte prorſus truculenta. Ælianus. Hic enim cùm adhuc puerulus, jubente Avo, ex præaltæ turris feneſtra à ſatellitibus ejiceretur, extemplò adfuit Aquila grandis, & nè puer jamjam in præceps ruens, ſuper petram collideretur; dorſo ſuo cadentem excepit; exceptúmque in vicinum Regis hortum volando deportavit, ac ſalvum & incolumem depoſuit. Lib. 17. cap. 37. verò refert de alia, quam cùm Ruſticus à ſerpente, cujus nexibus implicita erat, liberâſſet, adeò gratam ſe exhibuit, ut eum quoque à morte præſervaverit. Accidit enim, ut ipſe aliquando cum alijs ruſticis diurno labore fatigatis iret ad fonticulum (quem interea ſerpens quidam infecerat veneno) aquam bibiturus. Bibentibus cæteris; jam & ipſe vaſculum ori admovebat; ecce eadem mox adfuit Aquila, involat in ipſum, vaſculúmque aquâ plenum è manibus excuſſit: quod dum indignabundus ruſticus miratur, & jam denuò aquam è puteo haurire vellet; vidit cæteros omnes concidere exanimes, lubens igitur ab aqua hac infecta abſtinuit, vitámque ſervavit. Quod ſi Eccleſiaſticam inſpiciam Hiſtoriam, ſimiles quoque eáſque non paucas reperio Aquilas, qui Sanctis præſtò fuerunt ad omnia obſequia. Certè tempore grandis pluviæ, nè S. Medardus conpluerętur, adfuit extemplo Aquila, quæ alis ſuis ſic protexit eum, ut nè aquæ guttâ fuerit conſperſus.

S. Cuthbertum, teſte Venerabili Beda, Aquila quoque comitata eſt, & ut famelicum reficeret, piſcem ex aqua extractum ad pedes Sancti depoſuit. Denique D. Stanislai corpus, membratim diſſectum, & undique per agrum diſperſum, fideles Aquilæ tam diu cuſtodierunt, uſque dum à Clero ſepeliretur. Beneficas igitur eſſe Aquilas, nemo non inficias ibit.

Nu. 97. Verùm ſi *Aquilæ noſtræ* in cœlum evolantis, eviſceratam prorſus omnibus benefaciendi voluntatem, menti meæ objiciam; animadverto eam incomparabiliter majora hominibus contuliſſe beneficia. Nam ſi mirabile quondam viſum eſt Plutarcho: Helenam ſub ictu gladij liberatam fuiſſe ab Aquila; quàm admirabile unicuique non videbitur: univerſum genus humanum gladio Divinæ Juſtitiæ ſubductum? quando videlicet Aquila noſtra Chriſtus, ab illo non ſolùm gladium juſtitiæ avertit, ſed jugulo inſuper ſuo voluntariè impoſuit, ut pro eo velut victima immolaretur? Si Ælianus Aquilam ſuam eximiè deprædicare non dubitavit, ex eo, quod hæc ruentem dorſo exceperit Tilgamum Regem, illæſúmque ſervaverit; item Ruſticum, è manibus excutiens vaſculum, à præſentiſſima morte liberaverit. Quid dicendum de beneficentiſſima *Aquila noſtra*, quæ non uni ſed plurimis in barathrum inferni jamjam ruentibus ſuccurrit, eos clementiæ ſuæ humeris excepit, & in Eccleſiæ paradiſum indemnes tranſportavit? quid inquam dicendum de ipſa? quæ plurimis peccatorum occaſiones, ubi
Iob 15. *iniquitatem velut aquam* veneno mortifero infectam, potâſſent, miſericorditer ſuſtulit, & quaſi ab ore ſubduxit? Certè cum D. Paulo ad
Epheſ. 2. Epheſ. 2. dicere poſſum: *Propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, cùm eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos.* Expertus enimverò id erat vel ipſe D. Paulus, qui Judaiſmi erroribus involutus, omnino ferebatur in præceps, ruiturus etiam in interitum ſempiternum, niſi
Actor. 9. à Chriſto detentus, & voce hac: *Saule, Saule quid me perſequeris*, commonitus; à præcipitio fuiſſet revocatus. Similiter mortem incurriſſent æternam Matthæus, Zachæus, Magdalena, Auguſtinus, aliíque, niſi & Chriſtus eis occaſiones peccandi ſuſtuliſſet, & ad mortem peccati evitandam, gratiam ſuam benignè largitus fuiſſet.

Nu. 98. Ex dictis hiſce nunc ſequitur, cùm Chriſtus Dominus in admirabili ſua Aſcenſione verè egerit *Aquilam grandem magnarum alarum*; & in-

Digitized by Google

inſuper in hunc finem diſcedens, veſtigia ſua impreſſerit, *ut ſequere-*
mur veſtigia ejus; neceſſarium eſt, ut & nos, ſi ei in cœlis aſſociari cu-
pimus, genuinas Aquilarum aſſumamus proprietates; noſmetipſos
corde & mente levemus ad cœleſtia; bene proinde monet D. Ambro- *D. Ambroſ.*
ſius lib. de bono mortis c. 5. *Anima noſtra ſicut aquila alta petat, ſuper*
nubes volet, renovatis ſplendeſcat exuviis, cœlo volatus ſuos inferat, ubi
laqueos incurrere non poſſit. Imò quemadmodum Aquila ſolùm *in ar-*
duis, in petris nidum ſuum ponit; ità Anima noſtra ſpretis omnibus ter-
renis, unicè ſpem ac deſiderium ſuum figat in cœleſtibus, habitet men-
te in ſupernis; ut cum D. Paulo dicere queat, *noſtra converſatio eſt in* *ad Philip. 3.*
cælis. Nec immeritò: *In arduis enim habet nidum*, ait D. Gregorius, *D. Gregor.*
qui in ſupernis figit conſilium, qui non vult mentem in ima dejicere, nec per
abjectionem converſationis humanæ, in infimis habitare. Nè verò quiſ-
piam ſe excuſando dicat, quomodo Aquilæ ad inſtar in cœlum evola-
re poſſum; qui alis deſtituor? mox huic excuſationi occurret D. Am-
broſius lib. 3. de Virgin. dicens: *Habet & Anima alas ſuas, quibus ſe* *D. Ambroſ.*
poſſit libera levare de terris; alarum autem remigium, non materialis
compago pennarum; ſed continuus ordo bonorum factorum eſt. Quæ ſi
divinâ corroborata gratiâ indies fecerit, non ſolùm ſequentur eam;
juxta illud Apocal: 14. *Opera eorum ſequuntur illos*; ſed inſuper alarum *Apoc. 14.*
ad inſtar tollent eam ſuper terram, ſuper omnes altitudines nubium,
& cœlo feliciſſimè inferent.

Præſertim verò eò omnes vires corporis & animæ collimandæ Nu. 99.
ſunt; ut quis aliquando non ſpuria, ſed genuina deprehendatur Aqui-
a; ſiquidem Chriſtus Dominus D. Ambroſio teſte, *Chriſtianos ac Fi-* *D. Ambroſ.*
ios ſuos non aliter probat & examinat, quàm Aquila pullos ſuos: Sicut
nim hæc ut pullos genuinos deprehendat, eos opponit Soli, & ſi irretortis
culis lucidum Solis corpus intuentur, retinet; ſi ſecus præcipites agit.
a quoque Chriſtus Dominus probat ſuos, & ſi ùt Filij lucis lucem intuen-
ır, & in lumine ambulant mandatorum ejus, ſervando præcepta, eos ùt
nuinos ſuſcipit ad lucem æternam; ſi verò oculos eorum deprehendat ca-
antes, magìs diligentes tenebras quàm lucem, ùt Filios tenebrarum
icit in tenebras exteriores. Bene igitur omnes hortatur D. Clemens
exannd. dum explanat illa verba D. Pauli: *ùt Filij lucis ambulate: Ut* *ad Epheſ. 5.*
mani Filij lucis intueamur lucem, & ſurſum aſpiciamus, nè nos eſſe

 adult-

adulterinos deprehendat Dominus, quemadmodum Sol Aquilam. Quare cùm de factò nobis non liceat Chriſtum, cœlos conſcendentem corpore ſequi, ſequamur ad minimum corde & animo: *Aſcendamus & nos* *Serm. 175. de temp.* *cum Chreſto* (verba ſunt magni Auguſtini) *interim corde, & cùm dies promiſſus adveneriт ſequemur & corpore. Præſertim verò, ipſo affectu pariter & profectu aſcendamus poſt illum etiam per vitia, ac paſſiones noſtras. Si enim unuſquiſque noſtrum ſubdere eas ſibi ſtudeat, ex ipſis ſibi gradum conſtituet, quò poſſit ad ſuperiora conſcendere;* ac jungi tandem Chriſto in perpetuum.

In Feſto Spiritûs Sanctiſſimi.

CONCIO IX.

Spiritus Domini omnia vivificans. D. Cyrillus.

ARGUMENTUM. *Sententia D. Auguſtini in præſenti explanatur, quam de Spiritu Sancto protulit Tract. 76. in Ioan. dicens:* Spiritus Sanctus ſuperveniens in hominem, venit ſubveniendo, venit implendo, venit illuminando. *Et primùm quidem* venit ſubveniendo, *dum Fideles gratiâ ſuâ roborat & contra omnes hoſtium incurſus confortat; qualiter confortavit Apoſtolos, Martyres alióſque, quorum exempla adducuntur. II.* Venit implendo, *animas videlicet hominum variis gratiis exornando, faciendo eos, Prophetas, Apoſtolos, Angelos. III. demum*, venit illuminando, *peccatores ſcilicet in errorum, aut peccatorum tenebris exiſtentes adducendo ad lumen veræ Fidei.*

Paraclitus autem Spiritus Sanctus ille vos docebit omnia. *Joan. c. 14.*

N. 100. QUod DEUS Optimus Maximus quondam humano generi
Ioël 2. vaticinante Joële Prophetâ cap. 2. his appromiſit verbis: *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri,* &c. imò quod ipſa Incarnata DEI Sapientia,

entia, paulò ante ſuum è terris abitum, Diſcipulis futurum prædixit, dicens: *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Id video hodiernâ die adimpletum, dum decimo poſt Aſcenſionem die *factus repente de cœlo ſonus*, & in Spiritu vehementi *Dulcis Hoſpes animæ, dulce refrigerium, Conſolator optimus Spiritus Sanctus* ſuper Apoſtolos delapſus, *Replevit totam domum, ubi erant ſedentes*; eóſque triſtitia emaciatos, præſentiâ ſuâ exhilaravit & quemadmodum olim *oſſa arida Ezechielis*; ità tunc animás eorum ob mœrorem metúmque aridas, pleniſſimè vivificavit. *Ioan. 14.* *Actor. 1.*

Profectò quis non miretur portentoſam illam Prophetæ viſionem, quam capite 37. his verbis enarrat? *Facta eſt*, inquit, *ſuper me manus Domini, & eduxit me in ſpiritu Domini, & dimiſit me in medio campi, qui erat plenus oſſibus & circumduxit me, per ea in gyro, erant autem multa valde, ſuper faciem campi ſiccáque vehementer, & dixit ad me; Fili hominis, putáſne vivent oſſa îſta? & dixi, Domine DEUS tu nôſti; & dixit ad me, vaticinare de oſſibus iſtis, & dices eis: oſſa arida audite verbum Domini; hæc dicit Dominus DEUS oſſibus his: ecce ego intromittam in vos ſpiritum, & vivetis, &c.* Quod quamprimùm vaticinando perfecit Propheta: *Ecce commotio*, ait Scriptura, *& acceſſerunt oſſa ad oſſa, unumquodque ad juncturam ſuam*; videlicet pes quærebat genu ſuum, manus brachium, brachium jungebat ſe humero; caput collo, & quodlibet os ſtitit ſe loco priſtino, quo facto: *Ecce ſuper ea nervi & carnes aſcenderunt, & extenta eſt in eis cutis deſuper.* Denique poſt hæc omnia: *Ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & vixerunt; ſteterúntque ſuper pedes ſuos, exercitus grandis nimis valde.* Et quidem Spiritus Sanctus ingreſſus eſt: *Nam per hunc Spiritum intelligebat Ezechiel* (ait D. Ambroſius lib. 3. de Spir.) *Spiritum Sanctum, qui timorem in audaciam, debilitatem in robur, ac tumulum mortis in campum Martis mutavit.* *Ezech. 37.* *S. Ambroſ.*

Verùm ſi effectum mirabilem illius *advenientis Spiritûs vehementis* ſuper Apoſtolos conſiderem; animadverto ſimile quid, tum Jeroſolymis accidiſſe, quod quondam Ezechielis tempore; ſiquidem Spiritus ille Domini, non ſolùm offendit campum unum aliquem oſſibus mortuorum, ac excarnificatorum plenum, quem vivificaret; ſed mundum penè univerſum; nec corporali, ſed ſpirituali morte, exhauſta cadavera, mephytim peccatorum miſerandum in modum exhalantia: N.101.

 offen-

offendit inſuper aridas Apoſtolorum animas, mœrore ſqualidas, metu tabeſcentes, & ob aſſumptum in cœlos Redemptorem, propè exanimes. Hinc ſuperveniens idem *Spiritus Domini mox replevit orbem terrarum, renovavit faciem terræ*; diſpulit tenebras & umbras mortis; animavit gratiarum lumine, emortuas hominum animas, Apoſtolos verò velut *oſſa arida*, ob metum Judæorum in concluſis domibus latentes; tantopere vivificavit: *Ut qui priùs tremebant & formidabant,*

D. Chryſoſt. (verba ſunt S. Chryſoſtomi) *poſt Spiritûs Sancti acceptionem, in media pericula proſilierint.* Nec abs re, *Spiritus enim Domini* (ait Divus Cyril-

D. Cyrillus. lus in Joan.) *omnia vivificat, cùm & ipſe naturâ ſuâ vita ſit.* Et quomodo non vitali gratia ſua, animâſſet Apoſtolos; ſiquidem ij omni poſthabito metu, domibus egreſſi, palàm in plateis & compitis, Chriſtum imperterritè, diverſis lingvarum generibus, ad conſternationem

Actor. 2. totius Urbis deprædicârunt: nam *ſtupebant omnes* (ajunt Acta cap. 2.) *& mirabantur dicentes, nonne ecce omnes iſti, qui loquuntur, Galilei ſunt, & quomodo nos audivimus unuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus?* At mirari deſinite ô ignari rerum cœleſtium Jeroſolymitæ, qui tam mirabiles advenientis Spiritûs Sancti conſpicitis operationes; ſi-

D. Chryſoſt. quidem *Hic Spiritus Sanctus* (teſtante D. Chryſoſtomo) *eſt Dominus, eſt Vivificator, Conſolator, Adhortator, qui cor exhilarat, redire facit animam, divinòque accendit deſiderio.* Ità quidem, ut quotieſcunque in homines ſupervenit: *Venit ſubveniendo* (auſim dicere cum D. Au-

D. Auguſt. guſtino Tract. 76. in Joan.) *venit illuminando, venit implendo.* Quod quomodo acciderit SS. Apoſtolis, ac etiamnum accidat, in præſenti exponam dictione.

N. 102. I. *Venit ſubveniendo*, ait D. Auguſtinus de Spiritu Sancto, videlicet efficaci ſuâ gratiâ tam potenter hominibus adeſt, ut eos in periculis conſtitutos, contra omnes hoſtium tam viſibilium, quàm inviſi-

D. Hieron. bilium inſultus animet, roboret atque confortet. Hinc cùm D. Hieronymo teſte, *nulla fortitudo ſinè Spiritu Sancto ſit*; factum eſt, ut Spiritus Sanctus à Patre & Filio Chriſtianis ſubmiſſus, nullo non tempore & loco, eoſdem protegendo fortes, & inſuperabiles reddiderit: fate-

D. Bernard. tur enimvero idipſum mellifluus Præſul Bernardus ſerm. 2. *Miſit Chriſtus nobis Spiritum Sanctum, robur vitæ, ut quod nobis per naturam impoſſibile erat, per gratiam ejus non ſolùm poſſibile, ſed & facilè fieret*; ita ut

in

in laboribus, in vigiliis, in fame & ſiti, & in omnibus obſervantiis delectabiliter incederemus. Imò tam efficaciter, non Apoſtolis ſolùm, ſed & reliquis Chriſtianis ſubvenit, ut effectus ejus non minores eſſe cenſeantur in novo, quàm in vetere Teſtamento. Certè quis non obſtupeſcat illam Spiritûs Sancti aſſiſtentiam, qua Samſonem varijs exiſtentem in periculis roboravit, ac roboratum hoſtibus penè invincibilem reddidit? nam ùt ſacer Hiſtoricus enarrat: venit vice quadam pleno curſu ei obviàm, immanis Leo, apertíſque faucibus inermem laniare moliebatur; & ecce: *Irruit Spiritus Domini in Samſon* (ait c. 14.) *Iudic. 14.* & eundem, qui ſibi necem inferre parabat, *dilaceravit quaſi hædum, in fruſta diſcerpens.* Rurſum vice aliâ cingebatur idem Samſon, & obvallabatur quodamodo ab integro, mille virorum exercitu, nec liber, aut armis inſtructus erat; ſed novis duobus ligatus funibus: & ecce denuo, *irruit Spiritus Domini in eum*, cap. 15. *& ſicut ſolent, ad odo-* *Iudic. 15.* *rem ignis, ligna conſumi, ita vincula, quibus ligatus erat, diſſipata ſunt & ſoluta; inventámque maxillam, id eſt mandibulam aſini, quæ jacebat arripiens, interfecit in ea mille viros; & ait in maxilla aſini, in mandibula pulli aſinarum delevi eos, & percuſſi mille viros.* Magna ſanè hæc Spiritûs Sancti in aſſiſtendo fuit potentia! At non minor exhibita fuit Apoſtolis, cæteríſque Chriſtianis, quos efficaci ſua gratia roboratos, *ex luteis* (teſte D. Chryſoſtomo) *ferreos fecit*, ac eorum in conſpectu *D. Chryſoſt.* omnem adverſariorum vim & conatum facili diſſipavit negotio, imò eorum potentiam confudit, & in nihilum redegit.

Teſtis enimverò eſſe poteſt, vel ipſe meticuloſus Petrus, qui an- **N. 103.** te Spiritûs Sancti adventum, metu ac tremore correptus in occluſis latebat domibus: *At poſtquam repletus eſt Spiritu Sancto* (verba ſunt Magni Gregorij) *contra populi Principes & Seniores multa dixit, & licèt verberibus & minis prohiberetur, nè prædicet Chriſtum; nec tamen compeſcitur.* Et non ſolùm verbis coërcuit Doctores Judæorum, ſed quod mirandum; homo alioquin illiteratus & rudis, cum ipſis quoque congreſſus Græciæ Sapientibus, ità vanam eorum diſputando repreſſit ſcientiam: *Itaque eos ſuperavit Petrus* (ait D. Chryſoſt.) *quaſi cum* *D. Chryſoſt. ho. 4. in P.* *mutis piſcibus certamen habuiſſet.* Bene proinde addidit idem Chryſoſtomus: *Ubi nunc Græciæ faſtus? ubi nomen Athenarum? ubi Philoſophorum deliramenta? ille Galilæus, ille ruſticanus illos omnes devicit.* Et quid

quidni eos deviciſſet, cùm non ejus eloquentia & ſapientia, ſed virtus & potentia Spiritûs Sancti ei aſſiſtens id operata ſit, quam ipſi & re-
Matth. 10. liquis adfuturam prædixerat Chriſtus his verbis: *Non eſtis vos, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.*

Teſtes præterea eſſe poſſunt cæteri Apoſtoli & Diſcipuli Domini:
D. Chryſoſt. *Qui & ipſi priùs tremebant & formidabant* (ait rurſum D. Chryſoſt: hom. 74. in Joan.) *at poſt Spiritûs Sancti acceptionem in media pericula proſilierunt, per ferrum, ignem, beſtias, pelagus, ad omnem calamitatem ſe intrepidè expoſuerunt.* Imò quàm potenter Spiritus Sanctus eis aſtiterit, & per eos locutus ſit; colligitur vel inde, quod ipſi Principes & Reges eos coërcere omnino nequiverint: *Habebant in medio populi ſui Reges & Principes, duodecim Viros* (ait cum admiratione ſua idem D.
D. Chryſoſt. Chryſoſtomus hom. 34. in Matth.) *hos vinculis, flagellis, carceribus, ut ſilerent, comminabantur, nec potuerunt eorum ora obſtruere, quoniam non homines, ſed Spiritûs Sancti virtus loquebatur, &c. & hac linguâ D. Paulus Agrippam, & Agrippæ miniſtros, Neronem quoque omnium perniciosiſſimum facilè ſuperavit.*

N. 104. Teſtes denique eſſe poſſunt reliqui Sancti uti & fortiſſimi Martyres: *Qui Spiritûs Sancti munere roborati* (verba ſunt S. Leonis Papæ ſerm. 2. de Aſcenſ.) *non vincula, non carceres, non exilia, non famem, non ignes, non laniatus ferarum; nec exquiſita perſequentium crudelitatibus ſupplicia timuerunt.* Sed infracto penitus animo, quaſi *ferrei* eſſent aut *ære fuſi*, inter acerbiſſimas pœnas, Tyrannos contempſerunt, carnifices exploſerunt, & invicti omnino perſtiterunt. Certè ut in præſenti omittam Divos *Laurentios*, *Vincentios*, *Apollonias*, *Lucias*, qui majori intus in corde Spiritûs Sancti flammâ accenſi, exteriores incendij flammas penitùs contemſerunt. Nihil memorem de S. Gordio,
D. Baſilius. invicto milite Cæſarienſi, qui D. Baſilio teſte orat. de S. *Magna animi conſtantia, vultu intrepido, colore nunquam mutato, ad ſupplicium hilaris contendit; in tormentis verò tantam cordis præſeferebat alacritatem, ut non lictorum, ſed Angelorum manibus ſe committere videretur.* Nihil denique in medium proferam de *Agnete* virguncula 13. annorum ſan-
D. Ambroſ. ctiſſima, quæ D. Ambroſio atteſtante: *Inter cruentas carnificum impavida ſtetit manus, non ſic ad thalamum nupta properaret ut ad ſupplicij locum, læta ſucceſſu, gradu feſtina Virgo proceſſit.* Has inquam invictiſſi-

mas

mas Animas Spiritûs Sancti munere roboratas ac per tot jam ſæcula in Eccleſijs dilaudatas, ut lubens omittam, unicum nihilominus præterire non poſſum, quod noſtris quoque temporibus, miram Spiritûs Sancti aſſiſtentiam ſummopere commendavit; dum etiam in ſexenni parvulo, vehemens pro Chriſto moriendi eluxit deſiderium.

Erat is Ignatius Fernandez, Japonijs, ſed Chriſtianis natus Parentibus, qui ubi cum matre ſua Eliſabetha Anno 1622. ob Chriſti Fidem morti adjudicatus eſſet; non ſolùm aliorum puerorum more nequaquam territus in lachrymas erupit; ſed inſuper gaudens matrem complexus, eam ad occumbendum pro Chriſto ardentiſſimè conſolatus eſt. Ad feralem ſupplicij locum poſtquam ventum, cùm eum judices munuſculis aliíſque blanditijs à morte abſterrere vellent; generosè eis reſiſtens, invictam prorſus antiquorum Martyrum in ſe exhibuit animi fortitudinem. Imò cùm ſpectare juſſus eſſet decollationem matris, ut vel ſic à moriendo deterreretur; tantùm abeſt ut colorem in vultu mutaverit, quin etiam animo penitùs intrepido ad corpus matris exanimè accurrerit, decuſſúmque caput labijs ſuis exoſculatus fuerit. Demum teneram juſſus præbere cervicem, omnes quidem adſtantes in ſui rapuit admirationem; carnificem verò vel maximè, *quem cerneres trepidare, quaſi ipſe addictus fuiſſet, tremere perſecutoris dextram, pallere ora alieno timentis periculo, cùm parvulus non timeret ſuo.* Verè igitur Spiritus Sanctus dum venit in hominem, *venit ſubveniendo.*

P. Nicolaus Trigaut.

D. Ambroſ. lib. de Virg.

N. 105.

Præterea eodem D. Auguſtino teſte, *venit implendo.* Et quidem, ùt docet D. Cyprianus; *ſicut ſponte Sol radiat, dies illuminat, fons rigat, imber irrorat, ita ſe Spiritus Cœleſtis hominibus infundit.* Eorum corda & animas varijs gratiarum donis implet, & conſtantem præbet hilaritatem. Hujus exceſſivam prorſus in hominibus operationem ponderans D. Gregorius hom: 30. in Euang. admirabundus exclamavit: *O qualis artifex eſt iſte Spiritus Sanctus, mox enim ut tetigerit mentem, docet & implet*; itaque implet, ut hominem gratijs refertum quaſi in alium mutet, eíque novam præbeat vitam; nam *adveniens Spiritus Sanctus in hominem* (confirmat dicta mea D. Baſilius hom. 1. de Bapt.) *præbet ei vitam, dat ſanctificationem*; & qui paulò antè vilis deſpectus ac miſerabilis erat, à ſuperveniente ejus gratiâ, in eximium prorſúsque glorioſum evadit: *Homo enim ab inhabitante Spiritu Sancto* (ait idem

D. Cyprian.

D. Gregor.

D. Baſilius.

D. Baſilius.

Digitized by Google

idem) *Propheta, Apoſtoli, Angeli habet dignitatem, cùm prius eſſet terra & cinis.*

Quod ut exemplis clariùs oſtendam; dicite mihi, quid erat, obſecro, Saul primus Iſraëlitarum Rex, antequam Spiritus Sanctus mentem ejus attigit, & implevit? nónne vilis & abjectus erat Agazo? nónne paſcebat aſinas Patris ſui Cis? quæ cùm fugitivæ eſſent, & erràſſent in montibus Iſraël, nónne eas ſollicitè inquiſivit? vilis enim Agazo erat. At poſtquam Propheta Samuel, divino afflatus Spiritu, ejuſdem in illum adventum his verbis prædixit: *Inſiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.* Ac re vera poſtmodum Spiritus Sanctus ſuper eum venit, mox eum Prophetam fecit, *& prophetavit in medio eorum*; adeò ut populus mirabundus diceret: *Num &*
1. Reg. 10. *Saul inter Prophetas*, 1. Reg. c. 10. Pari ratione, ſi Apoſtolos ante
D. Chryſoſt. adventum Spiritûs Sancti conſiderem, meritò cum D. Chryſoſtomo auſim dicere: *Nónne erant rudes, illiterati, piſcatores*; maximè Petrus Apoſtolorum coryphæus, qui nec legere, nec ſcribere nôrat, ſed ſolùm retia contexere didicerat? & tamen ut primùm: *factus eſt repentè*
Actor. 2. *de cælo ſonus, & Spiritus Domini replevit domum, ubi erant ſedentes*; è veſtigio eum, cæteróſque ex idiotis effecit Apoſtolos, qui Sapientes hujus ſæculi confunderent, Regéſque ac Principes converterent. Nam
D. Auguſt. *per piſcatores lucratus eſt Imperatores*, ait D. Auguſtinus. Denique quamprimùm idem Sanctiſſimus Spiritus, Divum implevit Levitam Stephanum; ut ipſis hominibus videretur *plenus Spiritu Sancto*, Act. 7. mox eum in Angelum mutavit. Adeò ut vel ipſi adverſarij eum pro
Actor. 7. tali agnoverint: *Nam intuentes eum omnes* (ajunt Acta Apoſt.) *qui ſedebant in concilio, viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli.* Nec
D. Baſilius. abs re, ſiquidem D. Baſilio teſte: *Homo ab inhabitante Spiritu Sancto Propheta, Apoſtoli, Angeli, habet dignitatem.*

N. 106. Nec ſolùm has dignitates & gratias Spiritus Sanctus hominibus impertitur, ſed & plures alias, ob quas Sancta Eccleſia meritò eum ſic affatur: *O Conſolator optime, dulcis Hoſpes animæ, dulce Refrigerium; in labore requies, in æſtu temperies, in fletu ſolatium.* Nam ſi adveniens in cor quodpiam hominis, illud offendat tetris perturbationum nebulis obductum, ac amaris lachrymarum fluentis inundatum: adeò gratiarum ſuarũ luce illud illuminat, & benignitatis calore, lachrymas exſiccat,

Digitized by Google

ſiccat, ut dictum illud Moyſis, quod ipſe de aquis diluvij protulit, hìc quàm optimè uſurpare poſſim: *Adduxit Spiritum ſuper terram, & imminutæ ſunt aquæ*; id eſt, DEUS adduxit ſuper nos Spiritum ſuum Sanctum, & mox imminutæ ſunt aquæ lachrymarum, & priſtina nobis lætitia reddita eſt. Pulchrè ſanè confirmat dicta mea D. Rupertus: *DEUS dedit hominibus Spiritum Sanctum, qui ita nebulas cordium diſſipavit; fluctus lachrymarum exiccavit; quomodo ille ventus, quem tunc DEUS adduxit ſuper teram, & aquas imminuit.* Id ſanè experti fuerunt Apoſtoli, qui non ſolùm *Triſtes erant de Chriſti acerbo funere, quem morte crudeliſſimâ ſervi necârant impij*; ſed etiam de Aſcenſione Domini, quòd eos hinc abiens quaſi orphanos deſeruiſſet. At ubi Spiritus iſte Domini ad eos *venit implendo*. Ità corda eorum, inſolitâ implevit lætitiâ, ut eam non capientes de occluſis ob metum Judæorum eruperint domibus; ac in compita proſilientes, ejus adventum, vario lingvarum prolocuti idiomate atteſtati ſint; adeò ut ex ipſis populis nonnulli ſubitam hanc cernentes immutationem, ad ſe invicem dicerent: *Quia muſto pleni ſunt iſti*, Act. 2. *Interim Chriſtus* (ùt bene notat D. Bernardus) *miſit eis Spiritum Sanctum, qui donaret lætitiam in corde, & de rore cœli, ſi non continuè tamen ſæpiſſimè metum eorum impinguaret.*

Geneſ. 8.

D. Rupert.

Breviari.

S. Bernard.

N. 108. Denique delabens in corda hominum Spiritus Sanctus, *venit illuminando*, ait D. Auguſtinus. Nam ſi cor quodpiam deprehendit in tenebris errorum aut peccatorum exiſtens, mox & illud (modo necdum ſit in malo obſtinatum & obduratum) divinâ ſua luce illuminat, ſuóque ardoris igne peccata conſumit. Nec immeritò: ſiquidem Divo Chryſoſtomo teſte, ſerm. 2. de Pentec: *Idcirco Spiritus Sanctus in igne comparuit, ut ſicut ignis ſpinas comburit; ſic & Spiritus Sanctus peccata diſperdit.* Itaque diſperdit & conſumit ea, ut idem ſpiritualiter operari videatur, quod corporaliter operatus eſt ignis ille veteris Teſtamenti in *aquam craſſam* immutatus. Nam cùm ſummus Sacerdos Nehemias, 2. Machab. c. 1. ignem à Patribus in monte abſconſum deprehendiſſet in aquam verſum. *Juſſit ſacrificia ipſâ aquâ aſpergi*, & ecce ſubitò *accenſus eſt ignis magnus*, qui conſumpſit ſacrificium. Hanc ignis potentiam, ubi ponderâſſet D. Ambroſius, bene eam applicat Spiritui Sancto, inquiens: *Ille ignis typus Spiritûs Sancti fuit, qui deſcendit poſt*

D. Chryſoſt.

2. Mach. 1.

D. Ambroſ.

Do-

Digitized by Google

Domini Aſcenſionem, & remiſit peccata omnium, hic quaſi ignis inflammat animum ac mentem fidelem.

O quot ab hoc igne conſumptis, per pœnitentiam peccatis illuminati fuerunt? quot inquam peccatorum & errorum tenebris immerſi, luce hujus conſumentis ignis irradiati; proceſſerunt in lumen admirabile fidei? Certè D. Auguſtinus ipſe in denſis Manichæorum tenebris conſepultus, graviſſimíſque peccatis obſtrictus; unicè ſalutem ſuam adſcribit igni huic illuminanti Spiritui Sancto. Nam poſtquam cap. 11. ſuarum Confeſſ. tenebras ſuas, his verbis deſcripſiſſet: *Involvebar in tenebris filius tenebrarum, cæcus eram & cæcitatem amabam, & ad tenebras per tenebras ambulabam*; mox ſubjunxit: *Quis factus eſt illuminator meus? Tu* (ſcilicet ô Spiritus Sancte) *coruſcaſti, ſplenduiſti, & fugâſti cæcitatem meam, tu vocaſti me nomine meo, & cognovi vocem tuam, & ecce video.* Vix enim quod bene notandum eſt hæc vox, *Tolle, lege*, è cœlo ad ipſum delapſa eſt; víxque aperto Sacræ Scripturæ codice, legit ea Apoſtoli verba ad Roman. 13. *Non in commeſſationibus &c. Statim cum fine hujus ſententiæ; fatetur ipſe quaſi luce ſerenitatis infuſa cordi meo, omnis dubitationis tenebræ diffugerunt.* Bene proinde dixit idem Sanctiſſimus Præſul, dum venit Spiritus Sanctus, *venit illuminando.*

D. Auguſtin.

Roman. 13.

Quare cùm potiſſimùm Spiritus Sanctus ſuperveniens in hominem: *Veniat ſubveniendo, implendo, & illuminando*, ut luculentè in præſenti demonſtratum eſt; iterum vel hodie ferventi cum deſiderio illud, quod Eccleſia Sancta animitùs expetit, dicamus totis viribus: *Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda Fidelium, & tui amoris ignem in nobis accende: Veni Pater pauperum, Conſolator optime, dulcis hoſpes animæ, dulce refrigerium; in labore requies, in æſtu temperies, in fletu ſolatium.* Et nobis ô Sancte Spiritus ſubveni, nóſque imple & illumina.

Amen.

In

Digitized by Google

Feriâ ſecundâ Pentecoſtes.

CONCIO X.

DEUS, ſi fas eſt dicere, prodigus ſui præ deſiderio hominis. D. Auguſtinus.

ARGUMENTUM. *Quanta & quàm exceſſiva charitate DEUS Pater, mundum verè immundum adamaverit, oſtenditur ex illo omnium pretioſiſſimo* Dono, *quòd videlicet eidem* Filium proprium & unigenitum *dederit in pretium Redemptionis; ut nimirum per mortem ejus, eámque acerbiſſimam, vitam reciperet omnino deperditam. Unde cùm & DEUS Optimus, pro tam immenſo amoris exceſſu; unicè ab homine, reciprocum poſtulet amorem; oſtenditur inſuper digniſſimum eſſe,* ut & nos diligamus DEUM, quoniam ipſe prior dilexit nos. *1. Ioan. 1.*

Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret. *Joan. 3.*

QUi amorem caſſum oculis, velo faſciáque velatum primus finxerat, genuinam ſanè ejuſdem expreſſit proprietatem: *Cæcus enim cùm ſit amor, tenebras infundit menti,* ait Philoſophus, eámque ad amandum eò propellit, ut flagrantiſſimo charitatis æſtu correpta, in illa quandoque feratur objecta, quæ vix ſpeciem alicujus boni præſeferunt. Nec mirum: ſiquidem *mens amore occupata,* adſtipulante D. Bernardô, *& cæca eſt, & ſui juris omnino non eſt.* Patet id etiamnum hodie in nonnullis mortalibus, qui ab eodem circumventi; inſtar ponderis, adeò in rem amatam pertrahuntur, ut nullibi niſi apud hanc, tanquam apud ſuum centrum quieſcere videantur. Hinc alius deperit bruta, alius res inanimatas affectat, alius ipſas quiſquilias maximo habet in pretio.

N. 108.

Ariſtoteles.

D. Bernar.

Digitized by Google

Nunquid non cæcus erat amor, Alexandri Magni, ac Xantippi
Theopompus. quo canes ipſos proſequebantur? nam ùt narrat Theopompus: hic mortuum caniculum, Patris inſtar deploravit, eíque cinotaphium conſtruxit, alter verò in gratiam ſui demortui; civitatem amplam in Græcia ædificavit, ejúſque nomine inſignivit. Similiter quo non, magnus ille Romanorum Cæſar Cajus Calligula, ab amoris protractus erat potentia? equum ſanè quem *Velociſſimum* nuncupabat, vice quadam ad cœnam invitavit; ei hordeum in auro appoſuit, ac in poculis aureis vinum ad potandum copioſum affudit, imò ad tantam delapſus eſt dementiam, ut perſpecta aliquando equi ſui indole, in præſentia procerum Conſulem Romanum fecerit, creaveritque. Pari ratione ut aves omittam Pythagoræ, piſces Lucij Craſſi, ſerpentes Tiberij, qui apud eos maximis erant in amoribus; etiam arbores tantopere quidam adamârunt, ut ab iiſdem vix unquam divelli aut abſtrahi potuerint.
N. 109. Teſtis enimvero eſſe poteſt Paſſienus Criſpus; ſecundùm Romanus Conſul, Oratórque percelebris, qui priùs vitam, quam Platanum ſe-
Plinius. mel adamatam deſerere maluit: *Aſſurgebat*, inquit Plinius lib. 16. c. 44. *in ſuburbio Tuſculano, Collis, in cujus vertite viſebatur nemus perpulchrum, olim Dianæ dicatum, hoc mirum quantum oblectabatur Criſpus, ac licet probaret, amaretque in illo omnia, mirè tamen deperibat præ cæteris unam platanum. Quo impetu amoris factum eſt, ſæpius ut pronus rueret in illius amplexus & oſcula, ſéque non niſi ægrè, ab ea divelli pateretur.* Unde ſub ea cubare ſæpiſſimè, & altiùs ſub viridi lecto indormiſcere ac ſopiri; imò quòd fortè nonnemmo rideat eam non aquâ, non timpido fonte, ſed vino cretico, eóque generoſo quotidie irrigare conſveverat.

Verùm hæc nimia amoris vis & potentia, non ſolùm mortalium corripit pectora eáque ad amandum, propoſita accendit objecta; ſed quod obſtupeſcendum eſt, ipſam divinam, immortalis DEI adeò occupavit mentem, ut eandem quoque, *arborem* unam vix ullo amore dignam, in immenſum diligere, quodammodo coëgerit. Nam quemadmodum Romanus hic Conſul, ingentes Platano exhibuit charitatis affectus; dum propria manu quotidie eam Cretico irrigaret; ità & immortalis DEUS *Arborem* hanc ſuam ſcilicet genus humanum (quod Scriptura & SS. Patres arbori comparare ſolent) tanto jam ab æterno

pro-

proſecutus eſt amore; ut eam non vino & aquâ ſed copioſo ſimul, ac pretioſo Unigeniti ſui ſangvine, largiſſimè irrigare non dubitaverit: *Sic enim DEUS dilexit mundum* (ait D. Joan. c. 3.) *ut Filium ſuum Unigenitum daret*; qui pretioſiſſimo ſuo ſangvine irrigatum; à petorum ſordibus emundaret, ac jam bene mundum, creſcere faceret in mille millia. *Ioan. 3.*

De hoc igitur divino amoris exceſſu, ob quem Divus Auguſtinus *DEUM quaſi prodigum ſui* compellavit. Brevem in præſenti inſtituam ſermonem; ut impoſterum à nobis tantus amor reciprocè ametur. *D. Auguſt.*

Dilectus Chriſti Diſcipulus, illiúſque *amor ac deliciæ Joannes*, immenſam DEI charitatem expreſſurus, hæc verba poſteritati tranſcripſit: *Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret.* Profectò *verba infinita* (juxta D. Thomam) *charitatis intenſionem ſignificantia*! nam ea particula *Sic*: eſt explanantis & obſtupeſcentis, emanat enim è duobus amabilis ille ſtupor; primùm ex eo, quòd mundum amârit *DEUS æternus*: alterùm, quòd *ſic* amârit; certè DEUM ter Optimum, ter Maximum aliquid extra ſe amare, miraculo videri debet, cùm enim in ſe ipſo habeat omne bonum, omne delectabile; evenit, ut dum DEUS amat mundum, quodammodo à ſe ipſo exeat, & tranſeat veluti in mundum, quem amat; ſiquidem hoc eſt proprium amantis. Et hinc prima admirationis ratio. Accedit & altera, & quidem potentior, quòd hominem, quòd mundum amârit DEUS, in quo nulla boni ſpecies, nulla amoris præceſſit ratio. Sanè inter divinum & humanum amorem illud reperio diſcrimen, quòd hic in alijs præinveniat, quod amet; alter autem nihil omnino in nobis reperiat quod amet, ſed ſolùm illud ipſum amando faciat; nec tamen ullo ſuo cum commodo, nec ulla ſua cum utilitate; cùm ipſe ſit ſibi ſatis. N. 110. *D. Thomas.*

A cunctis enim ſi adſint, ei accedit nihil, ſi abſint, etiam decedit nihil, quia creata omnia, perfectiùs in DEO ſunt quàm in ſe ipſis. Accreſcit & aliunde admiratio; non enim ſolùm invenit in nobis bonum quod amet; ſed prô dolor! offendit potiùs malum, quod oderit ac deteſtetur. Et hic eſt exceſſus divini amoris, in quo uno deficit D. Pauli calamus, animúſque, hic dum non capit; ille dum non ſatis exprimit, dicens: *Commendat charitatem ſuam DEUS in nobis; quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt*, ad Rom. 5. *Roman. 5.*

Unde

Digitized by Google

Unde ſi pro Juſtis mortem oppetijſſet Salvator, ſi pro candidis mentibus & amœna virtutum ſtola inveſtitis, ipſe victima ad aram crucis cecidiſſet, nè cælo illæ aliquando exciderent; in ſummis haberi debuiſſet ea amoris cònniventia. Siquidem *majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* At cùm pro ipſis peccatoribus, qui Superis, cœlo, ipſíque terræ; odio, nauſeæ, ac horrori ſunt, ſangvinem ſuum pretioſiſſimum fuderit; erit charitas omni charitate major, adeóque ſumma ac divina, quæ in alium, quàm in DEUM ipſum cadere non poterit.

Joan. 15.

N. III. Proinde ſi prodigij locò eſt hominem, vel tantùm amâſſe, quanti non erit: *Sic amâſſe; Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret.* Filium, inquam, non hominem unum aliquem, non Spiritum Angelicum, cœlíque Principem, non mundum alterum, non hunc ipſum orbem ſpectabilem, & latentes in eo gazas innumeras, ſed *Filium*, eúmque ſuum ab æterno dilectiſſimum: *Non enim ſervum* (inquit D. Thomas in Joan.) *non Angelum, non Archangelum dedit, ſed Filium ſuum.* Nos abjecti mortales, ſi quid DEO damus, non noſtra damus ſed aliena, id eſt DEI, à quo ea accepimus, & cujus etiamnum ſunt ea, cùm reddimus: at Pater æternus Filium obtulit, ejuſdem etiam individuæ conſortem Naturæ, adeóque ſummè *ſuum* & quidem *Unigenitum. DEUS diligens mundum* (ait præclarè ad propoſitum meum D. Hilarius lib. 6. de Trinit.) *Filium non adoptivum, ſed ſuum, ſed unigenitum dedit: hinc proprietas eſt, nativitas eſt, veritas eſt.* Si enim plures illi fuiſſent Filij, unum orbi noſtro ceſſiſſe, alios ſibi reſervâſſe videri poterat; at unus fuit, nec alter ab illo eſſe potuit; & hunc *Unigenitum dedit,* non vendidit accepto pretio ab homine, non commutavit, non mutuo obtulit, ſed donavit; & quidem eum in finem, ut pro mundi vita ſuam perderet vitam. O igitur prodigium inauditum! inſolens! portentoſum.

D. Thomas.

D. Hilarius.

Laudet nunc, ipſa imò ad ſidera extollat Hiſtoricus Anglicanus, memorabile facinus Heroinæ illius, quæ Stephano Regi Angliæ indiſſolubili juncta erat connubio; laudet, inquam, inſignem Reginæ illius charitatem, nunquam tamen, vel in comparationem minimam, cum profuſo illo amore DEI venire poterit. Jacebat Rex Stephanus, ùt memorat hiſtoria, adeò enſe veneno infecto vulneratus, ut vulnus ob peſti-

peſtiferam veneni qualitatem à Medicis omnibus inſanabile fuerit exiſtimatum. Unicum tamen ſuperfuit remedium; ſi quis vulneri os apponeret, illúdque mortiferum venenum ſugendo, ſe morte manifeſta, Regem verò vitâ donaret. Noluit pientiſſimus Rex tanto uti remedio, nè pro ſe quivis alius moreretur; ſed ecce incredibili amore flagrans Regina, ipſo medio mortis ſilentio ſurgit regio è cubili, ipſíque vulneri tacens manum admovet, alligaturas exſolvit, os apponit, mortem ſugit, ſícque Regem maritum à morte liberat.

At ſi licet magna componere parvis, ſi per humana elucidare divina: Jacebat, fateor, vulneratum æquè genus humanum, ex veneno adeò mortiferè, ut per originale in omnes transfuſum, omnes perimeret, nullúmque huic communi exitio extaret remedium. Unde pariter, *dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter peragerent*; non è Regum aut Principum ſtemmate perſona quæpiam, ſed *omnipotens ſermo*, imò *VERBUM* increatum, *de regalibus ſedibus venit*; vulneri noſtro os ſuum appoſuit: & *verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit, cujus livore ſanati ſumus.* Iſaiæ 50. *Sic*, inquam, *DEUS dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret*; Filium pro ſervo, Innocentem pro nocente, Judicem pro reo, DEUM pro homine, Creatorem pro creatura; & quidem ità dedit, ut tollatur in crucem, affigatur, pendeátque de ligno, in quo ſangvinem & vitam per extremos cruciatus effundat, ac ignominioſæ quodammodo ſuccumbat morti, quæ tamen Judæo futura erat ſcandalo, Ethnico ſtultitia.

N. 112.

Sapient. 18.

Iſai. 50.

Præterea ſi Filium dediſſet æternus Pater, ut huic orbi Rex imperaret, ut in eo velut DEUS coleretur; in eo quieſceret ac deliciaretur, ſicuti tota æternitate in ſinu Patris exiſtens deliciari conſveverat, illud ipſum ingentis beneficij loco haberi debuiſſet. Verùm Filium ſuum dare, imò quaſi prodigere atque abjicere, ad vincula, ad funes, ad ſputa, ſupplicia, flagella, crucem, & infandam mortem; hoc enimvero miraculum eſt, & prodigium, quod omnes amoris limites, omnes charitatis tranſcendit cancellos. Unde Eccleſia, hanc immenſam amoris vehementiam conſiderans ad Patrem cœleſtem ſic exclamat in Sabbatho Sancto ex S. Ambroſio ſerm. de Nativ: *O mira circa nos tuæ pietatis dignatio! ô inæſtimabilis dilectio charitatis! ut ſervum redimeres, Fi-*

Digitized by Google

D. Auguſt. *lium tradidiſti.* D. Auguſtinus verò ſerm. 71. de tempore, ut hunc eundem divini amoris exceſſum verbis aliquantum exprimeret, eum cum amore intenſiſſimo Abrahami, Filium unicum efferentis comparare voluit: *Videte Fratres*, inquit, *DEUM cum hominibus magna pietate certantem; Abraham mortalem Filium, non moriturum obtulit DEO, & DEUS immortalem Filium pro hominibus tradidit morti.*

N. 113. Pro tanto nunc amoris exceſſu; DEUS optimus nil aliud à nobis poſtulat, nil aliud ab homine requirit, quàm ut rurſum Creatorem ſuum redamet, beneficia collata recolat gratúſque exiſtat. Hinc pernix illa Aquila Joannes, ubi de charitate divina in ſua prima Epiſtola efficaciter diſſeruiſſet; mox illud ſubjunxit: (1. Ioan. 1.) *Nos ergo diligamus DEUM, quoniam ipſe prior dilexit nos.* Nec etiam quidquam à nobis præter amorem deſiderat, quo ſolo omnes cruciatus ſuos optimè collocatos exiſtimat: (D. Bernard.) *Solus enimverò eſt amor* (ait perbellè mellifluus Bernardus ſerm. 83. in Cant.) *ex omnibus animæ motibus, ſenſibus atque affectibus, in quo poteſt creatura, etſi non ex æquo, reſpondere tamen Authori ſuo. Nam cùm amat DEUS* (ait ulteriùs) *non aliud vult quàm amari, quippe non aliud amat, niſi ut amet.* Propterea & infinita illa Majeſtas (ſi credimus D. Auguſtino) (D. Auguſt.) incarnari noſtrámque humanam naturam aſſumere voluit; ut homo tantò familiariùs amare poſſet DEUM incarnatum, quem fors timuiſſet nimiùm DEUM increatum: *Ad hoc quippe VERBUM caro factum eſt* (ait in manuali ſuo cap. 26.) *ut tantò familiariùs diligeretur DEUS ab homine.* Et in hac divini amoris palæſtra exercitati erant ignei Apoſtoli, & multa ferventiſſimorum Martyrum millia, qui divino Spiritûs Sancti igne inflammati, toto corde, mente & anima DEUM ſuum diligebant. In hac excelluit D. Auguſtinus, qui (D. Auguſt.) identidem illud repetebat: *O anima mea dilige eum, à quo tantùm dilecta es; ama amantem te.* In hac ſummè profecit D. Patriarcha noſter verè igneus Ignatius, qui ardentiſſimo in DEUM flagrans amore, ſæpiſſimè in illa erumpebat verba: *Utinam te homines noſſent, DEUS meus & omnia!* In hac denique ut nihil memorem de Seraphico Franciſco, nihil eloquar de ferventiſſimo Xaverio, fuit prorſus eximius D. Philippus Nerius, qui divino charitatis incendio exæſtuans, continuò illud ingeminare ſolebat: *DEUS cùm tam amabilis ſis, cur dediſti nobis tantum unum cor? & adhuc tam parvum.*

Inte-

Digitized by Google

Interea, quod ſiccis oculis proferre vix poſſum, quod ſangvineis etiam lachrymis deplorandum eſt; tanta cæcitate obruuntur mortales, ut amori huic nequaquam reſpondeant, beneficiorum obliviſcantur; nec ulla reciproci amoris oſtendunt indicia. Certè ſi verum, utì veriſſimum eſt illud, quod quondam intonabat omnibus D. Joannes Ep. 1. c. 3. *Qui non diligit, manet in morte*; auſim dicere talem hominem, non ſolùm ingratum, barbarum, efferum eſſe; ſed inſuper diabolico in DEUM ſuccenſum odio; ut qui tot tantíſque divini amoris illecebris ad redamandum non moveatur. Jllud ſanè non meum ſed Guilielmi Pariſienſis, viri doctrinâ & ſanctitate conſpicui eſt judicium; qui conſiderans unum aliquem, in ferventiſſimo DEI erga ſe amore, quaſi in immenſæ fornacis medio conſiſtentem algere; meritò exclamavit: *Quis ad hoc diabolicum, terrificum miraculum non obſtupeſcat?* Hinc amariſſimè olim vel ipſe Redemptor noſter Chriſtus DEUS, advertens amorem ſuum, ſuíque æterni Patris, ſceleribus, peccatis, aliíſque contumelijs innumeris, conculcari ac vilipendi; amariſſimè inquam queſtus eſt S. Brigittæ his verbis: *Ab omnibus neglectus ſum, ab omnibus expulſus ſum, quia nemo me in ſua dilectione habere deſiderat.* Itáne dilecte votorum meorum? itáne amantiſſime DEUS ab omnibus negligeris? ab omnibus expelleris? nemo infinito tuo reſpondet amori? nemo denique te amabiliſſimum, pulcherrimum in ſua habere, aut retinere deſiderat dilectione? Vos verò ô miſerrimi mortales, itáne veſtrum poteſtis imò audetis amorem, in miſeram quampiam convertere creaturam? In creaturam, inquam, quæ hodie inſtar ſepulchri dealbati nitet ac ſplendicat, cras ſanie ab tabo reſperſa, vermium atque bufonum eſt receptaculum? itáne nullam prorſus DEO, Creatori ac Domino veſtro, communicare vultis charitatem? obſtupeſcant igitur cœli, exhorreſcat terra! *Aves laudant DEUM* (ait mirabundus D. Ambroſius lib. 4. hexamer.) *homines injuriis afficiunt; ſurgente & occidente die ſuos cantus inſtaurant, ut laudes ſuo referant Creatori.* Dicam ampliùs cum Iſaia c. 1. *Bos cognovit Poſſeſſorem ſuum*, ſeu ùt hebræus habet, *Emptorem ſuum*; *Iſraël autem non cognovit, & populus non intellexit.* Mirum enimvèro eſt hoc; emit quiſpiam bovem, parum fæni illi præbet, ſtatim bos emptorem agnoſcit, exiguíque illius beneficij memor, ſequitur illum, quocunque eum ducit: in-

1. Ioan. 3.

Guilielmus Pariſ.

N. 114.

Revelat. S. Brigittæ.

S. Ambroſ.

Iſai. 1.

ingratus verò peccator tot beneficiorum funibus conſtrictus DEUM benefactorem maximum non agnoſcit; eique vix tantillum rependit amoris: imò quod deteſtandum eſt, ſacrilego perſequitur odio. Unde meritò cum manſvetiſſimo Moyſe hos & ſimiles alloqui audeo: *Haccine reddis Domino, popule ſtulte & inſipiens; qui propter neglectum amorem, & perpetrata ſcelera comparatus es jumentis inſipientibus, & ſimilis factus es illis.*

D. Auguſt. *Quare fugiamus Fratres* (verba ſunt D. Auguſtini) *fugiamus vitium hoc ingratitudinis, & jugi beneficiorum memoria, perpetuáque gratiarum actione Creatori noſtro, amorem rependamus*; & ſic fiet, ut amorem illum infinitum, qui juxta D. Bernardum, *Totus in uſus noſtros expenſus & conſumptus eſt*, reciprocè amemus.

D. Bernard.

Feriâ tertiâ Pentecoſtes.

Concio XI.

Chriſtus verus Pelicanus. Ex lib. revelat. S. Gertrudis.

ARGUMENTUM. *Ut & Chriſtus JESUS magnitudinem amoris ſui, quo erga nos homines miſeros flagrabat, palàm declararet; his uſus eſt verbis apud D. Ioannem cap. 10.* Ego veni, ut vitam habeant *Unde in præſenti inducitur is, veluti* Pelicanus verus, *qui nobis profuſo ſuo ſanguine vitam abundantiſſimè contulit; ac infinitè majora præſtitit beneficia, quàm ij, qui unquam pro ſubditis ſuis vitam ſuam intrepidè expoſuêre. Propterea & ipſi tanquam Redemptori & Liberatori noſtro benigniſſimo nos in æternum gratos eſſe debere, luculenter oſtenditur.*

Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.

Ioan. c. 10.

N. 115. NUllum majus beneficium hac in terra, homo homini præſtare poteſt, quàm ſi vitam alicui, quæ jam tenui pendebat in filo, inviolatam conſervet, eam à manifeſto mortis eripiat diſcrimine, ejúſque truculentæ ſubducat falci; cauſa

cauſa hujus eſt, quia cuilibet à natura inditum, ut vitam foveat, diligat, tueatur: *Vita licet brevis* (ſententioſè ùt aſſolet, ait Euripides) *attamen dulcis ac ſuavis eſt.* Apparet id, vel in ipſis terræ vermiculis, quos ſi pede premas, omnem ſe gyrant in partem, ut conceſſam ſolummodo retineant vitam. *Euripides.*

Profectò an non animô mœſta, corpore ſqualida, lachrymis undique perfuſa, ad locum ſupplicij proceſſit; iniquo judicio condemnata, caſtiſſima Suſanna? ùt legere eſt Daniel. 13. an non ad cœlum ſuæ innocentiæ conſcium lachrymantes erexit oculos? an non ad DEUM, qui non ſinit opprimi juſtos, Eccleſiaſtico teſte cap. 4. *Lachrymis innocentium movebor* (interiora cordis ac mentem levavit dicendo) *DEUS æterne, qui abſconditorum es cognitor, ecce morior, cùm nihil horum fecerim?* Unde poſtquam Daniel, puer adhuc, totum judicij ſtitiſſet proceſſum, cauſam denuò eventilâſſet, ac inveteratorum duorum ſenum nequiſſimam fraudem detexiſſet; poterátne caſtiſſimæ Suſannæ majus præſtare obſequium, aut majus exhibere officium, quàm vitam, jam penè perditam reſtituendo? Certè hanc à morte ereptionem illi fuiſſe unicè in votis, colligere licet ex gaudio illo immenſo, quo non ſolùm liberata Suſanna, ſed ipſe circumſtans populus, mirum in modum perfuſus fuit: *Exclamavit* enim, ait textus, *omnis cœtus voce magna, & benedixerunt DEUM, qui ſalvat ſperantes in ſe.* Suſanna verò quaſi denuo in lucem hanc progenita, quoad vixit, ſemper grata extitit liberatori ſuo Danieli. *Daniel. 13.* *Eccli. 4.* *Dan. 13.*

Si igitur maximum in terris beneficium eſt morti eripere alterum, ac vitam in mortis limine conſtitutam, ad plures annos revocare! quali non beneficiorum genere nos cumulaverit, unigenitus æterni Patris Filius, benedictus JESUS, qui è ſolio divinitatis procedens, in hac lachrymarum valle, formam ſervi aſſumpſit, ac nobis vitam, non tam corporis quàm animæ per originale ereptam liberaliſſimè reſtituit? profectò beneficio tali nos affecit, quo majus excogitari omnino nequit: *Siquidem DEUS qui dives eſt in miſericordia ſua* (ait D. Apoſtolus ad Epheſ. c. 2.) *propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, cùm eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto.* Itaque convivificavit, ut Chriſtus nobis non ſimpliciter *vitam*, ſed cum *abundantia* reſtituerit. Ait enim ipſe apud dilectum ſuum Diſcipulum Joan- *Epheſ. 2.*

Digitized by Google

Ioan. 10. nem cap. 10. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Decet igitur, ut in præſenti nonnihil agam, de infinita charitate Filij DEI quâ & nos miſericorditer prævenit, & vitam per ſcelera ereptam rurſum abundanter contulit: quòd dum facio, animitùs opto; ut & corda noſtra, Salvatori huic liberaliſſimo, debitum impendant amorem.

N. 116. Verum ac vivum incarnati amoris ſymbolum, per Pelicanum, ſuos pullos ſangvine paſcentem, primus qui expreſſit, à charitatis ſcopo haud multùm abluſit. Fertur enim (ſive jam ſit fabula, ſive veritas non laboro) avem hanc tanto in pullos flagrare amore; ut ſi in nido à morte præoccupatos advertat, eos proprio ſangvine è pectore elicito, reſuſcitare contendat. *D. Auguſt.* Hinc ipſe D. Auguſtinus in Pſal. 101. de eo ſic ait: *Dicitur Pellicanus ſanguinem ſuum ſuper pullos fundere, quo ipſi ſuperfuſi reviviſcant, fortaſſe hoc verum eſt; fortaſſe hoc falſum eſt, ſed quemadmodum illi congruat, qui nos vivificavit ſanguine ſuo, videte & perpendite.* Et certè Salvator noſter, dum Filio nos ſaturaret, eſurijt; ut potaret, ſitivit; ut reficeret, deficit; ut animaret, ſangvine ſuo è viſceribus hauſto ſe ſpoliavit, verè Pelicanum ſe geſſit; ac infinitæ in ſuos charitatis exhibuit indicia: adeò ut amor ille, qui apud Veteres habebat *modum in rebus*; amor noſtri Pelicani *nullum novit habere modum.* *S. Thom. Vill.* Siquidem ut divinus exclamat Eccleſiaſtes Thomas Villanovanus: *Dilexit nos Dominus ſupra modum, dilexit nòs ſinè modo, & qui omnia in numero pondere & menſura fecit; in diligendo nos, modum, pondus, menſuram exceſſit,* idque ideo *ut vitam habeamus, & abundantiùs habeamus.*

Propterea ut & ipſe amoris ſui prodigium, quondam D. Gertrudi (poſtquam ſacra fuiſſet Synaxi refecta) ſub aliquo declararet ſchemate, non ùt fabuloſus ille Jupiter ſe convertit in aquilam, ſed Pelicani aſſumpſit figuram, illi ſe ſpectabilem ſtitit, ac roſtro ſangvinem è pectore elicere viſus eſt. A quo dum attonita quæreret, cur amor illius, in hanc ſe tranſmutâſſet formam, illicò repoſuit illud, quod habetur in *Revelat. S. Gertrudis.* lib. 3. revel. c. 18. *Aſſumpſi formam Pelicani, ut contempleris vim illam amoris; illum impetum infinitæ charitatis meæ, qua impulſus ſum, ad largiendum hoc munus corporis & ſanguinis mei omnium munerum præſtantiſſimum.*

Quo-

Quomodo autem effecerit, *ut vitam habeamus, & abundantiùs* N. 117.
habeamus; enucleatiùs conſideremus. Certè ſub Adventum Domini,
quis ſtatus fuerit orbis univerſi, in qua ſcelerum ſentina delituerit, pau-
culis exprimit verbis D. Euangeliſta Joannes in ſua Epiſt. dicens: *To-* *1. Ioan. 5.*
tus mundus in maligno poſitus erat; ſeu ùt explicat D. Chryſoſt: *Totus* *D. Chryſoſt.*
mundus in malo igne, concupiſcentiæ videlicet, libidinis ac ſuperbiæ,
poſitus erat. Siquidem miſeri mortales in umbra mortis, veluti tene-
brarum filij; *palpabant quaſi in tenebris & non in luce, & errabant quaſi* *Iob. 12.*
ebrij. Job 12. idque ea de cauſa, quia ſervorum inſtar venditi erant
ſtygio tenebrarum principi, juxta illud Iſaiæ 50. *Peccatis veſtris ven-* *Iſa 50.*
diti eſtis. Verùm quomodo vendi poterant à peccatis proprijs, quæ-
rit ſollicitè doctiſſimus Origenes, ſuper hunc locum Iſaiæ: *Si enim pec-* *Origenes.*
catores traduntur Dæmoni, qualinam eos emit pecuniâ? ſed ingenioſè
ac doctè propoſitam ſibi quæſtionem ſolvit, dum ait: *Unuſquiſque pec-*
catis ſuis venundatur, & pro iniquitatibus ſuis à proprio Creatore diſcedit;
homicidium enim, luxuria, cæteráque peccata, pecunia eſt Diaboli, quibus
ſi animam inficis, pecuniam accepiſti, & te Dæmoni vendidiſti, - - nam
hæc omnia cenſus illius & theſaurus eſt; hac pecuniâ emit ille, ac efficit ſibi
ſervos omnes.

Idcirco ſtimulante charitate, modos innumeros ſuggerente amo-
re divino, miſertus eſt venundatorum Dominus, & cùm aliâ pecuniâ
nos redimere non vellet, quàm ſuo ſangvine, pretium igitur dedit ſui
ſanctiſſimi ſangvinis, & non ſimpliciter, ſed abundanter redemit: *Ve-* *Origenes.*
niens Chriſtus, inquit idem Origenes, *redemit nos, ſuo pretioſo ſanguine,*
cùm ſerviremus illi Domino, cui noſmetipſos peccando vendidimus. Ad-
ſtipulatur dictis hiſce peregregiè D. Mediolanenſium Antiſtes Am- *D. Ambroſ.*
broſius, dum verba illa explanat: *Madianitæ vendiderunt Joſeph in Æ-*
gyptum (ait) *Chriſtus ſuo ſanguine redemit, quos in Ægypto propria pec-*
cata vendiderant. Ad hanc quoque per Filium redemptionem alluſiſſe
videtur Pater æternus, quando in veteri lege Exodi 6. populo ſuo per *Exodi 6.*
Moyſen hoc beneficium pollicitus erat, dicens: *Ego Dominus educam*
vos de ergaſtulo Ægyptiorum, ac redimam in brachio excelſo; quod ex-
plicat D. Hieronymus ſic: *Quid aliud brachium Excelſi, quam Filius* *D. Hieron.*
Excelſi, qui Rex potens & fortis in prælio; imò Dominus exercituum to-
ties in Scripturis intitulatur. Unde S. Epiphanio teſte: *Chriſtus unige-* *D. Epiphan.*
nitus

Digitized by Google

nitus, pro toto mundo obtulit ſe ipſe victima, ipſe ſacrificium, ipſe Sacerdos, ipſe DEUS, ipſe homo, ipſe ovis, ipſe agnus, omnia in omnibus, pro nobis factus, ut nobis vita omnibus modis fieret. Bene proinde dixit: *Ego veni, ut vitam habeant, ac abundantiùs habeant.*

N. 118. Pergat nunc Oratorum Alpha Tullius, & per me licet etiam pro roſtris, floridâ ac potenti verborum energiâ, deprædicet, toties jam deprædicatum, Regem Athenienſium Codrum; qui nimio erga ſubditos amore flagrans, ut eorum vitam in tuto reponeret; in medios ac refertos hoſtium cuneos ſe immerſit, unáque vitam cum ſangvine prodegit. Pergat, inquam, flexanima ſua voce, heroicam illam charitatis victimam celebrare; umbram ſolummodo ad lucem amoris noſtri adferet; qui opere & factis nobis omnibus vitam attulit abundantem. Fateor equidem Codrum ardentiſſimo in ſuos flagrâſſe amore, dum vitam ſuam tantæ expoſuit lanienæ; ſed amor illius alterum non eſt aſſecutus finem, ſalutem nimirum ſuorum, quam intenderat.

M. Tull. Cic.

Laudet etiamnum (ne longè petita adducam exempla) noſter P. Martinus Martinius Sinenſis hiſtoriæ Concinnator, ardentiſſimæ charitatis Heroëm; imperterritum Sinenſium Imperatorem Lovangum, qui Anno 1644. cùm ab Orientalibus Tartaris; in metropoli ſua cingeretur, amore nimiùm quantùm erga ſuos exæſtuans, ex urbe proceſſit, hoſtibus ſe tradidit, ac his verbis vitam ſuam, pro incolumitatem Civium ſuorum obtulit: dicendo: *De me quod vultis ſtatuite, ego pro ſubditis meis vobis victima ero.* Laudet, inquam, celebris hic Hiſtoricus præclarum hoc amoris facinus & tenebras ſolummodo, lucidiſſimo noſtro affundet amori. Vitam quidem ſuam, hic glorioſus Imperator, lubens ac volens, in medio ſuorum hoſtium prodegit: at vitam fortunas, incolumitatem ſubditorum ſervare non potuit. Siquidem urbis illius incolæ, adhuc die illâ in Tartarorum devenerunt poteſtatem, ac contra omnia pacta, ferro flammíſque vaſtati miserè conſumpti ſunt. Chriſtus verò amor noſter, vitam omnibus liberaliſſimè contulit, & quidm ità, ut totum quantum, è corpore, è venis ipſis, profuderit ſangvinem copioſiſſimum, & per innumeros cruciatus in ligno crucis occubuerit: *Cùm enim poſſet nobis non moriendo ſuccurrere,* (ait D. Bernardus) *voluit tamen moriendo ſubvenire; quia nos videlicet minùs amâſſet, nec vim ſuæ dilectionis nobis oſtenderet; niſi hoc quod à nobis tolleret, ad tempus ipſe ſuſtineret.*

P. Mart. Martinius.

S. Bernard.

Dicat

Dicat mihi proinde nonnemo; cùm è communi Theologorum ſententia, Chriſtus vel unicâ guttâ ſangvinis, quam in Circumciſione fudit, imò vel unicâ lachrymulâ, ex ijs quas in cunis vagiens pro nobis expreſſit, mille mundos redimere potuerit: imò ampliùs dico cùm vel unico gemitu in Virginis Sanctiſſimæ utero emiſſo; aut nictu oculi ad Patrem ſuum ſublati, innumeros homines, utpote actu infiniti meriti redimere potuerit. Dicat, inquam, cur inſuper tot labores, ſudores, ac opprobria à juventute pertulerit? cur tot alapas, ſputa, flagella horrida, vulnera copioſiſſima ſuſtinuerit? cur demum ignominioſiſſimam mortem crucis ſubire voluerit? Nunquid non amor hominum omnium horum cauſa extitit? extitit enimvero. Nam, *Quod ſufficiebat redemptioni* (ait præclarè, ùt aſſolet D. Chryſologus ſerm. 128.) *non ſufſecit amori.* Amori inquam, *qui & menſuram excedit*, teſte D. Bernardo, *& modum ſuperat, & ſupereminet univerſis, non erat factum ſatis.* N.119. *D. Chryſol.* *D. Bernar.*

Hinc unica de oculis profuſa lachrymula videbatur exigua; unicum in terris emiſſum ſuſpirium, nimis videbatur parum, nec tanto congruere amori. Idcirco *pro redimendo ſervo* (inquit rurſum D. Bernardus lib. de Paſſ.) *non ex parte, ſed totum ſanguinem ſuum, ex multis & largis foraminibus effudit Salvator*; imò ut tantò magìs amor ille divinus, in patiendo pro nobis omnem modum excederet, pendentem in cruce Dominum impulit, ut amabilem illam querelam effunderet: *DEUS meus, DEUS meus, ut quid dereliquiſti me!* peterétque in Patre ſuo aſſiſtentiam corroborativam, qua per plures adhuc horas, imò & dies, diriſſimos cruciatus noſtri causâ perferre poſſet. Jllud non meum, ſed Vener. Bedæ eſt, qui in caput 27. Matthæi hæc habet: *Chriſtus ex vi tormentorum ſuam mortem accelerari videns, & volens diutiùs pro nobis ferre tormenta, hanc amore refertam querimoniam propoſuit Patri æterno. Pater, cur tam citò me mori diſpoſuiſti? cur non mortem protrahis? ut magis magiſque pro hominis amore patiar.* *D. Bernar.* *Matth. 27.* *Ven. Beda.*

Similiter amoroſum illud verbum *Sitio*: in cruce prolatum, quid aliud ſignificabat, quàm inextingvibilem illam charitatem, qua jam ab æterno in homines flagrabat? Teſtatur ſanè id D. Laurentius Juſtin. lib. de triumph. Chri. dum eum ad Patrem ſuum his verbis inducit peroranten: *Si hæc quæ tolero, Pater æterne, pauca videntur; adde flagellum flagello, appone vulnera vulneribus, lacera, ure, conſige, occide univerſa* N.120. *D. Laurent. Juſt.*

hæc, & majora toto deſiderio adhuc ſitio. Quare & hunc eximium amoris exceſſum cùm paulò attentiùs conſideràſſet D. Rupertus lib. de Div. Offic. hæc admirabundus exclamat: *Mira res, non ſat habuit Chriſtus, ex ſuo ſanctiſſimo corpore, in ſua Circumciſione ſanguinem fundere, non ſat erat ſanguinis rivulo Jeruſalem, Pilatique tribunal, ac Calvariæ locum irrigari; inſuper poſtquam omnia conſummata fuerunt, fudit abundanter ſanguinem; tum videlicet, quando unus militum lanceâ latus ejus aperuit*. O igitur nimiam ac prodigioſam prorſus charitatem Chriſti! qua prior ac tantopere nos dilexit.

D. Rupertus.

Verùm hunc immenſum amoris exceſſum, etiamnum videre licebit in ipſo glorioſo exiſtente in cœlis; dum obduratos etiam peccatores prævenit, & poſt tot enormes ſibi per peccata, illatas injurias, eis nihilominus gratiam & veniam benigniſſimè concedit. Certè quàm amoroſum non erat illud dictum, quod ſanctæ quondam Catharinæ Senenſi comparens, de peccatoribus etiam maximis dixit, ùt refert Bloſius in monil. ſp. c. 1. *Si in veritate*, inquit, *peccator doleret, quòd me offendiſſet atque contempſiſſet, & in miſericordia mea fideliter ſperaret; ipſe eam certiſſimè inveniret, quoniam in infinitum major eſt ipſa miſericordia mea, quàm ſint omnia peccata, quæ unquam fuerunt commiſſa, vel quæ committi poſſunt ab aliqua creatura*. Id ipſum quoque faſſus eſt S. Gertrudi, atteſtante eodem Venerabili Bloſio, cùm enim ipſa aliquando pro Concione audiviſſet: *Neminem poſſe ſalutem conſequi, niſi ſaltem tantillum veræ charitatis habeat, ut ex amore DEI pœniteat, abſtineátque à peccato: & apud ſe cogitâſſet plurimos migrare ex hac vita, qui videntur pœnitere magis timore gehennæ, quàm DEI amore*. Talia volventi benigniſſimus JESUS in hunc modum reſpondit: *Quando video illos agonizantes, qui mei unquam dulciter, recordati fuerunt, vel aliquid meritorij operis peregerunt; in ipſo mortis confinio, exhibeo eis me tam pium, amabilem & benignum, ut ipſi ex intimis cordis medullis doleant; quod unquam me offenderint, ac per talem pœnitentiam apti redduntur, ad ſalutem conſequendam, & perire non poſſunt*. Magnum ſanè ſolatium hoc eſſe poteſt peccatori.

Bloſius Ab.

N. 121. Nunc quemadmodum Pater æternus pro infinito ſuo nobis communicato amore, nil aliud à nobis exigit, niſi amorem reciprocum; ità & amantiſſimus Servator noſter, pro tam illuſtribus charitatis operibus;

ribus; ſimiliter nil aliud requirit, quàm amorem & ſedem amoris, ſcilicet cor noſtrum: *Fili mi præbe mihi cor tuum*; ſollicitè ait, ut illud plenè poſſidere, totaliter inhabitare, ac ſvaviſſimè in illo deliciari poſſit. Hinc cùm amor illius *Magnes* ſit; omnium noſtrum corda; per magneticam qualitatem attracta, perfectiſſimè ſibi vult unire. Rurſum cùm ipſius amor *Echo* ſit; illi autem naturæ quodam arcano, vel ipſa ſaxa pari voce reſpondeant; enixè deſiderat, ut clamanti amori, noſter charitate non ficta quantocyus reſpondeat. Quod ſi autem, quod eheu! ſæpiſſimè evenit, poſtulato ejus non ſatisfiat; nec corda noſtra ſe ab eo attrahi ſinant; ipſis ſaxis, ſcopulíſque duriora confeſtim evadunt; imò beneficum Redemptorem noſtrum, ob neglectum amorem, ob commiſſa ſcelera, quaſi denuo opprobrijs impetunt, vulnera renovant, in crucem atrociſſimè agunt, juxta illud Apoſtoli: *Rurſum crucifigentes in ſemetipſis Filium DEI, & oſtentui habentes*.

Prov. 23.

Hebr. 6.

Unde ſi Chriſtus ejuſmodi obſtinatos in ſceleribus peccatores alloqueretur, quid quæſo aliud proferret, quàm illud è ſermone D. Bernardi: *Nonne ſatis pro te, ô peccator, vulneratus ſum, nonne ſatis pro iniquitate tua afflictus ſum? cur ergo addis afflictionem afflicto? magis me gravant vulnera peccati tui, quàm vulnera corporis mei.* Et ſanè deplorandum eſt ſummè, quoſdam reperiri & quidem Chriſtianos, qui à tanto amoris incendio non incaleſcant; imò obſtupeſcendum & illud, quod & amariſſimis lachrymis jam olim B. Jacoponus deploravit, dum diceret: *Eheu amor non amatur*. Putida enimverò res eſt: amantur opes, amantur pecuniæ & aurum, & quid periculoſiùs? amantur fugitivi honores, tituli fucati, drgnitates arduæ, quid vaniùs? amantur deliciæ, voluptates carnis illecebræ, quid fædiùs? amantur equi, canes, quid viliùs? amatur denique mundus, amatur caro, amatur dæmon, omnia odio digniſſima, & *Amor*, & quidem *Crucifixus Amor* non amatur. O igitur totis medullis cordium amemus Amorem Crucifixum, recolamus quotidie innumera illa beneficia, quæ tam liberaliter in nos contulit; vitemus vel umbram peccati, quæ denuò Amorem noſtrum affligeret. Denique repetamus illud identidem cum D. Auguſtino ſoliloq. c. 13. *Amo te ô JESU pluſquam me, quia tu dilexiſti me pluſquam te, quia mori voluiſti pro me; Ut vitam haberem, & abundantiùs haberem.*

D. Bernar.

B. Iacopon.

D. Auguſt.

Digitized by Google

In Feſto Inſtitutionis Venerabilis SACRAMENTI.

CONCIO XII.

CHRISTUS factus eſt nobis cibus & conviva.
S. Hieronymus.

ARGUMENTUM. *Cùm Chriſtus DEI Filius, admittendo nos ad Divinitatis ſuæ menſam, in qua ſeipſum exhibet* Cibum & Convivam, *omnes è ſervis fecerit* Amicos & Conſangvineos; *in præſenti declaratur, eum juxta proprietates boni Amici, I.* Cuilibet bene voluiſſe, *dum ſumentibus ipſam* Claritatem *ſeu Divinitatem, quam dedit ei Pater communicavit. II.* Operatum eſſe bona ad alterum, *dum hoc Sacroſanctum Myſterium eſſe voluit Alexipharmacum, contra omnia vitia & ſcelera. III. Denique convixiſſe alteri delectabiliter, dum ſe non ad tangendum ſolùm, ſed & ad manducandum liberaliſſimè præbuit. Quanto igitur fervore, quanta cordis puritate, quilibet ad ſacratiſſimam hanc menſam accedere, ac ſinceriſſimo huic Amico delectabiliter convivere debeat, ulterius inſinuatur.*

Cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos. *Ioan.* 13.

N. 122. SI penſiculatiùs ſacras inſpiciam Paginas, reperio SS. Patriarchas & Prophetas ob vitæ integritatem, morúmque ſanctimoniam, potiſſimùm appellari fuiſſe ſolitos *Servos DEI*; quin imò tanto eum in titulum ferebantur affectu, ut in eo omnem gloriæ, ac honoris ſui punctum, ſitum eſſe arbitrarentur. Certè Prophetarum maximus Moyſes, dum in deprecatione ſua ad DEUM, pro populo introducit tres illos eximios Patriarchas, Abraham, Iſaac & Jacob, non alio quàm DEI ſervorum nomine eos exornat: *Recordare* (ait) *Domine, Abraham, Iſaac, & Jacob, ſervorum tuorum.* Exodi 32. Nec receſſit à phraſi

Exodi 32.

à phraſi hac coronatus Pſaltes, qui Moyſen, Abraham, alióſque laudaturus plerumque hoc titulo condecorat: *DEUS miſit Moyſen ſervum ſuum*, Pſal. 104. *ſemen Abraham ſervi ejus, &c.* Imò quod obſervatu dignum eſt, etiam ipſe DEUS optimus ſuos & quidem chariſſimos, non alio dignatus fuit nomine; dum dominij ſui declaraturus potentiam, eos non amicos ſed ſervos indigitavit. Jobum ſanè coram Angelis ſuis, ad invidiam uſque Satanæ, qui ſe eis immiſcuerat deprædicans, ***Servum*** nonniſi ſuum compellavit: *Nunquid conſideráſti ſervum **meum***, Job. c. 1. Nec aliter Regem ſanctiſſimum nominare aſſveverat: 4. Reg. 19. ***Protegam urbem hanc propter David ſervum meum.***

Pſal. 104.

Iob 1.

4. Reg. 19.

At poſteaquam JESUS æterni Patris Filius, abrogatâ lege veteri, lege ſervilis timoris, inſtituiſſet legem gratiæ ac amoris, noluit poſthac dilectos ſuos vocari *Servos*, ſed *Amicos*. *Vos amici mei eſtis*, ait apud S. Joan. c. 15. *jam non dicam vos ſervos, quia ſervus neſcit, quid faciat **Dominus ejus; vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.*** Imò ipſos velut intimos ſuos amicos, non ad tempus, ſed in finem uſque exceſſiva prorſus dilexit charitate, juxta illud Joan. 13. *Cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos*; eóque amoris æſtu, ut in ipſo opere id ſuperabundanter exhibuerit: Nam *nihil omiſit **Dominus**, quod vehementer amantem deceret*, ait perbellè D. Chryſoſtomus in Joan.

N. 123.

Ioan. 15.

Ioan. 13.

D. Chryſoſt. in Ioan.

Jonathas ſanè, ut amorem ſuum, quo erga Davidem flagrabat, teſtaretur opere; *Exſpoliavit ſe tunicâ, qua erat indutus, & dedit eam David*, 1. Reg. 18. Elias igneo in auras abreptus curru, ut etiam ſuum in Eliſæum declararet affectum, in amoris ſignum ſuo eum donavit pallio: Nam *levavit pallium Eliæ, quod ceciderat ei*, 4. Reg. 2. At Chriſtus JESUS verus animarum noſtrarum amicus, imò amor ipſe, ad conteſtandum opere ſuam charitatem: ***Extendit ſuper ſpes noſtras munera ſua***, ait Salvianus Epiſc. Maſſil: ſuíſque dilectis non vilem aliquam tunicam, qua erat præcinctus, non pallium, quo erat amictus, tribuit; ſed ſeipſum, ſuámque carnem ad manducandum: ***Elias enim ſolum pallium reliquit diſcipulo*** (ait D. Chryſoſtomus hom. 2. ad populum) ***Filius autem DEI aſcendens ſuam nobis carnem dimiſit.***

1. Reg. 18.

4. Reg. 2.

Salvia. Ep.

D. Chryſoſt. ad pop.

Quare cùm verus ac fidus amicus juxta Philoſophum, debeat alteri bene velle, ei ſe beneficum exhibere, ac eidem delectabiliter con-

Digitized by Google

vivere: paucis exhibebo Chriſtum JESUM in Inſtitutione Venerabilis Sacramenti, has notas veri Amici ad amuſſim expreſſiſſe; unáque reciprocum à nobis petere amorem, quo ei delectabiliter convivamus.

N.142. Philoſophorum apex Ariſtoteles veri amici proprietates declaraturus, lib. 8. Ethic. reliquas inter hanc poſuit: *Ut velit amico bona*; hoc eſt, non affectu ſolùm, ſed opere, non verbis ſed factis ſe exhibeat amicum; ac amati deſideria benefactis adimpleat. At ſi ullus unquam amicus genuinam hanc amicitiæ notam in opus redegit; redegit ſanè dilectus Servator noſter, qui generi humano in inſtitutione Venerabilis Sacramenti ea præſtitit, quæ mortalium nulli unquam potuêre venire in mentem; imò quæ nullus omnino fuiſſet auſus poſtulare. Idcirco cùm *nil omiſerit, quod vehementer amantem deceret*; factum eſt, ut *quod rariſſimum & maximum erat, dona illius etiam vota noſtra vicerint*, ait Salvianus.

Ariſt. lib. 8. Ethic.

Salvianus.

Varia quidem olim vota conceperunt, non tam amici quàm ſervi DEI, poſtulantes à DEO diverſa, quibus & ipſe liberaliſſimè annuit; putà Davidem, qui ſuorum inimicorum interitum; Salomonem, qui ſapientiam & dexteritatem regendi populos; Joſaphatum, qui victorias reportandas ab hoſtibus; Tobiam & Danielem, qui liberationem populi è captivitate, & reſtaurationem ruinati templi petierunt, & impetrârunt, Verùm nulli unquam incidit (& dato quòd incidiſſet) nullus tamen temerariæ fuiſſet mentis, qui petere præſumpſiſſet, ut DEUS æternus & immenſus ei verteretur in cibum, ſéque præberet ad manducandum. Interea ille, qui *extendit ſuper ſpes noſtras munera ſua, ac cujus dona etiam vota noſtra vicerunt*. Seipſum dedit in cibum, ut totus in nobis & nos in ipſo viveremus. Unde bene D. Gregorius Nyſſen: *Eſculentum ſe nobis propoſuit is, qui ſemper eſt, ut accipientes illum in nobis; illud efficiamur quod ipſe eſt.*

D. Gregor. Nyſſen.

N.125. Mox ab origine mundi, poſtquam tuliſſet Dominus DEUS hominem, & poſuiſſet illum *in Paradiſo voluptatis, ut operaretur, & cuſtodiret illum*, Geneſ. 2. *Serpens qui erat callidior cunctis animantibus terræ*, grandia mulieri promiſit, ſi eſſent comeſturi de arbore ſcientiæ, dicens: *Quocunque die comederitis -- eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum.* At turpiſſimè eos decepit; & quod deplorandum eſt, non ſolùm eos, ſed & omnes poſteros traxit in ruinam, & mortem. Verùm

Geneſ. 2.

Chri-

Chriſtus JESUS, *qui extendit ſuper ſpes noſtras ſua munera.* Non ſolùm nos æternæ eripuit morti, ſed præbendo ſe ad manducandum, fecit nos ſimiles Dijs, adeò ut longè meliori & veriori modo dicere potuerit, *quocunque die me comederitis, eritis ſicut Dij.* Adſtipulatur mihi hac in re B. Rupertus lib. 6. in Joan. explicans illa verba: *Qui manducat me, ipſe vivet propter me.* (ait) *Hic perſpicuè Divinitatem pollicetur, carnem ſuam manducantibus & illuſionem nequiſſimi Nebulonis; qui dixit: Comedite, & eritis ſicut Dij; non ſinè magno cruciatu ejuſdem illuſoris, ſeriò loquens, in verum effectum convertit.* *B. Rupertus Abb.*

Expertus id ipſum erat D. Paulus, qui deguſtato illo Diviniſſimo Cibo; quaſi jam tranſijſſet in divinitatem Chriſti, exclamavit: *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* Et quomodo non viveret in eo Chriſtus? qui in eodem cibo ei & corpus, & animam junctam Deitati communicavit? adeóque ei plus præſtitit, quàm cum primo homini inſpiravit, *ſpiraculum vitæ.* Eúmque fecit vivere; ſiquidem tum dedit homini ſolùm particulam de ſua ſubſtantia: in Venerabili verò ſe totum præbet ac impendit: pulchrè hac de re loquitur Euſebius Emiſſenus hom. 6. in Paſch: *Grandi dignatione, primo homini ſpiraculum vitæ, de ſua ſubſtantia pius Formator infudit; ſed nunc penè majori charitate, pro eodem homine, non jam ſua dedit; ſed ſemetipſum impendit & tradidit,* ac hominem ut ità loquar divinum ac DEUM efficit. Clarè faſſus eſt Chriſtus apud S. Joan. c. 17. Patrem ſuum alloquens: *Ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis;* id eſt, ùt explicat D. Cyrillus Alex: *Divinitatem dedi eis.* Bene proinde D. Hieronymus ſacro ac diviniſſimo muniendus Viatico; his Redemptorem ſuam allocutus eſt verbis: *O Eſca ſacratiſſima, quam verè comedens DEUS efficitur.* *ad Galat. 2.* N. 126. *Euſeb. Emiſſ.* *Ioan. 17.* *D. Cyrill. in Ioan.* *D. Hieron.*

Magni ſe æſtimare ſolent filij hujus ſæculi, imò plenis (ùt ajunt) buccis, ſeſe deprædicant, ſi originem ſuam, ab avita aliqua nobilitatis ſtirpe deducant; præſertim ſi à pervetuſto Regum ac Principum defluant ſangvine. At nobiliori prorſus modo, ſeſe efferre poſſunt Chriſtiani, etſi ſint viliſſima mundi purgamenta, & mendicabula, dum introſumunt auguſtiſſimum hunc Cibum: ſiquidem verè à Patre cœleſti adoptantur in filios, ac Chriſti evadunt conſangvinei. Nam *Quotiescunque ejus ſanguinem bibimus* (ait D. Cyrillus Jeroſ. in catech. c. 4.) *corpúſque in hoc Sacramento comedimus, concorporei & conſanguinei* N. 127. *D. Cyrill. Ier.*

Chri-

Digitized by Google

D. Cyrill Alexand. *Chriſti efficimur.* Non aliter loquitur D. Cyrillus Alexand: *Unicuique noſtrûm*, ait, *licet DEO gloriari Patre*; & pòſt paululùm de ſe infert: *éque bono ſanguine glorior me eſſe.* Hinc D. Chryſoſt. hom. 61. ad pop: D. Chryſoſt. hom. 61. perbellè Chriſtum ſic introducit alloquentem, ſumentes ſe: *Ego vos carnibus meis alo, meipſum vobis appono, vos omnes generoſos eſſe volens.* Et meritò nam *hic ille ſanguis facit, ut imago in nobis regia floreat: hic ſangnis pulchritudinem & nobilitatem animæ, quam ſemper irrigat & nutrit, langueſcere non ſinit.*

N. 128. Præterea cùm bonus ac fidus amicus *operari debeat bona ad alterum*; animadverto Chriſtum nobis amiciſſimum, innumera alia in hoc, & cum hoc diviniſſimo Sacramento, contuliſſe beneficia. Nam ut anima hominis ſemper ſana vegeta & incolumis permaneret, ejuſmodi in hoc præſcripſit Alexipharmacum, quòd eam ab omnibus muniret & præſervaret morbis: *Videte Fratres* (pulchrè in hanc rem lo- D. Auguſtin. quitur D. Auguſtinus) *ſi ampliùs ægrotare debet genus humanum, acceptâ tantâ medicinâ.* Et quia ſagaciſſimè prævidit, ingentia diaboli molimina, qui per varia tentationum venena, animas hominum infi- D. Gaudent. cere, ac corrumpere attentabit: *Inſtituit Dominus Euchariſtiam*, ait D. Gaudentius, *ut contra venena diaboli dulcem medicinam ſempiterni tutaminis conſequamur.* Pari ratione, quia prævidit fallacem mundum, carnis adminiculo, veluti meretricem illam Babylonicam, calice ſuo aureo, pleno ſpurcitiæ vino, multos inebriando ſeducturum; idcirco dilectis ſuis præſtans & omni modo eximium propoſuit vinum, quod dulcedine ſuâ omnem eis abriperet appetitum ad terrena: Nam *Quiſ-* D. Cyprian. *quis vinum illud germinans Virgines bibit* (ait D. Cyprianus) *concupiſcit oblivíſci, cuncta carnis ludibria; mira ſiquidem ſunt, quæ ſentit, magna quæ videt, inaudita quæ loquitur!* Verbô, quia vidit peccatum, etiam unicum lethiferum, diſſolvere omnem, quæ DEUM inter & homi- Tertullian. nem eſſe debet amicitiam: *Inſtituit myſterium Euchariſtiæ*, ait Tertullianus, *ut eriperet nos à voluntate peccandi.* Felices igitur, iterúmque felices eos dixerim, qui per participationem hujus ſacratiſſimi Myſterij evadunt amici & conſangvinei Chriſti.

N. 129. Requirit demum Philoſophus à bono amico, *ut convivat ei delectabiliter*; id eſt, agat ac converſetur cum dilecto ſincerè, affectuosè, cordialiter. At poterátne Chriſtus majorem affectum in convivendo

nobis

nobis exhibere, quàm exhibuerit, dum ſe nobis non ſolùm ad palpandum & exoſculandum præbuit, ſed etiam ad manducandum? Profectò planè amicabilis quondam viſus eſt, quando fimbriam veſtimenti ejus attigit mulier, ſangvinis fluxu laborans, & mox ab eo ſanitati reſtituta eſt. Pluſquam familiarem ſe reddidit, quando in domo Simonis leproſi obtulit Mariæ Magdalenæ, caput & pedes ungendos, quos ipſa etiam affectuoſiſſimè unxit, terſit, exoſculata eſt. Familiariſſimum demum ſe exhibuit dilecto Diſcipulo Joanni; quando eum conſiliorum ſuorum fecit participem; ipsáque cordis arcaniſſima patefecit, ac recumbentem ſuper pectus ſuum, *manantia flumina divinæ doctrinæ fecit haurire*, ùt ait D. Thomas Villan. At omnes familiariſſimi etiam amici exceſſit proprietates, quando ſe dilectis tradidit in cibum. Siquidem eis tum non ſolùm *convivit delectabiliter*, ſed & amoris nexu perfectiſſimè unitur: nam *propterea ſemetipſum nobis immiſcuit*, ait D. D. Cyprianus, *& corpus ſuum in nos contemperavit, ut unum quid eſſemus*. Bene proinde D. Chryſoſtomus nimiam illam Chriſti erga nos charitatem perpendens, hæc mirabundus eloquutus eſt: *Chriſtus ut nos majori charitate adſtringeret, & ſuum in nos oſtenderet deſiderium; non ſe tantùm videri permittens deſiderantibus, ſed & tangi & manducari, & deſiderio ſuo omnes repleri.* Idem obſervavit D. Hieronymus lib. 13. in Ezech. inquiens: *Ipſe factus eſt nobis cibus & conviva.*

S. Tho. Vill. — D. Cyprian. — D. Chryſoſt. — D. Hieron.

Felicem imò feliciſſimum ſe quondam arbitratus eſt Miphiboſeth, amabilis Jonathæ orphanus filius, quando Regum manſvetiſſimus David, inter convivas regalis ſuæ menſæ eum hiſce verbis adoptavit: *Faciam in te miſericordiam, propter Jonatham patrem tuum; & tu comedes panem in menſa mea ſemper, quaſi unus de filijs Regis.* Quare præ gaudij magnitudine, *corruit in faciem ſuam* (ait ſacer textus) *& adorans dixit, quis ego ſum ſervus tuus, quoniam reſpexiſti ſuper canem mortuum ſimilem mei.* Exiſtimavit ſanè hic bonus Princeps, Davidem ſibi nihil majus conferre potuiſſe, quàm ut ad regias admitteret dapes, ac ejus convivijs jugiter annumeraret. Idcirco & dicebat 2. Reg. 19. *Poſuiſti me ſervum tuum inter convivas menſæ tuæ -- quid poſſum ultra vociferari ad Regem.* Quaſi diceret, ego nihil ampliùs potui petere & deſiderare; tu verò ô Rex nihil ampliùs mihi dare & conferre. Verùm longè feliciſſimum ſe exiſtimare poteſt is, qui non ad regiam, ſed N.130.

2. Reg. 11. — 2. Reg. 19.

Digitized by Google

ad divinam à Chriſto JESU evocatur, & admittitur menſam; ſiquidem non ſolùm ſe ei exhibet convivam, ſed & affectuoſam Matrem, dum eum non tam lactè, quàm corpore & ſangvine ſuo diviniſſimo paſcit & nutrit: *Matres multæ ſunt* (confirmat dicta mea S. Chryſoſt: hom. 60. ad pop.) *quæ poſt partûs dolores, filios aliis tradunt nutricibus, hoc autem ipſe non eſt paſſus; ſed ipſe nos proprio ſanguine paſcit, & per omnia nos ſibi coagmentat.*

D. Chryſoſt. hom. 60.

N. 131. Pro hiſce nunc immenſis ac innumeris beneficijs, quæ orbi univerſo, cum hoc auguſtiſſimo Sacramento, modo prorſus exceſſivo liberaliſſimè contulit; reciprocum à nobis ſolicitè expetit affectum, ut videlicet ad menſam hanc diviniſſimam, non cum nauſea, ſed ferventi cum deſiderio, non langvidi & oſcitantes; ſed pleni charitate ac cœleſti amoris igne exæſtuantes accedamus. Quod ut fiat omnes omnino affectuoſiſſimè invitat illis verbis, Proverb. 9. *Venite, comedite panem meum, & bibete vinum, quod miſcui vobis.* Quaſi diceret, ùt bellè obſervat D. Hieronymus tom. 7. *Venite, comedite panem meum; nam in pane hoc corpus meum, in vino mixto ſanguinis ſanctiſſimi myſterium, ut ſatiemini oſtenditur.* Invitat, inquam, omnes pariter ad menſam ſuam hic ſinceriſſimus animarum noſtrarum Amicus, verùm ea conditione, ut compareant mundi, puri, immaculati; unde per euangelicam ſuam tubam D. Paulum illis inſonat: *Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*; unáque deſiderat, ut omnes accedendo ad hoc ſacrum myſterium *ſint prudentes ſicut ſerpentes*, & quemadmodum illi adrepentes ad ſcaturigines potaturi aquam, priùs venenum evomunt; ſic & accedentes ad fontem ſalientis aquæ in vitam æternam, omnem lethalem noxam ab anima ejiciant: *Serpens cùm venerit ad bibendum aquam* (confirmat dicta mea D. Ambroſius) *priuſquam bibit, evomit venenum ſuum; ita & nos, quando ad altare Domini communicaturi accedimus, deponamus venenum peſſimum, id eſt, iracundiam, odium, invidiam, falſitatem; & ſic ad altare Domini corpore & ſanguine ejus ſatiemur.*

Proverb. 9.

D. Hieron. tom. 7.

1. Cor. 11.

D. Ambroſ.

N. 132. Idcirco ſedulò monet D. Chryſoſtomus hom. 60. ad populum: *Nullus itaque Judas aſſiſtat, nullus avarus, nam tales menſa non ſuſcipit; ſi quis eſt Diſcipulus, adſit: ait enim Dominus, cum Diſcipulis meis facio Paſcha.* & paulò pòſt: *Inhumanus accedat nemo, nemo crudelis & immi-*

D. Chryſoſt. hom. 60.

miſericors, nemo prorſus immundus. Et meritò Chriſtus id exigit ab his, qui ſuam menſam acceſſuri ſunt: nam ſi magnus ille Aſſyriorum Rex Nabuchodonoſor menſæ ſuæ adſtites, ſolùm voluit juvenes, nullâ notatos maculâ, & undequaque formoſos, quantò magis id volet Chriſtus, ut non tam adſtites quàm aſſeſſores ſui, & convivæ ſint ejuſmodi, *in quibus nulla ſit macula.* Aptè proinde ait D. Chryſoſtomus: *Si Babylonius Rex adoleſcentes pulchros ſpecie, & decoros aſpectu aſſumpſit; multò magis & nos ſancta menſa aſſiſtentes regia, ſpecie pulchros eſſe decet, veſtem puram, & aureum anima mundum habentes.* Aliàs metuendum eſt, ne ſi maculis quis deturpatus accedat, idem aut amplius quid contingat, quod illi, qui ſinè veſte nuptiali comparens ejectus fuit in tenebras exteriores: ſiquidem & Chriſtus jure meritò ipſi non ſolùm illud oggerere poſſet: *Amice quomodo huc intrâſti non habens veſtem nuptialem.* Matth. 22. ſed & illud mandare Angelis ſuis, *ligatis manibus & pedibus ejus mittite eum in tenebras*, non jam exteriores ſed inferiores.

Daniel. 1.

D. Chryſoſt.

Matth. 22.

Quare cùm Chriſtus JESUS in inſtitutione hujus ſacroſancti myſterij genuinas ſinceriſſimi Amici proprietates expreſſerit, & etiamnum non ſolùm *nobis bona velit ac operetur ad nos bona*, ſed etiam *convivat delectabiliter*; imò nobis intimè uniatur: *Epulemur itaque in aſymis ſinceritatis & veritatis*, monet nos D. Paulus 1. Cor. 5. id eſt: *Accedamus*, ait Rupertus, *fide virides, ſpe læti, charitate floridi, ad ſpirituales has Agni Paſchalis epulas.* Et fiet, cùm diviniſſimus hic Cibus ſit teſte S. Ignatio Martyre *pharmacum immortalitatis, mortis antidotum, ac vita ipſa*; ut in præſenti præſervemur à noxijs animæ; in futuro verò vitâ donemur æternâ. Nam, *ſi quis manducaverit ex hoc Pane, vivet in æternum. Ioan. 6.*

1. Cor. 5.

Ep. ad Epheſ.

Ioan. 6.

CLASSIS II.
FESTA MAGNÆ DEI MATRIS M A R I Æ.
In Feſto Immaculatæ Conceptionis B. V. MARIÆ.
Concio I.
MARIA Juditha fortior. S. Anſelmus.

Argumentum. *Bellatricem fortiſſimam produco* Virginem; *quæ* veluti terribilis caſtrorum acies ordinata (*ut ait D. Bernardus*) primò eum, qui primus omnia ſupplantavit, expugnare viriliter agreſſa eſt. *Unde quemadmodum Judith caput abſtulit Holoferni Aſſyriorum Principi: ita Virgo Sanctiſſima caput contrivit* tenebrarum Principi, *ut verificaretur illud*: Ipſa conteret caput tuum. *Idcirco eam verè per merita Chriſti præſervatam fuiſſe ab omni originali peccato ex plurimis Sanctorum Patrum, ipſiúſque D. Thomæ probatur ſententiis.*

De qua natus eſt JESUS. *Matth. c. 1.*

N. 133. A*Rma Virúmque* canat Mantuanus Poëta Maro; *arma* ego hodie, non humano infecta ſangvine, ſed lauro redimita; certamina planè heroica, trophæa victricia, triumphos nobiles; & quidem non Viri in arena Bellonæ, in pulvere Martis exercitati; ſed Viraginis tenerrimæ, de proſtrato feliciter hoſte triumphantis, in medium producam. Bella hæc dum proferre molior, non expectate glorioſa

rioſa *Amazonum* prælia; quæ exuſto dextro ubere, inſanè in viros tumultuabantur: Non velitationes *Semiramidis* fortunatas, quæ interdum Polyeno teſte ſparſis crinibus, calceamentis abjectis; imò regijs deſtituta veſtibus; equo inſidens hoſtes debellabat: illúdque in labaris præferebat: *Me natura mulierem fecit; ſed res geſtæ Viro fortiſſimo non inferiorem.* Non *Tomyris* Scytharum Reginæ victrices palmas, quæ ipſummet orientis domuit domitorem *Cyrum*; *ejúſque caput, humano merſum in ſanguine docuit non ſitire.* Non bellicoſos *Alvildæ* Gothorum Reginæ auſus, quæ certaminis tempore, virilibus induta veſtibus prima in acie confligendo, hoſtes in fugam compulit. Denique non eximiam Ungaræ illius heroinæ exſpectate fortitudinem; quæ oppugnantibus Albam Regiam Turcis, conſcenſo inter milites agere, prægrandi fænaria falce, ſcandentibus duobus Barbaris uno ictu colla demeſſuit. Sed Virginem ſpectate, non uno ùt Amazones, ſed duplici inſignem ubere, de qua illud Cant. 7. *Duo ubera tua, ſicut duo hinnuli gemelli capreæ.* Viraginem inquam ſpectate, quæ in arenam non ùt Semiramis, abſque *calceamentis* deſcendit; ſed his ornata, terrori erat hoſtibus, amori ſponſo, qui etiam de his admirabundus exclamavit, *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis Filia Principis.*

Polyænus. *Bonfinius.* *Cant. 7.* *Cant. 7.*

Interea dum illius, MARIÆ ſcilicet Bellatricis fortiſſimæ, heroicum producere geſtio facinus, quo primo ſui in orbem adventu, ſtygium adorta eſt Draconem; ejúſque caput (quod omnibus Adæ poſteris imperat) viriliter contrivit. Adſunt extemplò neſcio, qui Virgineæ Fortitudinis Momi; Mariani triumphi Cavillatores; qui eam non victricem ſed victam, non triumphatricem, ſed triumphatam, ab eodem ſerpente, ùt cæteros jactabundi proclamant.

At illáne pulcherrima mulierum, *de qua natus eſt JESUS*; infernali cum reliquis ſubjacuit innocentiæ prædoni? illa quæ Spiritûs Sancti elogio, *Mater pulchræ dilectionis* decoratur, admirandæ pulchritudinis ſuæ paſſa eſt jacturam? illa quæ Bernardo teſte, *veſtit Solem nube, & à Sole viciſſim veſtitur*; Adæ maculis deturpata fuit? illa quæ velut *Aurora conſurgens*, vitiorum diſpellit tenebras, mundóque *Juſtitiæ Solem* invehit, nigerrimis involuta fuit nubibus? illa quæ D. Chryſoſtomi ſuffragio, *eſt puteus ſemper viventis aquæ*; imò *fons ſigillo individuæ Trinitatis obſignatus*, bufonum ac ſerpentum fuit receptaculum? illa N. 134.

Matth. 10. *Eccli. 24.* *D. Bernard.* *Cant. 5.* *D. Chryſoſt.*

Digitized by Google

S. Sophron. quæ juxta Sophronium eſt *Hortus voluptatis ac deliciarum,* ſicque concluſus ut neſciat violari, neſciat corrumpi, à maledicto ſit proſtituta *S. Andr. Cret.* ſerpente? illa demum, quam S. Andreas Cretenſis *eximiam* vocat *pul-* *S. Auguſtin.* *chritudinem*; S. Auguſtinus, *formam DEI præſtantiſſimam*; D. Bona- *S. Bonavent.* ventura, *poſt DEUM pulcherrimam*; S. Anſelmus, *opus ſub ſole maxi-* *S. Anſelmus.* *mum*; Petrus Damianus, *Trinitatis delicium*; Richardus Victorinus, *S. Damaſ.* *ſummam puritatem*; Joannes Damaſcenus, *Divinum ſimulacrum*; Georgius Nicomed: *omnium pulchrorum ſummum ornamentum*; illa inquam Filia iræ, peccati ſerva, Principis tenebrarum extitit (etſi vel momento unico) mancipium? Profectò ſi D. Thomæ calculo par. 3. q. 27. art. 5. *Virgo in ſua conceptione, majorem præ cæteris omnibus gratiæ obtinuit plenitudinem*; quomodo cæteris Adæ poſteris immixta eadem deſtituta fuit gratiâ? Si factor hominum, docente D. Bernar- *D. Bernard.* do ſuper Miſſus, *naſciturus de homine, talem ſibi ex omnibus deligere, imò condere debuit Matrem, qualem & ſe decere ſciebat, & ſibi noverat placiturum*; quomodo talem ſub jugo dæmonum, vel ſemel ingemiſcentem aſſumpſit? Verùm cùm meliora ſvadeat pius de MARIA animus, bellatricem nihilominus hodie omnibus ſiſtam ac triumphantem; itâ tamen, ut dum in figura *Juditha* adumbratam, capútque ſerpentis conterentem produco, omnes eam feſtivis, ùt quondam Bethulienſes ſuam celebrent acclamationibus.

N. 135. Poſtquam Idumææ montes ac prææltos Bethuliæ colles, innumera armatorum cohorte, regiæ Aſſyriorum militiæ Princeps Holo- *Judith. 7.* fernes adeò cinxiſſet, *ut deficerent ciſternæ & collectiones aquarum,* omnéſque habitantes Bethuliam, *nec ſatiarentur vel unâ die: quoniam ad menſuram dabatur populis aqua quotidie,* Judith. c. 7. Excitavit DEUS, ſtimulante imprimis eum ſuâ miſericordiâ mulierem; Viduam quidem, ſed Heroinam; ſed Heroum è ſangvine progenitam, quæ adversùs hoſtes progrederetur, cum ipſo Nabuchodonoſoris primipilo certamen iniret, ac tot votis expetitam contribulibus ſuis adferret ſalutem. Sed res planè mira! pro cruento hocce duello, dum ſe Juditha apparat, non caput munit caſſide, non pectus obarmat loricâ, non lumbis aſſociat enſem, ſed modo alio novóque in certamen deſcendit: *Judith. 10.* *Exuit ſe nimirum, veſtimentis viduitatis ſuæ, lavit corpus ſuum, unxit ſe myro optimo, & diſcriminavit crinem capitis ſui, & impoſuit mitram ſu-*

per

Digitized by Google

per caput ſuum, & induit ſe veſtimentis jucunditatis ſuæ, induitque ſandalia pedibus ſuis, & omnibus ornamentis ornavit ſe. Et hæc non ea de cauſa fecit, ut voluptati operam daret, ſed ut ſic ferocem hoſtem, in tractandis armis verſatiſſimum, non tam armis quàm eximiâ pulchritudinis formâ debellaret: nam *Judith exuta veſte viduali* (ait S. Proſper Aquit.) *ſeſe omni ex parte, mente, corpore, moribúſque componens, mirabilem cunctis exhibuit, credebat enim pulchritudine captum hoſtem poſſe perimere, ſuam pudicitiam illo ſervante, qui dator & cuſtos eſt caſtitatis.* S. Proſper.

Pari ratione Virgo noſtra *Bellatrix fortiſſima*; in arenam contra hoſtem vaferrimum deſcenſura, qui Heroës præclariſſimos, imò ipſos Protoplaſtes innocentiſſimos circumvenit ac peſſumdedit; non armis ſolùm, ſed & *pulcherrimâ omnium pulchritudinum pulchritudine*, teſte Georg. Nicomed. inveſtitur ac condecoratur. Nam poſtquam adoranda *Trias* veſte innocentiæ candidiſſimâ, aureâ gratiarum chlamide eam exornâſſet; tanta eidem ùt Filiæ, ùt Matri, ùt Sponſæ ſuperinjecit monilium ac ornamentorum genera, ut incomparabili decore fulgens, omnium oculis mirabilis appareret; ac ùt loquitur D. Epiphan: *Formoſior eſſet ipſis Cherubin & Seraphin, & omni exercitu Angelico. Hinc cœleſtis curiæ Principes* (ùt enarrat D. Bernardus ſerm. de Aſſumpt.) *in conſideratione tantæ novitatis exclamârunt non ſinè admiratione: Quæ eſt iſta &c. nec enim pares inveniuntur deliciæ vel in nobis, quos in civitate Domini lætificat fluminis impetus, qui à vultu gloriæ, voluptatis gloriâ potamur.* Sic & Patres Sanctiſſimi, ubi eandem Virginis excellentem prorſus præſtantiam, poſtmodum conſiderare edocti ſunt, admiratione pariter ac ſtupore defixi, miranda de ea protulerunt. Divus certè Ignatius Antioch. in epiſt. ad S. Joannem, eam vocavit *Cœleſte prodigium, & ſacratiſſimum ſpectaculum*; S. Chryſoſtomus, *magnum miraculum*; S. Ephrem, *præſtantiſſimum orbis univerſi prodigium*; S. Bernardinus, *miraculorum miraculum*; S. Damaſcenus, *miraculum novum, miraculorum officinam, miraculorum abyſſum*; illúdque addidit: *Sileat ſapientiſſimus Salomon, nec jam nihil ſub ſole novum eſſe dicat. Siquidem Ierem. 31. creavit DEUS novum ſuper terram, fœmina circumdabit virum.* N. 136. Georg. Nic. D. Epiphan. D. Bernard. S. Ignatius Antioch. S. Damaſc.

His ornamentorum delicijs, utraque exornata Heroina in campum proceſſit; Juditha quidem Angelo comite, de vertice montis deſcen- N. 137.

Digitized by Google

Iudith. 13. ſcendit, ut ipſa fatetur c. 13. *Vivit Dominus, quoniam cuſtodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem, & non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari.* MARIA Prov. 3. verò de Libano monte, Chriſto duce ac directore, *qui dirigit greſſus ipſius*, Prov. 3. gradiens, in conſpectum prodijt Veteratoris nequiſſimi. Declarant id ſuaviſſimæ illius voces, quibus ad progrediendum Cant. 3. Bellatricem novam hortabatur: *Veni*, inquit, *de Libano Sponſa mea*, S. Ambroſ. *veni coronaberis*, ſeu ùt hebræus legit atteſtante D. Ambroſio: *Mecum de Libano veni.* Nam Virgo electa non ſola venit in hanc vitam, ſed cum Filio ſuo, cujus gratia Matrem in hoc ingreſſu confortavit; & quidem venit de *Libano*, id eſt à *Candore* (hoc enim Libanus hebraicè ſignificat) ut Marianus in ſua conceptione candor innuatur. Et quidni comitaretur ſuum unicum in terris ſolatium, Filius DEI? qui, Salomone teſte in Canticis c. 8. ex maximo Reginarum & Adoleſcentularum numero; hanc unicam ſuo agnovit amore dignam: *Una eſt*, inquit ille, *Columba mea, una eſt perfecta mea*, ſeu ùt doctiſſimè explaGuiliel. Ab. nat Guilielmus Abbas, in perſona Chriſti loquens, *Una Columba eſt per facunditatem, mea per ſingularis partus novitatem; Columba mea, cujus ego ſingularis pullus; perfecta mea, cui nihil deeſt, vel ad gloriam, vel ad gratiam.* Idcirco etiam Virgo Sanctiſſima primo inſtanti ſui ingreſſus in vitam, prima participavit de meritis Chriſti Filij ſui; qui eam præſervando ab originali opus redemptionis noſtræ inchoavit; D. Ambroſ. nam ùt diſertè ait D. Ambroſius lib. 1. in Luc: *Dominus redempturus mundum, operationem ſuam inchoavit à Matre, per quam ſalus omnibus parabatur; & ſic eadem prima fructum ſalutis hauſit ex pignore.*

N. 138. Verùm quid ad has pulchritudines, ex adverſo præſtolantes, dixêre adverſarij? ubi tam alacriter contra ſe procedere vidiſſent fœminas? Holofernes ſanè ab eximia Juditæ forma tanquam à fulgore perſtrictus; mox cœpit oculis cæcutire: *Cùm enim intráſſet ante faci-* Iudith. 10. *em ejus Judith* (ait Scriptura c. 10.) *ſtatim captus eſt in oculis ſuis Holofernes, cor ejus concuſſum eſt, erátque ardens in concupiſcentia ejus.* Sed, quid amabò poterat captivare glorioſos tanti Victoris oculos? quid cor ejus in tantùm enervare, ut jam uni ſuccumbere videretur fæ-Iudith. 16. minæ? *Sandalia, Sandalia rapuerunt oculos ejus*, imò & caput ipſum abſtulerunt, eò quòd heu nimiùm attonitâ mente illa conſideráſſet.

Unde

Digitized by Google

Unde ſi Sandalia in pedibus captivârunt Holofernem, quæ non vincula eidem injeciſſet Angelica ejus facies mitrâ ac monilibus, mirum in modum exornata, ſi eam attentiùs fuiſſet contemplatus? neſcio proinde quænam in pedibus mulierum lateat arcana pulchritudinis vis ac poteſtas: quandoquidem & Bellatrix noſtra MARIA ſuum quoque adverſarium, ſtygium videlicet ſerpentem, non aliter devicit, quàm *pedum pulchritudine*; aut ſi mavis *fortitudine*. Nam cùm fugâſſet tartareos principis tenebrarum aſſeclas: *eò quòd eam vidiſſent* (loquor cum D. Bernardo) *præter morem armatura omni fortiore inſtructam, contra ſe procedere fæminam, fæminam inquam fortem, & ad bella doctiſſimam*, Factum eſt, ut Præſervator Filius, qui *cuſtodit pedem ipſius, ne caperetur*. Proverb. 3. Viragini adſtiterit, proſtratúmque ſerpentem fecerit debellari, ejúſque rebelle caput in fruſta conteri, juxta illud vatidicum DEI oraculum, *Ipſa conteret caput tuum*. Gen. 3. *D. Bernar.* *Proverb. 3.* *Geneſ. 3.*

An non igitur in glorioſo hoc certamine: *Fortiſſima & bellatrix egregia fuit* MARIA, *quæ veluti terribilis caſtrorum acies ordinata* (verba ſunt ejuſdem melliflui Præſulis) *primò eum, qui primus omnia ſupplantavit, expugnare viriliter aggreſſa eſt? Quia Sol Juſtitiæ ortum ſuum, quadam matutina irradiatione præveniens, in eam lucis radios copiosè effudit; quibus poteſtates tenebrarum, quas Eva produxerat in fugam convertit*. Bellatrix igitur & glorioſa, & invicta fuit hæc Virago pulcherrima; quæ ùt Juditha Holoferni, ſic ipſa callido ſerpenti, caput heroicè abſtulit; illúdque caput, quod longè latéque omnes omnino Adæ poſteros veneno ſuo infecit. *S. Bernard.*

N. 139. Nunc feſtivas utrique Heroinæ factas audiamus acclamationes: obtruncato viriliter Holoferne, partáque feliciter victoriâ; Joachim ſummus Iſraëlis Pontifex, *de Jeruſalem venit in Bethuliam, cum univerſis Presbyteris ſuis ac benedixerunt eam omnes, una voce dicentes: Tu gloria Jeruſalem, tu lætitia Iſraël, tu honorificentia populi noſtri*. Pulchra ſanè exultantis populi hæc erat Panegyris, ſed majori cum veritate dicenda de noſtra Triumphatrice. Propterea etiam Richardus de S. Lauren. Virgini Immaculatæ perbellè eam accommodat, aítque: *Primùm tu gloria Jeruſalem; vox eſt Angelorum, quorum ruina per MARIAM reparata eſt; ſecundùm tu lætitia Iſraël, vox eſt hominum, quorum triſtitia per eam lætificata eſt; tertiùm tu honorificentia populi noſtri,* *Judith. 15.* *Richard. à S. Laur.*

Digitized by Google

vox eſt mulierum, quarum infamia per eam deleta eſt. Unde quemadmodum nullus in Judæa reperiebatur, qui non Victrici applauderet Judithæ, ità & defactò nullus reperitur ſtatus, nulla reperitur conditio hominum; quæ non triumphanti, ac ſinè macula conceptæ aggratularetur MARIÆ; adeò ut verificetur illud quod ipſa de ſe in Cantico Magnificat prædixerat: *Beatam me dicent omnes generationes.* *Luc. 1.*

N. 140. Certè è Collegio Apoſtolico, ejuſdem Decanus & Primogenitus D. Andreas apud Abdiam, omnium quaſi ore, de illa ſic eloquitur: *Sicut Adam formatus eſt ex terra, antequam eſſet maledicta; ita ſecundus Adam Chriſtus, ex terra virginea nunquam maledicta.* *S. Andr. Ap.* Sic è Diſcipulorum numero quos Sancti Apoſtoli erudierant S. Theſiphon in libro ſuo de Virgine, qui recenter lucem in Hiſpania conſpexit clariſſimè Victrici applaudit: *S. Theſiphon.* *Jlla Virgo, illa Sancta, præſervata fuit à peccato originali, in primo inſtanti ſuæ Conceptionis, & libera ab omni fuit culpa, & qui ita non ſenſerit, non conſequetur ſalutem æternam.* Similiter è ſanctiſſimo Epiſcorum cætu, eloquentiſſimus Ambroſius; in contrarium ſentientes ſumè detonat: *D. Ambroſ.* *Claudat ora ſua perfidia, & obmuteſcat, nè Matrem Domini aliquo audeat temerare convitio; quæ per gratiam ab omni integra eſt labe peccati.* Pari modo è purpuratis Patribus, unus pro alijs effatur D. Bonaventura: *D Bonav.* *Virgo in ſuo ortu à peccato originali fuit immunis,* Deſiderat nunc quis ſanctiſſimos audire Præſules? audiat vel unicum Idiotam ſed doctiſſimum Virgini accinentem Pæana. *D Idiota.* *Tota pulchra es Virgo glorioſiſſima, non in parte, ſed in toto & macula peccati, ſive mortalis, ſive venialis, ſive originalis non eſt in te.* Exoptat alius è Doctornm pulpitis atque ſubſellijs, ſimilia de Virgine prolata auſcultare oracula? auſcultet vel ipſum Angelicum Doctorem D. Thomam, qui in lib. 1. ſentent. diſt. 44. q. 1. art. 3. ad 3. in editione Lugdunenſi, per Fr. Lambertum Dominicanum recognita ſic loquitur: *D. Thomas.* *Poteſt aliquid creatum inveniri, quò nihil puriùs eſſe poteſt in rebus creatis; & talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali & actuali fuit immunis, fuit tamen ſub DEO, in quantum erat in ea potentia ad peccandum.*

N. 141. Canerem nunc lubens receptui, niſi marmora, ſaxa, lapides, ab Auſtriaca pietate in geminam columnam Pragæ & Viennæ, pro Mariano honore erecti vetarent abrumpere, imò urgerent de pio & juſto Conditore, nonnihil proloqui. Prodi igitur in medium, Auguſtiſſi-

Digitized by Google

me utì & Invictiſſime, Auſtriadum decus Ferdinande III. exere flammivomas, tumulati licèt cordis tui fibras in MARIAM; ac enarra nobis quid columnæ hæ proceræ, & in iiſdem Virginis elaboratæ effigies denotant? ſanè ſi eloqui poſſet; incendio Mariano flagrans Ferdinandi cor magnanimum, quid aliud proferret quàm illud: *Virgini abſque labe conceptæ, dicata ſunt hæc mauſolæa, cui imperium & omnia mea regna in acceptis refero.* Quia verò immaculatæ Virginis Conceptioni defendendæ, ac in perpetuum colendæ, publico nec uſitato ritu, idem invictiſſimus Cæſar, ſeſe Viennæ obſtrinxit in templo Domus Profeſſæ Societatis JESU anno 1647. placuit illam ipſam votorum formulam huc inſerere; quæ ſic ſonat: *Omnipotens ſempiterne DEUS, per quem Reges regnant, in cujus manu ſunt omnium poteſtates, & omnium jura regnorum: ego Ferdinandus, coram Divina tua Majeſtate humiliter proſtratus, meo meorúmque ſucceſſorum, & inclytæ hujus Provinciæ Auſtriæ nomine, immaculatam Filij tui Matrem ſemper Virginem MARIAM, hodie in peculiarem Dominam & Patronam hujus Archi-Ducatus invoco & aſſumo; inſuper voveo ac promitto, ejuſdem immaculatæ Conceptionis feſtum quod cadit in diem octavam Decembris, in hac Provincia etiam jejunio, ejuſdem pervigilio celebrandum. Te deprecor ſupreme, cœli terræq; Imperator, qui quod Matri tuæ impenditur, tibi impenſum reputas, votum hoc meum, quod ſuggerere clementer dignatus es benigno favore proſequere, atque ad protegendum me, domum meam, populóſque mihi ſubjectos, dexteram tuæ Majeſtatis extende. Amen. Die 18. Maij Anno 1647. in Eccleſia domûs Profeſſæ Societatis JESU, ante Aram ſummam, in manu Principis & Epiſcopi Viennenſis Philippi Friderici.*

Votum Ferdinandi III. Imperat.

Quare ad vos coronidis loco me nunc converto, ô Magnæ Matris non degeneres ſed obſequentes filij, Sodales Parthenij; ſi gutta generoſi in vobis ſpirat ſangvinis acclamate & vos veſtræ Matri Filij, Patronæ clientes, Magiſtræ diſcipuli, Bellatrici tyrones, ac cum D. Auguſtino dicite: *Tu cunctas fœminas vincis pulchritudine carnis, & omnes Angelicos ſpiritus ſuperas excellentiâ Sanctitatis; tu nullâ maculâ, nec mortalis, nec venialis, nec originalis peccati obfuſcaris.*

D. Auguſt.

O2 In

In Feſto Nativitatis B. V. MARIÆ.

CONCIO II.

Stella maris lucidiſſima MARIA. D. Epiphan.

ARGUMENTUM. *Virginem Sanctiſſimam in præſenti dictione cum SS. Patribus comparo ſtellæ lucidiſſimæ, & quidem* ſtellæ matutinæ, ſtellæ maris, ſtellæ vitæ. *Adeò ut harum exactiſſimè expreſſerit proprietates. Nam ſicut ſtellæ in ſe habent ardorem & ſplendorem, ac de nocte mundum in tenebris conſiſtentem illuminant. Ita eundem Virgo beatiſſima, partim intrinſeco charitatis ardore, partim extrinſeco miſericordiæ ſplendore tantopere illuminavit; ut ipſos quoque peccatores, deſperationum tenebris involutos, luce divinæ gratiæ irradiaverit, ac in ſalutis portum eduxerit. Hoc ipſum exemplis, & SS. Patrum teſtimonijs luculenter probatur.*

Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ. *Eccli.* 50.

N.142. HActenus per multorum annorum centurias, jure merito queri poterat homo miſerabilis, primævâ ſpoliatus innocentiâ, peccatorum obambulans in tenebris, compactus *in mendicitate & ferro.* Queri inquam poterat verbis, optimi Senioris Tobiæ, ac dicere: *Quale mihi gaudium eſt, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video?* Tob. 5. At, hodie, ô gaudium inexplicabile! *habitantibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis;* & quidem quod omnibus populis, orbíque univerſo ſolamen attulit admirandum: *Lux orta eſt, quaſi ſtella matutina in medio nebulæ.* Eccli. 50. quæ penetrabili ſuâ radiorum vehementiâ ipſos ſubterraneos in limbo Patrum penetravit ſpecus, Ægyptiacis denſiores abegit tenebras, nebulas quaſi cineres undique ſparſos, momento diſſipavit.

Pſal. 106. Tob. 5. Iſaiæ 9. Ecci. 60.

Verùm quæret nonnemo, quænam amabò hæc ſtella erat, quæ poſt tot annorum evolutas ſeries, primùm radiare cæpit? *quaſi ſtella in medio*

Digitized by Google

medio nebulæ exorta, lumen quaquaverſum diffudit? Dicam, ut ambages fugiam appoſitè prorſus cum D. Petro Damiano ſerm. 40. de Virg: *Hæc ſtella matutina in medio nebulæ erat MARIA; quæ in cœli cardine, ſummo ſplendore coruſcans, orbem ſubditum, ſplendidioribus radijs incolorat.* Dicam inſuper cum altero è Purpuratorum numero D. Bonavent. ſerm. de Nativ: *MARIA eſt hæc ſtella radioſiſſima, & verè radioſiſſima ſtella; cujus radius non modò mundum, ſed etiam cœlum, imò etiam infernum penetravit.* Nec abs re, ſiquidem & reliqui Sancti Patres *ſtellam* hanc *matutinam*, ſtellam verè radioſiſſimam, varijs iiſque magnificis exornare encomijs non dubitaverunt. Certè hanc D. Rupertus nominare auſus eſt: *Stellam mundi fulgidam ac ſolatio plenam; quia ejus oriens fuit finis dolorum & conſolationis initium;* hanc nominavit Heſichius orat. 1. de laud. B. V. *Stellam vitæ: fideliſſima enim,* ùt ipſe aït, *extitit mediatrix noſtræ ſalutis, inter DEUM & hominem.* Hanc novo celebrans encomio D. Epiphan. vocavit *Stellam maris lucidiſſimam, quia ejus ductu & interventu ad patriam transfretamus.* Verbô, hanc eandem D. Petrus Damianus appellavit *Stellam Jacob*, de qua Balaam Num. 24. in montibus benedicens populo Iſraëlis, vaticinatus eſt, dicens: *Orietur ſtella ex Jacob: Hodie* (inquit ipſe) *apparuit ſtella mundo, per quam Sol Juſtitiæ mundo illuxit; illa videlicet, de qua per Prophetam dicitur: orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo de Iſraël.* Quòd autem verè MARIA ſacratiſſima hæc ſtella Jacob fuerit, quam Regi Balac prædixit Balaam; affirmat & ipſe D. Bernardus hom. 2. ſuper Miſſus: *Iſta eſt nobilis ſtella Iacob, cujus radius univerſum mundum illuminat; cujus ſplendor præfulget in ſupernis, & inferos penetrat, terras etiam perluſtrans & calefaciens magis mentes quàm corpora, fovet virtutes, excoquit vitia.*

S. Pet. Dam. D. Bonav. S. Rupert. Heſichius. D. Epiphan. D. Pet. Dam. S. Bernard.

Quare cùm hodie teſte D. Petro Damiano: *Profuſus totus gaudiis ubique terrarum orbis exultat; & Eccleſia ſancta naſcente Sponſi ſui Genetrice laudes alternat;* ac ipſa glorioſa feſtivitas exigat, ut & nos in laudes Virginis prorumpamus. Idcirco ab inſinuata nunc non deflectam ſimilitudine, ſed oſtendam: MARIAM Auguſtiſſimam, non ſolùm in ortu ſuo fuiſſe *ſtellam matutinam in medio nebulæ* peccatorum fulgentem; ſed etiamnum exiſtere *ſtellam vitæ*, umbram mortis propulſantem, nec non *ſtellam maris,* in portum ſalutis deducentem, peccatores naufragos.

D. Pet. Dam.

N.143. Poſtquam admiranda DEI omnipotentia, mox à mundi exordio, die quarto, prodigioſo illo verbo *Fiat*, ex nihilo produxiſſet innumera
Geneſ. 1. ſtellarum genera, *ut lucerent ſuper terram.* Geneſ. 1. Ecce è veſtigio ſtellæ quaſi ratione eſſent præditæ, verbo divino obtemperantes: *De-*
Baruch. 3. *derunt lumen in cuſtodiis ſuis, & lætatæ ſunt*, ait Baruch Propheta cap. 3. *luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit eas.* At, longè meliùs officio ſuo ſatisfecit, noſtra in medio nebulæ exorta *ſtella matutina, ſtella maris*, quæ ut primùm à DEO poſita eſt in oriente Nativitatis ſuæ, quaſi in *Cuſtodia ſua.* Mox & ipſa luxit cum jucunditate ei qui fecit eam; ſoliſque DEO, ut aliæ ſtellæ, omnem ſibi communicatum adſcripſit fulgo-
Richardus Laur. rem, *MARIA ſtella maris*, confirmat dicta mea Richard. Laurentin. lib. 1. de laud. B. V. c. 3. *Quia hilariter dat lumen ſuum, & aſſignat Filio, quicquid boni recepit ab eo, luxerat igitur ei cum jucunditate, qui fecit eam*; itaque luxerat ut genuinas expreſſerit proprietates *ſtellæ maris*, quæ bene manè exorta, lucet in medio nebulæ. Hinc ſi ſtellarum proprietas conſiſtit teſte doctiſſimo Idiota in *ardore & ſplendore*; animadverto & ſtellam noſtram, hanc duplicem in ſe habuiſſe proprietatem, ſiquidem intrinſeco amoris *ardore*, & extrinſeco miſericordiæ *ſplendore*, mundum propè univerſum, ipſóſque adeo peccatores ſuccendit
D. Bernard. & illuminavit. Nam *verè in te ô Beatiſſima Virgo MARIA fuit ignis charitatis ardens & ſplendens ante DEUM, & nos miſeros peccatores prote-*
S. Bernardin. *gens*, ait D. Bernardus. Nec abluſit D. Bernardinus dum Tom. 3. ſer. 11. de Virgine Sanctiſſima hæc effatus eſt: *Spiritus Sanctus MARIAM recognovit fornacem ſui amoris, & officinam ſuæ ſtupendæ operationis.*

Hanc igitur in immenſum ardentem & lucentem maris ſtellam,
N.144. meritò ultimis hiſce temporibus DEUS optimus maximus, ab infinita ſua impulſus miſericordia exoriri fecit, ut radioſo illo ſuo gratiarum lumine, miſeris mortalibus in ſpatioſo mundi ſalo, inter periculoſos fluctus, quaquaverſum agitatis ſuccurreret, latentes detegeret ſcopulos, omniáque animarum pericula manifeſtaret. Et certè quis ſtatus tum quando Virgo Sanctiſſima in lucem prodijt fuerit, graphicis idipſũ
D. Auguſt. propoſuit verbis D. Auguſtinus in Pſalm. 65. *Mare erat mundus*, ait, *amarus ſalſitate, turbulentus tempeſtate, ſæviens fluctibus perſecutionum; habebat homines ſicut piſces, de ſuo malo gaudentes, & tanquam ſe invicem devorantes.* Similiter quoque D. Hieronymus, eundem planè mi-

miſerum mundi ſtatum, qui ad finem uſque perdurabit, ſic Heliodoro ſuo, Ep. 1. c. 5. depinxit: *In illo mundi aſtu, charybdis luxuriei ſalutem devorat, ad pudicitiæ perpetranda naufragia, ſcylla libido blanditur. Hic diabolus Pirata cum ſociis portat vincula capiendis.* D. Hieron.

Hæc aliáque innumera mala, quæ in tempeſtuoſo illo mundi oceano reperiuntur, nè miſeros mortales ex improviſo adortos traherent in profundum abyſſi, meritò DEUS optimus, ſtellam novam, eámque talem ſuper mare illud infeſtum exoriri fecit, quæ influxu ſuo potenti, intumeſcentes aquarum ſedaret fluctus; radioſo verò ſuo lumine abigeret tenebras, occultatos detegeret ſcopulos, portúmque ſalutis omnibus demonſtraret; ſinè qua aliàs miſeri mortales, tenebris ſuorum peccatorum excæcati, animæ ſuæ paterentur naufragium. Hinc bene D. Bernardus ait ſer. 1. de Nativ: *Tolle MARIAM maris ſtellam, maris utique ſpatioſi & magni, quid niſi caligo mortis, ac denſiſſima tenebræ relinquentur?* Tenebræ enimverò relinquerentur, ex quibus eſſet *facilis deſcenſus averni* Proinde & alij SS. Patres de induſtria eam appellârunt *ſtellam maris.* Non verò *ſtellam cœli*, eò quòd navigantibus in procelloſo hoc omnium vitiorum mari, ſuo gratiarum lumine promptiſſimè ſubveniat: unde quod pijſſimus Abbas Abſolon ſer. 31. de Virgine effatus eſt, hoc hodiernæ feſtivitati, non incongruè applicare poſſum; nimirum: *Tempore hujus ſalutationis* (dicam ego Nativitatis) *nulli erant in cœlo Beati; in mundo nulli Juſti, vel admodum pauci; ſed omnes erant in mari, hoc eſt in amaritudine peccatorum involuti: & ideo juſtè maris ſtella, id eſt peccatoris ſtella nuncupata eſt.* Nec abs re, ſiquidem etiam opera ejus ad amuſſim correſponderunt nomini. S. Bernard. Abſolon Ab.

N. 145. Nam quemadmodum maris ſtella inter nubila & nebulas exorta, navigantibus abacto omni timore, maximum adfert ſolatium, dum vident ad præſentiam ejus; pravos componi fluctus; ſedari ventos, propulſari tenebras; ità & MARIA vera *maris ſtella* ut primùm peccatoribus affulget; moleſtos mox componit tentationum fluctus, ſedat tribulationum ventos; propulſat peccatorum tenebras, adeò ut bene de ea ſcripſerit S. Amedæus hom. 8. de laud. B. V. *Dici non poteſt chariſſimi, quoties his aſperrimis ſcopulis naufragaturi offenderent, niſi ſtella maris, perpetua Virgo MARIA, ope validiſſima obſtitiſſet, ſuóſque jam fracto gubernaculo, & omni humano conſilio deſtitutos, cœleſti ducatu, ad* S. Amedæus.

por-

portum æternæ pacis applicandos eveheret. Propterea D. Bernardinus
S. Bernardin. copioſas haſce Virginis Sanctiſſimæ operationes perpendens; bene-
eam genus humanum ſolantem ſic inducit: *Penetrabo inferiores partes
terræ, ſcilicet quæ ſunt frigidæ & obſcuræ, & aſpiciam oculo miſericor-
diæ omnes dormientes (id eſt cæcos & negligentes ſuam ſalutem) & il-
luminabo omnes ſperantes in Domino.*

N. 146. O quàm potenter ſimul & ſvaviter non influxerunt hi gratioſi
miſericordiæ radij MARIÆ, *ſtellæ maris*, in pectus animúmque illius
miſerrimi latronis, qui à dextris cum Chriſto crucifixus erat; certè à
diabolo Pirata vinculatus, & ob nefaria perpetrata ſcelera, per imma-
nes vitiorum fluctus raptatus, jamjam in barathrum inferni demergen-
dus erat, niſi *ſtella maris perpetua Virgo MARIA ope validiſſima obſtitiſ-
ſet, eúmque omni humano conſilio deſtitutum, cœleſti ducatu, ad por-
tum æternæ pacis applicandum evexiſſet.* Mirantur non parum SS. Pa-
tres, maximè DD. Auguſtinus, Ambroſius, Chryſoſtomus; quomodo
Chriſtus latronem hunc ſibi à dextris crucifixum, *qui nihil boni* unquam
fecerat, imò ſemper fuit malus & vitioſus, tam citò in gratiam recepe-
D. Chryſoſt. rit, eíque primo omnium paradiſum promiſerit, dicens: *Hodie mecum
eris in paradiſo? ô res miranda!* exclamat D. Chryſoſtomus in Matth.
*non Abrahæ tunc data eſt promiſſio paradiſi, non Patribus, non Prophetis,
ſed primùm Latroni dicitur, hodie mecum eris in paradiſo.* Ampliùs quæ-
D. Ambroſ. rit D. Ambroſ. ſerm. 44. *Cur tantorum criminum reus, tam citò à Sal-
vatore paradiſum promeruit? cùm alij multorum lachrymis, frequenti-
búſque jejuniis vix delictorum ſuorum veniam conſequantur?* Verùm
huic quæſtioni diverſimodè reſpondere conantur SS. Patres. S. Am-
D. Ambroſ. broſius putat Chriſtum id feciſſe in contemptum Judæorum: *Quia
ipſe Chriſtum in ſuppliciis agnovit, quem Judæi in beneficiis, non agnove-
runt.* D. Auguſtinus verò exiſtimat id factum in pœnam diabolo, qui
primum hominem expulit ſuggeſtione ſua ex paradiſo: *Quemadmo-
dum enim diabolus, primum deprædando hominem, abſtulerat de paradiſo,
ſic Chriſtus Latronem confitentem eruit de inferno & inſeruit paradiſo.*
Verùm appoſitè planè ad rem meam reſpondet D. Petrus Damian. &
S. Methudius, qui dicunt, latronem ea de cauſa converſum, ac ſal-
vatum eſſe, quòd MARIA Virgo Sanctiſſima adſtans ejus cruci, velut
ſtella maris eum illuminaverit, illuminatúmque induxerit, ut corde
con-

Digitized by Google

contrito ac pœnitenti Filio diceret: *Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum.* *Idcirco enim bonum latronem*, ait D. Methudius, *reſipuiſſe credimus, quia Beatiſſima Virgo inter crucem Filij, & crucem latronis poſita, Filium pro latrone deprecabatur.* Quæ cùm ità ſint, verè radioſiſſimam ſtellam maris, id eſt ſtellam peccatorum, neceſſe ſit eſſe MARIAM; ſiquidem hunc penè demerſum, luce ſua tam validè illuſtravit, ut ad portum æternæ pacis feliciſſimè appulerit.

Hinc infero ſi Virgo benigniſſima, non rogata hunc latronem, qui ſemper fuit malus & vitioſus, gratioſo tamen ſuo miſericordiæ fulgore irradiavit, quid non faciet rogata? quid denegare poterit illi, qui ſeriò ac cordialiter ad eam confugerit? profectò non aberrabo, ſi cum D. Hilario dixero: *Quantumcunque peccato obnoxius fuerit homo, nunquam peribit, ſi tantùm MARIÆ devotus fuerit.* hoc eſt: impetrabit Virgo Sanctiſſima etiam ſceleratiſſimo, peccatorum ſuorum à Filio veniam; modo conſtanter in devotione illius perſtiterit; ac inſpirationibus ejus non reſtiterit; & quidni hæc peccatoribus præſtaret, cùm D. Damiano teſte, omnem à Filio acceperit poteſtatem. Nam, *Data eſt tibi ô Virgo omnis poteſtas*, ait ſerm. 1. de Nativ. *in cœlo & in terra, & nihil tibi eſt impoſſibile, cùm poſſibile ſit etiam deſperatos in ſpem beatitudinis relevare.* Id ſanè varia eáque luculenta confirmant exempla; è multis unum profero, quod hiſtoria B. V. Eremitana patheticè enarrat. Superiore ſeculo, cùm populi undique, maximè ex adjacentibus regionibus, ad Virginem Sanctiſſimam in eremum Helvetiorum, devotionis gratiâ confluerent; accidit ut ex vicina quoque Alſatia, Nobiles quidam, miraculorum fama exciti, advolarent; hos inter erat nonnemo, proſtitutæ planè vitæ nobilis, qui non tam devotionis quàm Societatis tenendæ cauſa, ac ſola curioſitate ductus, cum alijs Eques proceſſit. Hic ubi ſanctam eremum attigit, non aliorum ſecutus exemplum in ædem Virginis ſe contulit, magnam DEI Matrem ſalutaturus; ſed viâ rectâ Cauponam adijt, vinum optimum ſibi apponi præcepit. Interea dum ſeſe ſic helluo ingurgitat pia (non dubito ab Angelo Tutelari excitata) ſubijt animum cogitatio: En quàm profligatæ vitæ homo es, qui animæ tuæ ſalutem, tam propudioſè negligis, dum interim alij in ea conſequenda, toto incumbunt pectore, ac MARIAM Virginem, *inventricem gratiæ, Genitricem vitæ, Matrem ſalutis*, pro eadem humiliter

N. 147.

D. Hilar. apud Lyraeum in Pſalm.

Hiſtor. Erem.

D. Bernard. ſerm. 8.

deprecantur. Propera igitur & tu ad magnam DEI Matrem, & qui ex curioſitate huc acceſſiſti, eam nunc devotionis cauſa accede, & tuorum veniam peccatorum ab ea efflagita. Cogitavit hæc, & quaſi ſtimulo adactus, confeſtim relicta menſa, venit in templum; ac ubi Virginis Deiparæ Iconem conſpexit tantopere immutatus fuit; ut copioſas ſolutus in lachrymas, ſceleratam ſuam deteſtatus ſit vitam; firmiſſiméque ſibi propoſuerit, animam ſuam, ubi domum redierit, generali confeſſione expurgaturum. Sic contritus cum Sodalibus ſuis poſtera die ſe rurſum viæ commiſit: verùm dum fines Alſatiæ in ſilva attingit, à militibus ex improvisò cingitur, & quia ſe ſtrenuè defendere conatur, diffugientibus cæteris, dejicitur ex equo, vulneratur, imò quod ei exitiale fuerat, caput à corpore prædicitur, ac in proximum dumetum abjicitur. Quis enimvero hæc audiens non putâſſet eum mala morte perfunctum, ut qui abſque confeſſione diem ſupremum obijt? at planè tum *Inventrix gratia Mater ſalutis*, miſerrimo huic ſuccurrit, fugientémque è corpore animam tamdiu in reſecto capite morari præcepit, uſque dum ſalutarem peccatorum ſuorum nanciſceretur abſolutionem; quod & factum eſt. Cùm enim Sacerdos quidam paulò pòſt eadem viâ equo veheretur audijt clamorem hominis cujuſdam, confeſſionem poſtulantis; mox equo deſiliens, acceſſit dumetum, unde vox ea prodierat, & ecce reperit ſolum caput in voces & lamenta ſolutum miratur facinus, quærit cauſam tam miraculoſæ vitæ? reſpondet ſe ſe Sanctiſſimæ Virginis ope in vivis ſervatum fuiſſe; nec citiùs poſſe emori, quàm omnia peccata ſua confiteretur: quæ etiam ubi ingenti cum dolore recenſuiſſet, debitámque à Sacerdote abſolutionem accepiſſet, ſvaviſſimè in Domino obdormivit.

S. Pet. Dam. Nimis igitur quàm verùm eſt illud D. Petri Dam: *Nihil tibi ô Virgo eſt impoſſibile, cùm poſſibile ſit etiam deſperatos, in ſpem beatitudinis relevare.* Bene proinde D. Georg. Nicomed. Virginem Sanctiſſimam alloquens, hæc quoque de ea fatur: *Nihil tua reſiſtit potentia ô Virgo, nihil repugnat tuis viribus, omnia cedunt tuo juſſui, quia habes vires inſuperabiles robur inexpugnabile, nè immenſam tuam clementiam, ſuperet multitudo peccatorum.*

D. Georg. Nicomed.

N. 148. Quare cùm lucidiſſima hæc ſtella maris, ſtella peccatorum MARIA, potentem omnino exerceat influxum in ſubjectum ſibi mare; intu-

Digitized by Google

intumeſcentes videlicet tentationum fluctus componat: *Piratam diabolum cum ſociis vincula capiendis portantem* profliget, & navigantibus lumine ſuo portum ſalutis demonſtret: confugiamus ergo in omnibus tentationibus, tribulationibus, ac neceſſitatibus noſtris ad hanc ſtellam peccatorum; non imitemur imprudentes illas Virgines, quæ à nuptijs excluſæ ſunt, quia ad januam pulſando, ſolummodo inclamârunt Sponſo: *Domine, Domine aperi nobis*! Matth. 15. & non etiam ſponſæ, *Domina, Domina aperi nobis*! *Si enim illæ Virgines* (ait D. Bernardus) *quemadmodum Domine Domine inclamârunt, ita inclamâſſent Domina Domina, illam fortaſſe repulſam non paterentur, quia Matris miſericordia Filij juſtitiam temperaret.* Non igitur imitemur has fatuas, ſed poſt DEUM, recurramus ad ſtellam hanc noſtram, atque in ea totam noſtram collocemus ſpem ac fiduciam; maximè cùm idipſum SS. Bernardus & Fulbertus ponderoſis hortentur verbis: Nam *ſi ſurgant venti tentationum malarum* (ait Fulb. in cap. 1. Lucæ) *& eleventur procellæ, reſpice ad ſtellam, & nomina MARIAM, & experieris, quàm juſtè vocatum eſt nomen Virginis MARIA.* Nec aliter ſvadet D. Bernardus hom. 2. ſuper Miſſus: *ſi incurras ſcopulos tentationum, ſi jactaris ſuperbiæ undis; ſi iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra, naviculam concuſſerit mentis, reſpice ſtellam, voca MARIAM, non recedat ab ore, non recedat à corde.*

Matth. 15.
D. Bernard.
Fulbertus Abbas.
S. Bernard.

Ad te igitur & nos, ô benigniſſima Virgo, & clementiſſima Mater, accedimus; & quia in glorioſa tua Nativitate fuiſti *quaſi ſtella matutina in medio nebulæ*, illumina quoque gratiarum tua luce corda noſtra, & ſi ea quandoque tetrica aliqua mœroris nebula obſuſcaret, mox eâdem luce hanc abigito, ac priſtinam inducito ſerenitatem. Quia verò à DEO optimo nobis conſtituta es *ſtella vitæ*, fac ut confugientes ad te conſtanter *ambulemus in lumine tuo*; nec unquam nos comprehendant peccatorum tenebræ, aut umbra mortis; ſed per te vitam obtineamus ſempiternam. Quia denique ad te velut ad radioſiſſimam ſtellam maris DEUS omnes omnino vult converti mortales, idcirco *oculi omnium in te ſperant, Domina, fac ut proſperè perveniamus ad portum quietis æternæ*, ut te cum omnibus Angelis laudemus; veneremur in omne ævum.

Fulbe. ibid.

Digitized by Google

In Feſto Præſentationis B. V. MARIÆ.

CONCIO III.

Arca novi Teſtamenti MARIA. S. Bernardus.

ARGUMENTUM. *Virgo Sanctiſſima à Parentibus ſuis in templum introducta, Deóque præſentata, comparatur ac præfertur Arcæ fœderis, quam Salomon quoque magnificentiſſimè introduxit. Unde ſicut hæc, tanquam* omnium bonorum theſaurus; *plurima populo ſuo præſtitit beneficia; ita* Arca novi Teſtamenti MARIA, *tanquam* Theſauraria *gratiarum DEI, innumeras etiam ſuis contulit gratias. Rurſum quemadmodum vetus idola confregit, dæmones è delubris abegit; ita Arca noſtra graves tentationes & anxietates animi à Cacodæmone immiſſas hominibus feliciſſimè diſpulit. Demum ſicut fœderis Arca protegebat Hebræorum caſtra, ac hoſtes populi DEI debellabat; ita & novi Teſtamenti erat, & eſt Chriſtianorum propugnatrix, quæ non ſolùm viſibiles Chriſtianæ Fidei hoſtes protrivit, ac fideliſſima Imperatorum & Regum, contra Turcas, Saracenos, Mauros &c. fuit Adjutrix; ſed inſuper inviſibilem, quod alteri non fuit conceſſum, contrivit Sathanæ potentiam; dum maximos etiam peccatores è deſperationis Barathro exemit, ac priſtinæ DEI gratiæ reſtituit.*

Beatus venter, qui te portavit. *Lucæ* 11.

N. 149. PRæeminentem Arcæ veteris Teſtamenti ſanctitatem, uti & admirandam ejus plurimorum prodigiorum Operatricem potentiam, qui obſervat; fateri cogitur Iſraëlis populum, jure merito eâ gloriari potuiſſe, Deóque plurimùm fuiſſe obſtrictum; ut qui ei tam multa & magna per eam contulit beneficia. Idcirco ſapientiſſimus Regum, ut eam ſummo proſequeretur cultu, debitaſque populo

Digitized by Google

pulo univerſo exponeret venerationi; poſtquam DEO Ter Optimo Maximo peramplum ac magnificum extruxiſſet templum; ac pro ea ſpecialem præparâſſet locum, ingenti prorſus cum ſolennitate, ipſam in illud per Sacerdotes Domini fecit inferri. Nam 3. Reg. 8. *Intulerunt Sacerdotes Arcam fœderis Domini in locum ſuum; in oraculum templi in Sanctum Sanctorum ſubter alas Cherubim.* 3. Reg. 8.

Verùm qui in lege gratiæ attentiori mente, eminentiſſimam novi Teſtamenti Arcam (Matrem DEI Sanctiſſimam intelligo, à SS. Patribus ſic vocitatam) perpendit; cogitur velut umbram aſpernari alteram, & hanc omni cultu ac veneratione proſequi. Siquidem ipſa verè in ſe, non tabulas Moyſis continebat lapideas, ſed harum Conditorem; non virgam Aaronis floridam, ſed ejuſdem Directorem, non denique Manna Cibum Angelicum, ſed corpus Servatoris noſtri ſacratiſſimum, qui per novem menſes ſvaviſſimè in eadem requievit: bellè proinde ait D. Ambroſius ſerm. 80. in fine: *Sicut Arca intrinſecus portabat Teſtamenti tabulas, ſic MARIA ipſius Teſtamenti geſtabat Heredem: illa intra ſemet legem, hac Euangelium retinebat: illa DEI vocem habebat, hac VERBUM. Verumtamen Arca intus foriſque auri nitore radiabat; ſed & Sanctiſſima MARIA intus foriſque Virginitatis ſplendore fulgebat.* D. Ambroſ. ſerm. 80.

Unde quemadmodum Rex Salomon Arcam Moſaicam, ſolenni cum magnificentia intulit in templum Domini in Sancta Sanctorum; ſic & MARIAM novi Teſtamenti Arcam Parentes optimi *Joachim & Anna*, mox tertio à nativitate anno ùt SS. Gregorius Nyſſ. Germ. Bonavent. perhibent, ſummo cordis gaudio, ac animi lætitiâ induxerunt, in idem templum, ut eam DEO jam pridem oblatam præſentarent, ſéque ſuis exolverent votis. Nam *promiſſionem* (ait D. Bonavent.) *ſancta Mater adimplet, & in templum aſcendens, juxta votum eam DEO conſecrat.* Proinde quo affectu in DEUM id præſtiterit; pulchrè enarrat S. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus, dum eam ſic introducit, ſummo Sacerdoti loquentem: *Vota mea reddo Domino, quæ diſtinxerunt labia mea, & ideo Virginum catervas coëgi cum lampadibus; & convocavi Sacerdotes, congregâvi cognatos meos, omnibus dicens; congratulamini mihi, quòd hodie Mater & productrix effecta ſum; non Regi terreno meam offerens filiam, ſed DEO cœleſti.* Et quidem obtulit N. 150. D. Bonav. S. German. Patr.

illam ipſam, de qua Filius ejus poſtmodum naſciturus erat, imò de qua *Mulier extollens vocem* illud proferre debebat: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti.* Luc. 15.

Lucæ 11.

Cùm igitur Beatiſſima Virgo à ſuis ſanctis Parentibus, velut Arca DEI, introducta fuerit in templum, oſtendam in præſenti dictione, quod ſicut Arca in veteri Lege fuit aſylum & refugium univerſi populi; ita in nova Lege gratiæ MARIAM unicum poſt DEUM eſſe refugium; ad quam omnes populi & gentes, ſecurè confugere poſſunt.

N. 151. Quanto fuerit emolumento Arca veteris Teſtamenti populo judaico, quantíſque ipſum immerentem licèt affecerit beneficijs, pauculis hiſce verbis enarrat Mendoza noſter in cap. 4. libri 1. Regum, dicens: *Arca omnium bonorum ſpiritualium theſaurus erat. Hinc enim divina oracula edebantur; hinc divina auxilia procedebant; hinc divina in populum miſericordia fulgurabat. Qua ſtante ſtare Reſpublica, qua ruente ruere videbatur, qua præſente DEUM ſibi propitium, abſente iratum habere omnes arbitrabantur.* Et meritò, nam ex hac DEUS optimus ſæpenumero locutus eſt, ac diverſa dedit reſponſa; videlicet Moyſi, Aaroni, Joſue, Samueli, Davidi, & alijs, ùt diſertè varijs in locis enarrat ſacer Hiſtoricus. Ab hac Joſue ejúſque exercitus gentium furore armíſque preſſus, reportavit auxilium. Ad hanc David in omnibus neceſſitatibus ſuis confugiens roboratus fuit, *adversùs eos, qui tribulabant eum,* ùt ipſe fatetur Pſal. 68. Verbo, ab hac univerſus Iſraëlis populus, cæſis hoſtibus non ſemel ſed ſæpiùs fuit defenſus & propugnatus, adeò ut verè fuerit *omnium bonorum ſpiritualium theſaurus.*

P. Mendoza in Reg. lib.

Pſal. 68.

Verùm longè meliori modo, hæc quæ enarravi dici poſſunt de Arca novi Teſtamenti Virgine Beatiſſima, præſertim cùm Arca illa Moſaica hujus noſtræ fuerit nonniſi umbra & figura; nam ùt teſtatur D. Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtoch: *In arca illa præceſſit umbra, nunc in Virgine veritas eſt.* Idcirco jure optimo nominari poteſt, *omnium bonorum ſpiritualium theſaurus*; ſiquidem etiam fuit atteſtante Idiota doctiſſimo, *theſaurus Domini, & theſauraria gratiarum ejus.* Per hanc igitur & DEUS locutus eſt unicum ſuum & *abbreviatum VERBUM*, quod extitit ante ſecula: ab hac emanârunt varia opera pietatis ac dona gratiarum. Ab hac ſolatium & auxilium, plurimi mortalium, bello,

D. Hieron.

Idiota.

bello, fame, morbis, aliiſque calamitatibus preſſi reportaverunt; adeò ut eleganter prorſus ſcripſerit S. Bernardus ſerm. 2. de Pentec: *Ad illam ſicut ad Arcam DEI, ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negotium ſæculorum, reſpiciunt omnes, & qui in cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequentur, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis.* Ipſa verò *viciſſim omnibus miſericordiæ ſinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant univerſi, captivus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, juſtus gratiam.* *D. Bernard. ſerm. 2.*

N. 152. De Arca veteri hoc præterea memorant Regum faſti; eam nimirum ſpecialem habuiſſe virtutem adversùs idola, Deorúmque delubra, quæ ſola ſua præſentia dejecit, confregit, deſtruxit. Nam perhibente S. Scriptura 1. Reg. 6. ut primùm in Philiſtinorum terram deportata eſt; non ſolùm Deorum maximum Dagon, penes quem in templo honoris cauſa collocata fuerit, dejecit, capútque ac manus à trunco avulſit; ſed etiam minores Deos proſtravit ac contrivit: teſtatur id clarè Origenes hom. 16. in numer: *Ad ingreſſum Arcæ*, inquit, *cultus ipſe dæmonum deſtruebatur, utpote ſimulacris ipſorum templiſque corruentibus.* *Origenes ho: 16.*

Quare ſi permoleſti animorum ſcrupuli, acerbæ cordis anxietates, triſtéſque in anima cogitationes, non ineptè à S. Gregorio comparantur Idolis, quæ vaferrimus diabolus in corde ad affligendum homines collocat, ac per illa eos ad deſperationem redigere conatur; meritò & Beatiſſimæ Virgini veræ Arcæ DEI, ſpecialem adversùs has ſtygias machinas attributam eſſe virtutem & poteſtatem aſſerere auſim. Siquidem & ipſa, ut primùm ab afflictis invocatur, mox præſentiâ ſuâ omnes anxietates, mærores, ac perturbationes, feliciſſimè eliminat, hominibúſque priſtinam cordis ac animæ reducit tranquillitatem. Bene proinde D. Bernardus omnes mærore oppreſſos ad eam ablegat his verbis, hom. 2. ſuper Miſſus: *Si criminum immanitate turbatus, conſcientiæ fœditate confuſus, judicij horrore perterritus, barathro incipias abſorberi triſtitiæ, deſperationis abyſſo: cogita MARIAM, in periculis, in anguſtiis, in rebus dubiis, MARIAM cogita, MARIAM invoca, non recedat ab ore, non recedat à corde, & ut impetres ejus orationis ſuffragium, non deſeras converſationis exemplum. Ipſam ſequens non devias, ipſam rogans non deſperas, ipſam cogitans non erras; ipſa tenente non corruis, ipſa protegen-* *S. Bernard. hom. 2.*

Digitized by Google

tegente non metuis, ipſa duce non fatigaris, ipſa propitia pervenis; ſcilicet ad patriam cœleſtem. Et quomodo non propulſaret Virgo Sanctiſſima, has amaras è cordibus anxietates ac perturbationes? quomodo non ſolaretur, mæſtitiæ mari immerſos? quam univerſalis DEI Ecclesia, hoc amabili honoraverat titulo *Conſolatrix afflictorum*? Quam D. Ignatius Epiſcopus & Martyr adhuc viventem, *miſeris coafflictam* nominare conſveverat? quam denique D. Damaſcenus, *unicum moleſtiarum levamen*; D. verò Petrus Dam: *virgam conſolationis indigitare non dubitaverunt*.

D. Ignatius in E.

D. Pet. Dam.

N.153. Profectò ſi ſacra Hiſtoricorum perluſtrem monumenta, aptiſſimè exclamare queo, ô quàm multis Virgo Sanctiſſima profuſas ex oculis lachrymas, velut condolens Mater benigniſſimè exterſit! quàm multis denſas triſtitiæ nebulas, à corde, claritatis ſuæ lumine propulſavit! imò quàm multis ruentibus jamjam in deſperationis barathrum feſtinè adfuit, eóſque retraxit, ac priſtinam animæ reddidit lætitiam! dum ſcilicet præcipitantes ſeſe ex alto ſuppoſita excepit manu; mergentes è fluctibus extraxit, ferali è trabe pendulos, pretioſo fune ſervavit incolumes. E ſexcentis facilè exemplis, vel unicum quod Rhemes Rhedonum caput in Gallia noſtró ſeculo, mirabunda ſpectavit 1609. abundè id confirmat. Civium quiſpiam, devotus aliàs B. Virgini ajunt litt: annuæ Soc. ære alieno preſſus à creditoribus ſuis compactus fuit in carcerem. Hic poſt longam ibi tranſactam moram, cùm non eſſet ſolvendo; tandem inſtigante dæmone, eo deſperabundus proceſſit, ut circa medium noctis dormientibus alijs collum laqueo inſeruerit, ſéque è trabe infelix dejecerit. At ecce clientis ſui (qui eâdem die duo orando decurrerat roſaria) miſerta Virgo Beatiſſima vicino mox apparuit dormienti, eúmque monuit, ut abſque mora pendulo, funem præſecaret; factum, ſemimortuus revixit, & non ſolùm mentis ſerenitatem, ſed & libertatem, debitum ſolvente pro eo alio conſecutus eſt.

Litteræ annuæ Societ.

N.154. Progredior nunc ad primariam Arcæ fœderis virtutem, quæ ſita erat in protegendis Hebræorum caſtris, & debellandis eorum hoſtibus, nam atteſtante D. Athanaſio lib. de interp. Pſal: *Si bellum populo ingrueret; Arca in qua erant tabulæ legis, ante omnes præcedebat, hæcq; ſufficiebat illis, pro quavis acie in ſubſidium.* Et non defendebat ſolùm hæc

D. Athanaſ.

Digitized by Google

hæc invicta DEI Arca ſuos, ſed & eis varias attribuebat, actis in fugam hoſtibus, victorias; integróſque eorum conterebat exercitus. *Arca enim* (confirmat dicta mea Sever. Sulpit. in hiſt. vet. Teſtam.) *ubi in conſpectum hoſtium deducta eſt; majeſtate quadam præſentis Domini territi, mox fugam paraverunt.* Teſtes enim verò eſſe poſſunt Madianitæ, quos ad unum omnes (demptis triginta duobus millibus Virginum à Moyſe reſervatis) interneciom dedit Phinées, qui duodecim millibus comitante Arca eos agreſſus feliciſſimè, nè unico ſuorum deſiderato devicit. Numer. c. 31. Teſtes præterea eſſe poſſunt & Reges illi numero triginta unus, quos Joſue adjuvante Arca cepit ac jugulavit; & Philiſtæi cæteroquin bellicoſiſſimi, quos Saul & David patrocinante eadem, pluribus commiſſis prælijs penitus protriverunt; meritò proinde Arcam illam nominavit Abulenſis: Præſidium Hebræorum, cauſam triumphorum. *Sever. Sulp.* *Numer. 31.*

N. 155. At quid proferam de noſtra Thaumaturga Arca, Virgine MARIA Sanctiſſima? quæ à Spiritu Sancto vocata eſt *terribilis ùt caſtrorum acies ordinata.* Cant. 6. num & ei defuiſſe hanc virtutem arbitrabimur? de qua tamen Georg. Nicomedienſium Præſul disertè pronuntiat, dicens: *Te Chriſtianorum multitudo, murum habet firmiſſimum; per te fideles Reges arma tenent valida, per te conſequuntur trophæa victoriæ?* libet igitur de ea exclamare, cum D. Gregorio Magno? *Jlla, illa eſt Chriſtianorum propugnatrix!* cum S. Andrea Cret: *Jlla eſt fidei Chriſtianorum propugnaculum.* cum Hugone Caren: *Jlla eſt murus ſtabilis & firmus nobis ad defenſionem conceſſus.* Quod ut manifeſtiùs, nonnullis hanc in rem adductis demonſtrem exemplis. *Cant. 6.* *Georg. Nicomed.* *S. Andr. Cret.* *Hugo Caren.*

Primùm ad te provoco Alphonſe VIII. Caſtellæ Rex glorioſiſſime; dicito mihi, quis te Anno 1212. 16. Julij pauculo milite ſtipatum, contra innumerum propè Maurorum exercitum, ità tutatus eſt; ut ducenta millia eorum fuderis, vix triginta è tuis deſideratis? nunquid non præpotens hæc Arca DEI MARIA, cujus auguſtiſſimam effigiem in labaris, vexillis & clypeis expreſſam circumtuliſti; fideliſſimè præſtitit, ac cæſis hoſtibus reddidit victorioſum? Dicite & vos mihi invictiſſimi orientalium Imperatores, *Heracli, Joannes & Manuel Comnene,* quis latè patens imperium veſtrum, conrra Bulgaros, Saracenos, Perſas, Scythas, alióſq; barbaros defendit, ac eos improviſo oppreſſit,

contrivit, delevit, an non invictiſſima legis gratiæ Arca, quam teſte Niceta lib. 5. annal: *Invictam Adjutricem, inſuperabilem commilitionem* appellare conſveviſtis? hæc ſanè & non alia.

Nicetas l. 5.

Proinde ſi credendum Cedreno, eo planè tempore quo Heraclius Imperator, cum copijs ſuis erat undique vallatus, ac circumdatus, ab ingenti Perſarum exercitu; invocata à cliente ſuo Virgo Sanctiſſima, mox ei adfuit, ac deplua è congeſtis nubibus grandine, totum penè exercitum contrivit ac diſſipavit. Ità & adſtitit devotis ſibi Imperatoribus Joanni & Manueli contra fortiſſimas Saracenorum phalanges; dum Nicetâ teſte ſacratiſſima ejus imago (quam ſecum inſtar Arcæ eleganti in curru vehere aſſveverant) ut primùm in hoſtium conſpectum venit, eos perterruit, territos in fugam propulſavit, ſuíſque devotis victoriam attribuit.

Cedrenus in hiſt.

N. 156. Verùm quid vetera memoro, cùm quàm plurima noſtrorum temporum ſuperſint exempla, quæ ejus auxiliatricem, mirum in modum deprædicant potentiam. Certè è multis abundè id declarat, grandis illa Turcarum clades, quæ ope Beatiſſimæ Virginis An. 1571. 15. Octobris ad Inſulas Æchinades prodigiosè accidit. Nam poſtquam Chriſtiani ſacro fœdere juncti Directore ac Duce Joanne de Auſtria, prælium ſub meridiem invocatâ Deipara inchoâſſent, tantis animis & viribus, cum ſtrenuè ſeſe defendentibus, conflixere hoſtibus ad Solis uſque occaſum, ut memorabilem prorſus de ijs victoriam reportaverint; ſiquidem è Turcarum parte triginta propè millia fuerunt cæſa; ſex millia capta, ducenta triginta majora & minora navigia intercepta; ac in ijs duodecim ferè millia Chriſtianorum captivorum eliberata. Verè igitur & Arca noſtra ſanctiſſima *præſidium* eſt *Chriſtianorum, cauſa triumphorum.*

Unum nihilominus eſt, quod Arcam noſtram diviniſſimam apud omnes præ illa veteri, reddit vel maximè celebrem, quod videlicet ipſa clientes ſuos non ſolùm defendat contra hoſtes viſibiles, ſed quod ſummè æſtimandum eſt, contra inviſibiles, contra poteſtates & rectores tenebrarum; qui tanquam leones rugientes circumeunt, & quærunt quem devorent. Et quidni defenderet, cùm ipſa ſit illa præpotens Domina, *quæ* (teſte Fulberto Epiſc. Carnot.) *contrivit potentiam Sathanæ per Filium, quem genuit, ſpoliando illum dominio ſuo.* Unde

Fulbertus Carnot.

Digitized by Google

de maximos etiam peccatores, qui ſe diabolo vel pactis devoverunt, vel proprijs perpetratis ſceleribus in ſervitutem vendiderant, ad unicam etiam ſanctiſſimi Nominis ſui invocationem, clementiſſimè exaudivit, eóſque jugo dæmonum ereptos, gratiæ DEI reſtituit; bene proinde de ipſa ait D. Bern. in deprecat. ad ipſam: *Tu peccatorem quantumlibet fœtidum non horres, non deſpicis, ſi ad te ſuſpiraverit, tuúmque interventum, pœnitenti corde flagitaverit. Tu illum à deſperationis barathro pia manu retrahis, ſpei medicamen aſpiras, foves; non deſpicis, quouſque horrendo judici, miſerum reconcilies; famoſum hujus tuæ benignitatis teſtimonium eſt per te Theophilus reſtauratus gratiæ.* Addo ego, millena alia ſic per te reſtauratorum adſunt teſtimonia, è quibus luculentiſſimum eſt illud, quod de Sicula muliere jugulata, & ſubitò perſanata refert P. Turſelinus hiſtor. Lauret. lib. 3. c. 28. his ferè verbis. *D. Bernar.*

Sicula puella Venetijs pluribus annis, corpore quæſtum faciens, icta patriæ deſiderio, bonis omnibus in pecuniam redactis domum redire decrevit; ergo familiari quodam ſuo comite Lauretum petit, eâ mente, ut deterſis inibi confeſſione ſordibus, ac Lauretana Virgine ſalutata, inde lætior in Siciliam pergeret. Ventum erat ad Ravennatem ſilvam, ibi familiaris ille, omnia circa tuta cernens, prædæ ſpe ſtimulante, ſtricto ferro invadit incautam, Virginémque Lauretanam invocantem, gladio tranſverberat, è jumento quo vehebatur dejicit, dejectam inſequitur, concidítque plagis B. MARIÆ ſubinde præſidium implorantem; demum ne qua ſit reliquæ vitæ ſpes, ſemineçem jugulat fœdum in modum, ablatíſque rebus recedit. Jlla ſuo natans in cruore luctantem animam B. Virgini commendabat; cui etiam repentè B. Virgo in veſte candida ſe offert, cœleſti emicans luce, eam benignè complectitur, vulnera corporis tactu ſanat, dein caſtæ vitæ admonitam relinquens, ex ejus oculis elabitur. Ibi tum mulier, velut ex profundo excita ſomno, corpus ſuum perluſtrans oculis, videt vulnerum cicatrices omnes eſſe obductas, ipſámque mortiferam juguli plagam manu explorans perſanatam ſenſit. Quare læta Anconam primùm mulionibus adjuvantibus, qui illac fortè tranſibant, eámque nudam centone contexerant, pervenit; poſtmodum Lauretum, ubi DEO Virginíque ſoſpicatrici ſuæ gratias agens, compluribus annis ſubſtitit, & ad faciendam rei fidem recentem mortiferè plagæ cicatricem, ad- N. 157.

Digitized by Google

Miſſus eſt Angelus Gabriel à DEO in civitatem Galileæ. *Lucæ cap.* 1.

RES enimvero obſtupeſcenda eſt! non jam aureus aſtrorum Princeps, ab una Herois Joſue ſiſtitur voce, nec à gratioſa Ezechiæ prece, ad decem in curſu medio, idem ſereniſſimus retrahitur lineas; ſed cœlum ipſum volubile, irrequietum ſtellarum domicilium admiranti ſimile hæret attonitum, ac ab unius pendet *Virginis* eloquio. Quid dico cœlum? non tam cœlum quàm cœlorum incolæ; imò nec hi Angelici Spiritus ſolùm, ſed & ipſe cœlorum Architectus, Angelorum aliarúmque rerum admirandus Creator, ab unius puellæ dependet ore, unicum proferendum expectat Verbum, & quidem ſimile illi, quo à primis mundi incunabulis, maxima ſex dierum opera producendo uſus eſt: *Fiat lux, fiat firmamentum, fiant luminaria. Fiat, fiat*, inquam unicum admiranda SSS. Trias, ex libero Virginis arbitrio depromptum ſolicitè præſtolatur. N. 158. *Geneſ.* 1.

Interea ſtat Angelus illúdque unicum expectat *Fiat. At cur moras nectis Sanctiſſima Virgo? & ab Angeli cur turbaris eloquio? Reſponde verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant ac Superi, ipſe quoque omnium Rex & Dominus, quantùm concupivit decorem tuum tantùm deſiderat & reſponſionis aſſenſum; in quo nimirum propoſuit ſalvare mundum. Audiſti factum* (loquor cum eodem D. Bernardo hom. 4. ſuper Miſſus) *audiſti modum, utrumque mirum, utrumque jucundum, audiamus & nos reſponſum lætitiæ. Hoc enim ſupplicat à te ô pia Virgo flebilis Adam, cum miſera prole ſua, exul de paradiſo; hoc Abraham, hoc David, hoc cæteri flagitant Patres.* Dixit igitur Virgo Sanctiſſima, *Fiat*: illúdque ubi avidè præſtolanti dediſſet Angelo è veſtigio D. Bernardino teſte, *meruit fœcunditatem in Virginitate & maternitatem Filij DEI.* *D. Bernard.* *D. Bernardi.*

Cùm enim per quatuor annorum millia & amplius, volveretur in ſentina ſcelerum volubilis orbis, ad flagitia proniſſimus; ac deeſſet qui eundem firmatum *cruce* ſtabiliret, ſeu veriùs *corrigeret, ut non commoveretur in æternum*; imò cùm tenebræ Ægyptiacis deteriores, mentes affligerent humanas, nec adeſſet *ſplendor lucis æternæ*, qui ſub ingenti peccatorum mole exiſtentes ſuſpirantes animas illuſtraret; com- N. 159.

Sponſam deligere voluit lectiſſimam; ex qua unicum generis humani naſceretur ſolatium. Unde quemadmodum Abraham, ad peragendum illud legationis negotium, ſeniorem domûs ſuæ, ſeu ex ſervis aſſumpſit fideliſſimum: ità & increata Providentia è miniſtris ſuis qui indefeſsâ vigilantiâ aſſiſtunt ad thronum DEI, uni ex Angelis ſummis maximíſque cœli Principibus ſcilicet D. Gabrieli, in arcano SSS. Triados decretam concilio, demandavit legationem. Et meritò nam docente Magno Gregorio hom. ſuper Miſſus: *Non quilibet Angelus, ſed* *D. Gregorius.*
Gabriel Archangelus mitti debuit, ad hoc quippe miniſterium, ſummum Angelum venire dignum fuerat, qui ſummum omnium nuntiabat. Gabriel enim fortitudo DEI nominatur, per DEI ergo fortitudinem nuntiandus erat, qui virtutum Dominus & potens in prælio ad debellandas poteſtates aëreas veniebat.

Interea juſſa exequitur ſervus Abrahæ, tulítque decem camelos N.161.
de grege Domini ſui, & abijt, ex omnibus bonis ejus portans ſecum;
profectúſque perrexit in Meſopotamiam ad urbem Nachor. Et ecce iter *Geneſ. 24.*
dirigente Domino, convenit Rebeccam filiam Bathuel, divinitus à Deo deſtinatam in ſponſam Iſaaci, cujus integritatem, morum ſvavitatem, ac præſtantem in virtutibus progreſſum, vel ipſe his verbis ſacer atteſtatur Hiſtoricus: *Erat*, inquit ille, *puella decora nimis, Virgóque pulcherrima, ac incognita viro.* Sed cur laudando Rebeccam, idem alijs nonniſi pronuntiat verbis? nunquid non *Puella, Virgo, Viro incognita*, fermè ſunt ſynonyma? cur ergo ſuccinctus aliàs in laudando ſacer Hiſtoricus multiplicat verba? *Nonne ſuffecerat dicere Virgo* (ait doctiſſi- *Origenes.*
mus Origenes) *quid opus ergo erat dicere: & incognita viro?* nihilominus præclarè dubium hoc ſibimet propoſitum ſolvit, dum inquit: *Poteſt fieri, ut habeat quis in corpore virginitatem, & cognoſcens virum peſſimum diabolum, atque ab eo concupiſcentiæ jacula in corde ſuſcipiens, animæ perdiderit caſtitatem. Quia ergo Rebecca Virgo erat ſancta corpore, & ſpiritu, idcircò ejus duplicat laudem, & dicit, Virgo erat & incognita viro.* Pulchrum enimvero encomium eſt illud, quo Rebecca & mente & corpore caſta, mirè deprædicabatur. At ſi parva licet componere magnis; videamus amabò, & alterum legationis progreſſum, unáque Viraginem illam inclytam, quam æterna Majeſtas Spiritui Sancto in ſponſam aſſumere decreverat. Egreſſus eſt pariter Legatus Gabriel;

Digitized by Google

S. Bernard. briel, *ſed de Rege ad Reginam* (teſtante D. Bernardo) *de Imperatore ad Imperatricem, & eò fortè alacriùs cùm Angeli priùs haberent Regem, habituri eſſent & Reginam.* Egreſſus eſt, inquam Angelus, & venit in Nazareth, id eſt in *terram floridam*, ut ibidem *Florum Reginam Lilium inter ſpinas*, ſalutaret, eámque Divino deſponſatam Spiritui, in Matrem DEI præelectam in Filiam Patris adoptatam, totiúſque univerſi Reginam conſtitutam animitus propalaret: nam *quod natura non habuit* (ait D. Hieron. perbellè D. Hieronymus ſerm. de Aſſumpt.) *uſus neſcivit, ignoravit ratio, quod ſtupet terra, creatura omnis etiam Cœleſtis miratur, hoc totum per Gabrielem MARIÆ divinitùs nuntiatur.* Verùm, *Quæ eſt Virgo, tam ſublimis* (quærit ſolicitè D. Bernard. hom. 2. ſuper Miſſus) *ut ſalvetur ab Angelo? quæ eſt illa Virgo tam ſancta, ad quam Spiritus Sanctus venire dignatus eſt? quæ tam ſpecioſa quam Dominus elegit ſponſam? quæ tam caſta, ut poſſit eſſe Virgo poſt partum?* S. Bernard.

Pulchra ſanè erat Rebecca, utpote duplici caſtitatis decorata or-
N. 162. namento, at pulchriorem multò, imò mulierum pulcherrimam MARIAM fuiſſe neceſſe eſt, ut quam tantis Angelus affecit gratijs: Virginitatem ſanè ejus ſi ſpectes, quid obſecro Virgine hac caſtius eſt? ut quæ prima omnium inviolabili voto perpetuæ caſtitatis ſe ſe oſtrinxit: *Hæc enim Virgo* (verba ſunt S. Apoſtoli Bartholomæi lib. 8. apud Abdiam) *cùm execraretur omnem virum, ipſa ſervandæ virginitatis votum, prima DEO omnipotenti vovit, & prima quidem, quia ex quo homo factus eſt, ab initio ſæculi, nullus hoc votum DEO obtulit.* Præterea ſingularem ejus mentis puritatem, vel ex ipſis colligere licet verbis, dum ſpiritu turbata Angelo partum denuntiante, repoſuit illud: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* unde præclarè ùt aſſolet D. Gregorius Nyſſen. orat de Nat. Chriſti: *Audi pudicam Virginis vocem; Angelus partum nuntiat, at illa virginitati inhæret, & integritatem Angelicæ demonſtrationi anteponendam judicat.* Et licèt deſponſata priùs fuerit D. Joſepho: *Non tamen deſponſatio hæc* (ùt loquitur D. Ambroſius) *virginitatis fuit ereptio, ſed tantùm conjugij teſtificatio.* Fuit igitur Virgo Sanctiſſima deſponſata: *Ut omnem prorſus occaſionem* (teſte Divo Chryſoſt. hom. 4. in Matth.) *malignæ ſuſpicionis effugeret*; aut quemadmodum notat D. Hieronymus in cap. 1. Matth: *Per generationem Joſeph Origo Virginis demonſtraretur.*

S. Bartholo. apud Abd. — D. Gre. Nyſſ. — D. Ambroſ. — D. Chryſoſt. — D. Hieron.

Cùm

Digitized by Google

Cùm autem in omnibus legitimis contractibus, pactis & ſponſalijs, mutuus neceſſariò requiratur conſenſus, meritò uterque Legatus, utriuſque requiſivit Virginis conſenſum. Eliezèr certè ad fratres Rebeccæ introductus; nec panem priùs guſtare decreverat ſibi propoſitum; uſque dum à matre, fratribus, & Rebecca, deſideratum expreſſiſſet conſenſum; quem his verbis tandem etiam dederunt. *A Domino egreſſus eſt ſermo, non poſſumus extra placitum ejus quidquam aliud tecum loqui: en Rebecca coram te eſt, tolle eam & proficiſcere, & ſit uxor filij Domini tui. Tum prolatis vaſis argenteis & aureis, ac veſtibus, dedit ea Rebeccæ pro munere.* Pari ratione, magnus ille magnæ legationis Angelus, ubi ſalutationis atque aggratulationis deprompſiſſet verba, unicum & Virginis verbum, & unicum in Virginis verbo conſenſum, avidè expectabat. Ingreſſus enim in conclave Virginis, ubi divinum illud accinuiſſet: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum.* Ecce mox turbatam reddidit ex inaudita hac ſalutatione: *Turbata eſt*, inquit Euangeliſta, *in ſermone ejus, & cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio?* At felix turbatio, ſiquidem ex hac integerrimam ſe declaravit Virginem, ac Rebeccâ virgine longè præſtantiorem; nam ſi Ambroſio docente: *Trepidare Virginum eſt; & ad omnes viri ingreſſus pavere, omnéſque viri affatus vereri*; majoráne poterat turbata Virgo, pudicitiæ virginalis exhibere indicia? exhibuit ſanè ſe Virginem, ut quæ eo tempore, *præſtantiorem incorruptibilitatem*, juxta Angelicum Doctorem; *Gabrielis viſione anteponendam judicavit* Nihilominùs ubi verbis efficaciſſimis, virginitatem maternitati conjungendam, nitidè perſvaſiſſet dicendo: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*; ſeu ùt loquitur D. Irenæus: *Corpus in te humanitatis accipiet; incorporeum lumen divinitatis.* Mox feliciſſimum illum, quem Superi, Inferi, Angeli, Cœlum, Terra, ipſáque Omnipotens & SSS. Trias præſtolabatur, edidit conſenſum. His verbis accuratè expreſſum: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum*; hoc eſt, ùt doctiſſimè explanat melliſluus Bernardus hom. 4. ſuper Miſſus: *Fiat mihi de Verbo ſecundùm verbum tuum, VERBUM quod erat in principio apud DEUM, fiat caro de carne mea, ſecundùm verbum tuum. Fiat, obſecro, mihi verbum non prolatum quod tranſeat, ſed conceptum ut maneat, carne videlicet indutum, non aëre; fiat mihi non tantùm audibile auribus, ſed viſibile oculis, palpabile*

N. 163.

Geneſ. 2.

Lucæ. 1.

D. Ambroſ.

D. Thomas.

D. Irenæus.

Lucæ 1.

D. Bernar.

pabile manibus, geſtabile humeris; fiat non imaginariè ſomniatum, ſed ſilenter inſpiratum, perſonaliter incarnatum, corporaliter inviſceratum.

N. 164. Unde quemadmodum Eliezer, habito conſenſu Rebeccæ, mox aurea argenteáque protulit vaſa, ac donaria, quibus conſentientem ditavit; ità & Legatus Cœleſtium Gabriel, non tam vaſa aurea, quàm ipſum admirabilem vaſorum Artificem, omni cum gratiæ plenitudine, Virgini conſentienti promptiſſimè attulit: *Gabrielis enim vocem* (ait pulchrè ad propoſitum meum D. Andreas Cretenſis) *feminis vice ſuſſcepit, ac Filium genuit, quem Pater nòn ſevit.* Hinc adſtipulante & S. Proclo orat. de laud. Virg: *MARIA ancilla & Mater; horrendum Incarnationis textorium jugum extitit, in quo unionis illius tunica contexta eſt; adeò ut textor fuerit Spiritus Sanctus, netrix Virtus obumbrans ex alto, lana, antiquum Adami vellus, trama, impolluta Virginis caro, textorius radius, immenſa geſtantis gratia.* Præter Dominum, donaria inſuper propemodum infinita eam accepiſſe quis ambigat? nam non ſolùm admirandis duodecim prærogativis quaſi totidem lucidiſſimis ſtellis, ſanctiſſimus ejus vertex & cinctus fuit, & illuminatus; ſed & alia quàm plurima (quæ enarrat D. Bernardus) percepit. Nempe *Sancta Trinitas, Virginem ſibi ſanctificavit; Pater exhibuit potentiam, Filius ſapientiam, Spiritus Sanctus omnium virtutum gratiam;* adeò ut quaſi triplicis coronæ Regina; omniúmque cœleſtium poteſtatum Princeps ſit effecta. Obſtupeſcenda hæc in Virgine donaria perpendens D. Chryſoſtomus; meritò in hæc verba ſerm. infra Oct. Nativ. erupit: *Quidnam illa eſt ſanctius? Non Prophetæ, non Apoſtoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Seraphim, non Cherubim.* Nec abs re, ſiquidem ùt affirmat D. Hieronymus: *MARIÆ tota ſimul ſe infudit gratiæ plenitudo, quæ fuit in Chriſto JESU.*

S. Andr. Cret. *S. Proclus.* *S. Bernard.* *D. Chryſoſt.*

Peracto demum legationis negotio, uterque Legatus ad propria remeavit, Eliezer quidem ſecum deducens ſponſam Rebeccam, quam mater & fratres fauſtiſſimis proſecuti ſunt apprecationibus, dicentes: *Soror noſtra es, creſcas in mille millia, & poſſideat ſemen tuum portas inimicorum ſuorum;* ſeu ùt hebræus legit: *Conterat ſemen tuum capita inimicorum ſuorum.* Sanctus Gabriel verò, licèt cœlorum noviter electam Reginam, non ad ſupernas cœli deduxerit regiones, fecit tamen ut habendo in utero JESUM cœleſtes deguſtaverit abundè delicias. Hinc meri-

Geneſ. 24.

meritò totius univerſi incolæ, videntes tantum in utero Virginis prodigium, longè majori jure ei omnia proſperrima, iiſdem aggratulari poterant verbis, dicentes: *Soror noſtra es, creſcas in mille millia, & ſemen tuum conterat capita inimicorum ſuorum.* Quod & præclarè factum eſt, ſiquidem ob maternitatis prærogativam; antiqui illius ſerpentis, qui primus omnia ſupplantavit, virginali planta aſſiſtente Domino, caput contrivit, ac comminuit.

Quapropter cùm annuntiante Angelo, MARIA omnium mulierum pulcherrima, non tam facta ſit Angelorum, quàm & hominum Regina & Domina; applaudamus animitùs magnæ huic Virgini, illúdque identidem ex ſincero cordis affectu deprompto iteremus *Ave Maria, gratiâ plena*, & verò tanto noſtro id perficiemus cum commodo; ut Mater illa, quæ infinitam DEI miſericordiam, Divino obumbrante Spiritu in utero concepit; nonniſi miſericordiæ nobis exhibitura ſit viſcera: Nam *quoties cum reverentia dicimus Ave* (ait D. Bernardus hom. 4. ſuper Miſſus) *toties cœlum ridet, Angeli lætantur, dæmones fugiunt, infernus tremit*; ipſáque Virgo Sanctiſſima in omnibus neceſſitatibus, nobis promptiſſimè opitulatur. Satis ſupérque declarat id exemplum, quod in opuſculo ſuo 6. capite ultimo narrat D. Cæleſtinus Papa, his verbis: *Cuidam militi diabolus in ſpecie hominis ſervivit longo tempore, ita quòd ex conſilio ejus multa faciebat mala, ignorans quòd diabolus eſſet: hoc ſciens quidam Vir ſanctus, venit ad domum militis, & dixit diabolo; dic mihi, quare tanto tempore permanſiſti? qui reſpondit; quia mecum ducere illum cogitabam, ſed non potui ſolummodo propter unum Ave Maria, quod dicit in manè, & aliud in ſerò, unde illud de manè defendebat in die, & illud de ſerò in nocte. Et ſtatim hoc dicto diabolus evanuit, & ille liber remanſit.* Quare ſi duo Ave per diem recitata, tantum apud Virginem Sanctiſſimam valuêre, ut militem hunc à manifeſto eripuerint mortis diſcrimine; quid non ſæpius iterata, debita cum devotione efficient? Certè, *ex hac devota ſalutatione, ſtillabunt larga gratiarum ſtillicidia, ſupra terram cordis humani*, ait Richardus à S. Laurent. *Eja igitur Fratres chariſſimi* (verba ſunt ſancti Bernardi hom. 4. ſuper Miſſus) *ad imaginem ejus accedite, genua flectite, oſcula imprimite, Ave Maria dicite*, ac Redemptori noſtro, maximo cum affectu repetite, verba illa devotè cujuſdam Animæ:

N. 165. D. Bernard. S. Celeſt. Pa. Richard Lau. S. Bernard.

Benedico te CHRISTE, qui ex omnibus creaturis poſſibilibus MARIAM in Matrem tuam, ac Reginam noſtram ab æterno elegiſti.

In Feſto Viſitationis B. V. MARIÆ.

CONCIO V.

Virgo feſtinans ad benefaciendum. Richard. Victor.

ARGUMENTUM. *Cùm ex feſtino Virginis greſſu, quo abijt in montana cum feſtinatione, optimè agnoſcatur, ejus innata ad ſuccurrendum omnibus miſericordia & charitas. Oſtenditur ea ad exemplum Patris miſericordiarum, quandóque non rogata, beneficia conferre. Sicut enim quondam non invitata; feſtinabat ad Eliſabetham, ut eidem auxilium, Ioanni verò gratiam ſanctificantem, ab originali adferret; ſic etiamnum tantopere feſtinat miſeris in auxilium, ut ſubinde beneficentia ejus, ipſas quoque preces noſtras antevertat. Quod & ampliùs declaratur ex Sacra Scriptura, SS. Patrum teſtimonijs ac unico è multis authentico exemplo.*

Exurgens MARIA abijt in montana cum feſtinatione. *Lucæ c.* 1.

N. 166. *D. Ambroſ.* SI hortante D. Ambroſio lib. 1. offic. c. 8. *In ipſo motu geſtu & inceſſu tenenda eſt verecundia, maximè à Virginibus; eò quòd habitus mentis in corporis ſtatu cernatur.* *Lucæ* 1. Quomodo igitur D. Lucas Virginis peregrinationem deſcripturus, de ea aſſerere audet: *Exurgens MARIA abijt in montana cum feſtinatione?* & quidem MARIA *forma virtutis & verecundiæ?* *D. Ambroſ.* Siquidem eodem D. Ambroſio teſte lib. 2. de virgin: *Ipſa nihil in actu habuit inverecundum, non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior; ut ipſa corporis ſpecies figura fuerit probitatis.* Imò ſi D. Joanne Damaſceno perhibente

orat.

Digitized by Google

orat. 1. de Nativ. Virg: *Greſſus Virginis gravis & ſedatus erat, atque ab omni mollitie remiſſus, mores ſecuri & gravitate temperati; quomodo ergo feſtinare potuit in montana?* verbô, ſi ipſe Spiritus Sanctus, verecundum Virginis conſiderans inceſſum, mirabundus exclamavit Cantic. 7. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis*; & quidem non ſimpliciter *pulchri*, teſte Guilielmo Pariſienſi, ſed cum admiratione, *quàm pulchri*, inquit, *ſunt greſſus tui, quò excellens & ſingularis greſſuum ejus pulchritudo & modeſtia ſignatur*; quomodo denique exurgens abiit cum feſtinatione, cùm interim excellens prorſus & ſingularis greſſuum ejus fuerit pulchritudo & modeſtia? *S. Ioan. Dam.* *Cant. 7.* *Guil. Pariſ.*

Verùm quandoquidem ipſomet docente D. Ambroſio ſæpiùs feſtinatio etiam Virginibus non obeſt, maximè *ſi cauſa exigit alicujus periculi, vel juſta neceſſitas*; animadverto & hodiernam Virginis modeſtiſſimæ feſtinationem in montana, ejuſdem Virginis verecundiæ nè minimùm obfuiſſe. Nam quomodo non erat ei feſtinandum, etiam per montana, quæ partim virgineo ſuo in utero concluſum tenebat *Dilectum* ſuum, qui dicitur *ſaliens in montibus, tranſiliens colles?* Cant. 2. partim adimpleta erat gratiâ Spiritûs Sancti, de qua bellè D. Ambroſ: *Quo jam plena DEO Virgo, niſi cum feſtinatione, ad ſuperiora contenderet; neſcit enim tarda molimina Spiritûs Sancti gratia?* Præterea quomodo non exurgeret & feſtinaret publica in via, modeſtiſſima Virgo, quæ hactenus inter parietes ſe continere, & in abſcondito cum DEO & Angelis ſvaviter deliciari aſſveverat? *Feſtinavit ergo Virgo*, ait Cajetan. Card. *nè extra domum diu moraretur in publico.* N. 167. *D. Ambroſ.* *Cant. 2.* *D. Ambroſ.* *Cajet. Card.*

Demum quomodo non abiret cum feſtinatione MARIA, maximè cùm id cauſa periculi & juſta neceſſitas exegerit? Certè quia ab Angelo nuntiante intellexit cognatam ſuam Eliſabeth in ipſa ſenectute concepiſſe filium; mox à benedicto Fructu ventris ſui JESU, excitata tantopere fuit, ut moræ omnis impatiens exurrexerit, ac per præalta Judææ montana feſtinaverit ad ſuccurrendum, non ſolùm parienti Eliſabeth, ſed & cognato ſuo Joanni, qui matris clauſus in utero, originali etiamnum detinebatur in peccato. Bene proinde ait D. Bonav. in ſpec. lect. 4. *Quid MARIAM ad officium charitatis feſtinare cogebat, niſi charitas quæ in corde ejus fervebat; & quidem illa charitas, quæ noſtram induit naturam. Nam JESUS* (ait Origenes hom. 7. in Lucam) *qui* *D. Bonav.* *Origenes.*

Digitized by Google

qui in utero Virginis erat, Joannem adhuc in ventre matris poſitum ſanctificare feſtinabat.

Quare cùm feſtinatio B. Virginis in montana verè provenerit ex innata ejuſdem miſericordia & charitate, qua ſuccurrere voluit ſibi dilectis: oſtendam in præſenti, eam utpote *Matrem miſericordiæ* etiamnum ad exemplum miſericordiſſimi DEI ac *Patris miſericordiarum*; feſtinare ad elargiendum hominibus beneficia, iiſque quandoque non rogatam promptiſſimè venire in adjutorium.

N. 168. Quàm promptè & velociter *Pater miſericordiarum & DEUS totius conſolationis* omnibus omnino, etiam hoſtibus ingratiſſimis, innumera penè conferat beneficia, demonſtrat id D. Baſilius Seleucus orat. 11. ex eo, quòd ſæpe non requiſitus, aut invocatus hominibus ſuccurrat: *DEUS*, inquit, *non rogatus, non ſupplicatione invitatus beneficia confert.* Imò *ita benignum & amabilem ſe nobis exhibet* (ait orat. 19.) *ut etiam beneficentia ejus preces noſtras antevertat.* Hinc meritò ſponſa DEUM ſibi dilectum ob velocem hunc ſuccurrendi animum, aſſimilare auſa fuit ſalienti cervorum hinnulo: *Ecce iſte venit* (ait Cant. 2.) *ſaliens in montibus tranſiliens colles; ſimilis eſt Dilectus meus capreæ hinnulóque cervorum.* Et quidem quod bene obſervandum eſt; non comparavit eum leoni, aut alicui alteri animali velociter currenti; ſed cervorum hinnulo, qui velociſſimo curſu per ſaxa, rupes & montes fertur, nec ab eorum altitudine unquam retardatur. Huic igitur DEUM ſuum comparandum judicavit, eò quòd ſciret eum in beneficijs conferendis nec ab immani etiam peccatorum mole poſſe retardari. Unde bene D. Bruno in hunc locum ait: *Comparavit Sponſa Dilectum ſuum hinnulo cervorum, quia velox eſt ad præmia tardus ad ſupplicia inferenda.* Declarat id abundè vel unius urbis Jericho, devaſtatio, in qua ſeptem omnino dies inſumere voluit; cùm tamen univerſam mundi molem, cum omnibus mirabilibus, ſex nonniſi intra dies velociſſimè conſtruxerit.

2. Corinth. 1.
S. Baſil. Sel.
Cant. 2.
S. Bruno.

Nam antequam Jericho cum incolis, vaſtare & evertere vellet; hæc ſervo ſuo Joſue in mandatis dedit: *Ecce dedi in manu tua Jericho, & Regem ejus omnéſque viros fortes; circuite urbem, cuncti bellatores ſemel per diem; ſic facietis ſex diebus, ſeptimo autem die Sacerdotes tollant ſeptem buccinas, & clangant bis, cúmque vox tubæ inſonuerit, muri* *fun-*

Joſue 6.

Digitized by Google

funditus corruent civitatis. Fecit Joſue, quod ſibi imperaverat Dominus; ſex diebus cum omni circumivit milite, ſeptimo verò die, ubi Sacerdotes ſuis clangere cæperunt buccinis, mox corruerunt muri civitatis; omnéſque incolæ cum rebus ſuis, ceſſerunt Iſraëlitis in direptionem. Quod cùm attentiùs ponderâſſet D. Chryſoſt. meritò in hæc verba erupit, ſerm. 4. de Pœnit: *DEUS! mundum univerſum, ſex diebus conſtruis, & unam urbem ſeptem diebus diſſolvis?* Nonne intra unum diem, quid dico diem? intra unum momentum eos delere poteras, quemadmodum deleri ſolent tabulæ, & interim ſeptem inſumis dies? quos nec inſumpſiſti in creatione univerſorum? At reſpondet ſibi quàm aptiſſimè S. Præſul hom. 26. ſup. Matth. dicens: *Velox enim eſt DEUS conſtruens & tardè deſtruens, illud quidem fuit potentiæ, iſtud bonitatis.* Imò quàm velox ſit DEUS beneficia conferens, declaravit ipſemet dilecto ſibi Moyſi, dum ſe Aquilæ, velociter volanti comparare non dubitavit: *Hæc dices domui Iacob,* ait Exodi 19. *vos ipſi vidiſtis, quomodo portaverim vos ſuper alas aquilarum & aſſumpſerim mihi.* Quaſi diceret; quemadmodum aquila videns pullos ſuos in periculis conſtitutos, celerrimè advolat, eóſque non ùt aliæ volucres inter pedes collocat, ſed alis ſuis ſuperimponit, & aliò transfert, ſic & ego vos ſuper providentiæ meæ alas locatos, ex omnibus celerrimè eripui periculis.

D. Chryſoſt. — *D. Chryſoſt.* — *Exodi 19.*

Verùm ſi MARIÆ Virginis Sanctiſſimæ promptiſſimum omnibus ſuccurrendi animum paulò attentiùs conſiderem, adverto & ipſam cum maternitate DEI aſſumpſiſſe & hanc amabilem miſericordiæ divinæ proprietatem: *Nam ſicut alis utitur DEUS* (ait perbellè Novarinus) *ut ſuis opituletur, ſic alas ſumit Virgo in noſtri auxilium advolatura.* Apparet id ex hodierno Euangelio, ſiquidem vix Mater DEI facta, mox *exurgens abijt in montana cum feſtinatione*, ut cognatæ ſuæ Eliſabethæ auxilium, Joanni verò gratiam ſanctificantem per Filium DEI, quem gerebat in utero, conferret. Hinc D. Hieronymus eam non incongruè ob illam in montana feſtinationem aſſimilavit illi aquilæ, quam Propheta Ezechiel his verbis deſcripſit cap. 17. *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate, venit ad libanum, & tulit medullam Cedri, & eandem transportavit in terram Chanaan, in urbe negotiatorum poſuit illam.* Sic & Virgo Sanctiſſi- N. 169.

Novarinus. — *Luc. 1.* — *Ezech. 17.*

ctiſſima velut aquila grandis, duplici inſtructa alarum remigio, maternitate videlicet & virginitate, plena meritorum plumis, & varietate virtutum exornata, venit non tam ad Libanum quàm ad thronum uſque SSS. Triados, unde *medullam Cedri VERBUM æternum, Filium Altiſſimi* ſecundam SSS. Trinitatis Perſonam, virgineo ſuo in utero abſtulit, ac celerrimo volatu in urbem negotiatorum transportavit; ubi negotiatores induſtrij Zacharias & Eliſabetha gratiam DEI ſibi comparare aſſveverant; ut ipſe quoque Joannes, materno adhuc concluſus in utero, ab hac SSS. Trinitatis medulla, gratiam ſanctificantem ſibi redimere poſſet.

N.170. Quod & feliciſſimè peractum eſt: nam vix advenit, feſtinans Virgo in montana, vix Zachariæ domum ingreſſa eſt ſalutatura Eliſabetham; ecce mox præ gaudio exultavit infans Joannes in utero matris ſuæ, ſenſitque prior Matre gratiam Salvatoris ſui: *Vocem quidem prior Eliſabeth audivit* (ait D. Ambroſ.) *ſed gratiam prior Ioannes ſenſit*. Et quidem gratiam ejuſmodi, quæ eum D. Chryſoſt. teſte hom. 2. de Joan. non ſolùm liberavit ab originali, ſed etiam ſanctificavit; plenúmque reddidit Spiritu Sancto: nam *Vox ſalutationis*, ait ipſe, *per aures Matris ingrediens ad puerum deſcendit; cujus virtute Spiritum Sanctum recepit*; hoc dum menti meæ objicio, non abs re fecero, ſi D. Joannem infantulum adhuc, his verbis alloquar Euſebij Emiſſeni: *Dic nobis Ioannes infans, dic Prophetarum omnium maximè, qui pluſquam Propheta vocaris; unde tibi hæc exultatio? nondum natus es & prophetas? quidni prophetarem, & in utero exultarem*, reponeret mihi gratioſiſſimus hic infans: *Quia Matrem Domini mei cognoſco, quam quia reſalutare non poſſum, exultando ago quod poſſum.*

D. Ambroſ.

D. Chryſoſt.

Euſeb. Emiſſ.

Et non ſolùm grandis hæc meritorum aquila MARIA, diviniſſimam illam *medullam Cedri* Filium DEI poſuit in *urbe negotiatorum*; ſed etiam tranſportavit in terram Chanaan; id eſt in mundum univerſum, qui non aliter ac quondam Chanaan à DEO maledictioni ſubjectus erat: ut eundem tanquam verus diúque expectatus Salvator mundi, ab infernalibus negotiatoribus, qui eum per peccata hominum coëmerant, pretioſo ſuo ſangvine redimeret. Nam ùt bene Doctiſſ: Origenes: *Veniens Chriſtus redemit nos ſuo pretioſo ſanguine, cùm ſerviremus illi Domino, cui noſmetipſos peccando vendidimus.*

Origenes.

Præ-

Præterea quàm velox ſit in ſuccurrendo hæc Virgo ſacratiſſima; imò quanta cum feſtinatione, advolet omnibus in ſubſidium, colligere ſufficienter poſſumus vel ex ipſis encomijs, quibus eam celebrat ſacer Hiſtoricus. Si enim Cant. 5. Spiritus Sanctus eam nominare non dubitavit *pulchram ùt Lunam*; facilè ex hac ſimilitudine, promptum ejus omnibus benefaciendi animum cognoſcemus. Nam quemadmodum Luna inter omnes Planetas, celerrimè, id eſt intra unum nonniſi menſem lunarem, Zodiaci curſum abſolvit, ac orbi viciniſſima; majori in eum fertur influxu quàm Sol ipſe; ùt luculentè teſtatur peritiſſimus Medicorum Galenus lib. 3. dicens: *Terreſtrem Regionem meritò Luna gubernat, non potentiâ cæteros Planetas, ſed vicinitate ſuperans.* Ita & MARIA *pulchra ùt Luna*, poſtquam à Sole Juſtitiæ Filio ſuo dilectiſſimo, omne gratiarum lumen accepit, celerrimè prorſus, miſericordiæ ſuæ curſum, influendo in miſeros mortales abſolvit: pulchrè ſanè idipſum mihi confirmat Doct. Gregor. Venetus harm. 1. tom. 4. *Non abs re Lunæ aſſimilatur, Mater illa omnium gratiarum plena, quia ea quæ à ſupernis fontibus haurit, largitur inferioribus* Et quidni largiretur promptiſſimè, ſiquidem Filius DEI, cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, regnum ſuum quodammodo cum ea libentiſſimè diviſit. Nam ùt docet D. Thom. Aqu. in Præfat. Ep. Canon: *Deiparam dimidiam partem regni impetravit, ut ipſa ſit Regina miſericordiæ, cujus Filius eſt Rex Juſtitiæ.* N. 171. *Cant. 5.* *Galenus.* *Greg. Venet.* *D. Thomas.*

Inſuper ſi Virgo ſanctiſſima non ſolùm aſſimilata eſt Lunæ, ſed & hanc ſub pedibus gerit, prout eam vidit Apocalypticus Joannes, dicens de ea cap. 12. *Luna ſub pedibus ejus*; quàm celeres non faciet greſſus, dum ſupra Lunam prorſus volubilem conſiſtit? certè longè citiùs nobis adferet Chriſtum, cum deſiderata miſericordia, quàm ſi ipſe permaneret in Sole, *ubi poſuit tabernaculum ſuum*, illic enim poſitus greſſus ſolùm faceret, *ùt gigas ad currendam viam ſuam.* Pſal. 18. at in Virgine ſtante ſuper Lunam velociſſimè ad nos devolveretur. Hinc celerrimum ejus omnibus gratificandi animum; ac innumeros propè miſericordiæ perpendens effectus D. Bernard. hæc de ea in ſtupore mentis effatur: *Quis, ô benedicta, miſericordiæ tuæ longitudinem & latitudinem; ſublimitatem & profundum queat inveſtigare? nam longitudo ejus, uſque in diem noviſſimum invocantibus eam, ſubvenit univerſis; latitudo ejus re-* N. 172. *Apocal. 12.* *Pſal. 18.* *D. Bernard.*

plet orbem terrarum; ut tuâ quoque miſericordiâ plena ſit omnis terra. Sic & ſublimitas ejus civitatis ſupernæ invenit reſtaurationem, & profundum ejus, ſedentibus in tenebris, & umbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cœlum repletum, infernus evacuatus eſt, inſtaurata ruina cœleſtis Jeruſalem, expectantibus miſeris vita perdita data.

Quod quàm verum ſit, pervolvat quis duntaxat miraculoſa Virginis ſanctiſſimæ acta, quæ fide digni adnotârunt Hiſtorici, & manifeſtè deprehendet, eam ſolicitè ſemper in periculis conſtitutos, ad adjuvandum feſtinâſſe; maximè verò eos adjuviſſe, qui deſperatione propemodum abſorpti, jamjam in præceps ruebant: Acta, inquam Hiſtoricorum evolvat & videbit primùm eam plurimis extitiſſe, *Conſolatricem afflictorum*, dum coruſcante amœnitatis ſuæ fulgore, de cordibus eorum, tetras triſtitiæ abegit nebulas; videbit inſuper eam alijs fuiſſe *unicum moleſtiarum levamen*; dum varias eáſque moleſtas, ac ingraveſcentes corporis ægritudines momento propulſavit; captivos diuturnis vinculis conſtrictos liberavit, faméque ac pauperie preſſos liberaliter prorſus fovit ac refecit. Videbit demum, eandem plurimis fuiſſe *Inventricem gratiæ, Genitricem vitæ, Matrem ſalutis.* Dum ipſos in extremis conſtitutos celerrimè adjuvit, gratiam finalem impetravit, ac de faucibus inferni feliciſſimè eripuit. Hoc ut luculentiſſimo probem exemplo, audite quæ Purpuratus Præſul D. Petrus Damiani, cap. 2. de bono ſuffragiorum enarrat, his verbis:

D. Damaſc. — *S. Bernard.*

N.173. *D. Pet. Dam.* *Baſſus quidam Burgundio genere, Anicienſis Epiſcopus, Eccleſiam DEI Genitricis ſempérque Virginis, inſigni titulo decoratam, quæ vocatur in Podio, orationis gratiâ devotus adijt: & peractis orationibus, ac devotione completa, redire cœpit ad propria; cúmque veniſſet ad pagum quendam, in quo cella cujuſdam monaſterij, cujus me vocabulum fugit à Religioſis Fratribus incolebatur, languore correptus cecidit, ægrotavit, & obijt. Dehinc cùm jam totum atque ex more linteis obvolutum, in medio jaceret cadaver exanime, ac pia fidelium, circa feretrum cuſtodia pernoctaret, intempeſto jam ferè noctis, ac gallicinio appropinquante, qui mortuus jacebat, repentè proſilivit; & ſic omnes undique circumſtantes admirationis ſtupor, & intolerabilis horror invaſit; tunc ille rogare cœpit adſtantes, ut Pſalmodiæ, piîſque votis valenter inſiſterent, quatenus tetros nequitiæ ſpiritus, qui per angulos ac parietes domûs, undique videbantur, ſanctis oratio-*

tionibus effugarent, cúmque fuſis ad DEUM precibus, more fumi vento perflati dæmones evanuiſſent; ille terrore depoſito, & ſecuritatis animatus audaciâ, quod ſibi in occulto contigit, publicè coram omnibus enarravit. Egredienti, inquit mihi de corpore, duo protinus Angeli ſplendidæ claritatis occurrunt; qui me ſecum ducere in ſuperiora cœperunt; ſed ecce me nigrantes dæmonum turmæ, velut phalanges æthiopum undique circumfundunt, me tanquam ſui juris hominem, acri nimis ac importunâ vehementer exactione repoſcunt. Noſter inquiunt hic homo eſt, noſtris obtemperare legibus non omiſit, ſemper enim lex carnis illi invigilit: legem verò ſpiritûs funditùs ignoravit. At contra beati Angeli reſponderunt: Non, inquiunt, diffitemur verum fuiſſe, dum in proprijs viveret; ſed quia nunc in obſequio Reginæ cæleſtis Dominæ noſtræ defunctus eſt; nequaquam impietati veſtræ, pro vitæ ſuæ reatibus ſubjacebit; qui Genitricis DEI ſibi providit auxilium - - - Sed cùm hinc iſti, modeſta circa me tuitione contenderent; illi è diverſo ad repoſcendum ſui juris hominem, furioſiùs ac truculentiùs ebullirent: Ecce velut igneum fulgur, repentinus radiantis coruſci ſplendor illuxit, cunctíſque mirantibus cœlorum Regina Angelicis vallata reverenter obſequijs DEI Mater advenit; tunc improbi ſpiritus licèt terrerentur à tanta gloria, tamen illatam ſibi conqueruntur injuriam, dicentes: Quia ſi DEUS juſtus eſt, nunquam de manibus noſtris auferet impium. Immane enim & cruentum facinus perpetravit, quod nulli tamen unquam, per vocem confeſſionis innotuit - - Ad hæc Virgo me confeſtim intuens ait: ad corpus homo præſto regredere, ſcelus hoc quod tibi ab iniquis jure objicitur, Sacerdoti coram vicinæ hujus cellulæ Monachis confitere, eóſque ex meæ authoritatis juſſione depoſce, ut pœnitentiæ modum, qui tibi injunctus fuerit, ipſi ſuſcipiant, & implere pro tua, mox obeuntis abſolutione contendant; quo peracto mox ad me revertere; hìc enim ego non deſino te, donec redeas, expectare. Cúmque per ordinem hæc ille narrâſſet, ac pœnitentiam ſibi inditam ſancti Fratres, cùm pro charitate illius tum pro DEIparæ Virginis obedientia ſuſcepiſſent, mox lætus ac hilaris, velut obdormiens obijt. Exemplum hoc ubi menti meæ objicio & accuratiùs perpendo, bene cum eodem ſancto Præſule Virginem clementiſſimam alloqui libet: *Data eſt tibi ô Virgo omnis poteſtas in cœlo & in terra, & nihil tibi eſt impoſſibile, cùm poſſibile ſit etiam deſperatos in ſpem beatitudinis revelare.*

D. Pet. Dam. ſerm. 1. de Nat.

S 2 Deni-

plet orbem terrarum; ut tuâ quoque miſericordiâ plena ſit omnis terra. Sic & ſublimitas ejus civitatis ſupernæ invenit reſtaurationem, & profundum ejus, ſedentibus in tenebris, & umbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cœlum repletum, infernus evacuatus eſt, inſtaurata ruina cœleſtis Jeruſalem, expectantibus miſeris vita perdita data.

Quod quàm verum ſit, pervolvat quis duntaxat miraculoſa Virginis ſanctiſſimæ acta, quæ fide digni adnotârunt Hiſtorici, & manifeſtè deprehendet, eam ſolicitè ſemper in periculis conſtitutos, ad adjuvandum feſtinâſſe; maximè verò eos adjuviſſe, qui deſperatione propemodum abſorpti, jamjam in præceps ruebant: Acta, inquam Hiſtoricorum evolvat & videbit primùm eam plurimis extitiſſe, *Conſolatricem afflictorum*, dum coruſcante amœnitatis ſuæ fulgore, de cordibus eorum, tetras triſtitiæ abegit nebulas; videbit inſuper eam alijs
D. Damaſc. fuiſſe *unicum moleſtiarum levamen*; dum varias eáſque moleſtas, ac ingraveſcentes corporis ægritudines momento propulſavit; captivos diuturnis vinculis conſtrictos liberavit, faméque ac pauperie preſſos liberaliter prorſus fovit ac refecit. Videbit demum, eandem plurimis
S. Bernard. fuiſſe *Inventricem gratiæ, Genitricem vitæ, Matrem ſalutis*. Dum ipſos in extremis conſtitutos celerrimè adjuvit, gratiam finalem impetravit, ac de faucibus inferni feliciſſimè eripuit. Hoc ut luculentiſſimo probem exemplo, audite quæ Purpuratus Præſul D. Petrus Damiani, cap. 2. de bono ſuffragiorum enarrat, his verbis:

N.173. *Baſſus quidam Burgundio genere, Anicienſis Epiſcopus, Eccleſiam*
D. Pet. Dam. *DEI Genitricis ſempérque Virginis, inſigni titulo decoratam, quæ vocatur in Podio, orationis gratiâ devotus adijt: & peractis orationibus, ac devotione completa, redire cœpit ad propria; cúmque veniſſet ad pagum quendam, in quo cella cujuſdam monaſterij, cujus me vocabulum fugit à Religioſis Fratribus incolebatur, languore correptus cecidit, ægrotavit, & obijt. Dehinc cùm jam totum atque ex more linteis obvolutum, in medio jaceret cadaver exanime, ac pia fidelium, circa feretrum cuſtodia pernoctaret, intempeſto jam ferè noctis, ac gallicinio appropinquante, qui mortuus jacebat, repentè proſilivit; & ſic omnes undique circumſtantes admirationis ſtupor, & intolerabilis horror invaſit; tunc ille rogare cæpit adſtantes, ut Pſalmodiæ, piiſque votis valenter inſiſterent, quatenus tetros nequitiæ ſpiritus, qui per angulos ac parietes domûs, undique videbantur, ſanctis ora-*

tio-

tionibus effugarent, cúmque fuſis ad DEUM precibus, more fumi vento perflati dæmones evanuiſſent; ille terrore depoſito, & ſecuritatis animatus audaciâ, quod ſibi in occulto contigit, publicè coram omnibus enarravit. Egredienti inquit mihi de corpore, duo protinus Angeli ſplendidæ claritatis occurrunt; qui me ſecum ducere in ſuperiora cœperunt; ſed ecce me nigrantes dæmonum turmæ, velut phalanges æthiopum undique circumfundunt, me tanquam ſui juris hominem, acri nimis ac importunâ vehementer exactione repoſcunt. Noſter inquiunt hic homo eſt, noſtris obtemperare legibus non omiſit, ſemper enim lex carnis illi inviguit: legem verò ſpiritûs funditùs ignoravit. At contra beati Angeli reſponderunt: Non, inquiunt, diffitemur verum fuiſſe, dum in proprijs viveret; ſed quia nunc in obſequio Reginæ cæleſtis Dominæ noſtræ defunctus eſt; nequaquam impietati veſtræ, pro vitæ ſuæ reatibus ſubjacebit; qui Genitricis DEI ſibi providit auxilium --- Sed cùm hinc iſti, modeſta circa me tuitione contenderent; illi è diverſo ad repoſcendum ſui juris hominem, furioſiùs ac truculentiùs ebullirent.: Ecce velut igneum fulgur, repentinus radiantis coruſci ſplendor illuxit, cunctiſque mirantibus cœlorum Regina Angelicis vallata reverenter obſequijs DEI Mater advenit; tunc improbi ſpiritus licèt terrerentur à tanta gloria, tamen illatam ſibi conqueruntur injuriam, dicentes: Quia ſi DEUS juſtus eſt, nunquam de manibus noſtris auferet impium. Immane enim & cruentum facinus perpetravit, quod nulli tamen unquam, per vocem confeſſionis innotuit -- Ad hæc Virgo me confeſtim intuens ait: ad corpus homo præſto regredere, ſcelus hoc quod tibi ab iniquis jure objicitur, Sacerdoti coram vicinæ hujus cellulæ Monachis confitere, eóſque ex meæ authoritatis juſſione depoſce, ut pœnitentiæ modum, qui tibi injunctus fuerit, ipſi ſuſcipiant, & implere pro tua, mox obeuntis abſolutione contendant; quo peracto mox ad me revertere; hìc enim ego non deſino te, donec redeas, expectare. Cúmque per ordinem hæc ille narrâſſet, ac pœnitentiam ſibi inditam ſancti Fratres, cùm pro charitate illius tum pro DEIparæ Virginis obedientia ſuſcepiſſent, mox lætus ac hilaris, velut obdormiens obijt. Exemplum hoc ubi menti meæ objicio & accuratiùs perpendo, bene cum eodem ſancto Præſule Virginem clementiſſimam alloqui libet: *Data eſt tibi ô Virgo omnis poteſtas in cœlo & in terra, & nihil tibi eſt impoſſibile, cùm poſſibile ſit etiam deſperatos in ſpem beatitudinis revelare.* *D. Pet. Dam. ſerm. 1. de Nat.*

N. 174. Denique quàm celeriter Virgo opitulari ſoleat miſeris, colligere licebit, vel ex illo Syracidæ dicto, Eccli 24. *Thronus meus in columna nubis*. Nam ſicut nubes velociter volare; terram imbribus irrigare, ac viatores ab æſtu Solis defendere aſſveverunt, ita aſſolet & Virgo benigniſſima, velut nubes denſa, irrigare arida mortalium corda, & interpoſitione ſua protegere peccatores, nè à juſto iraſcentis Solis Juſtitiæ ardore ob commiſſa ſcelera conſumantur: *Hæc enim eſt* (ait D. Bonaventura ſerm. 2. de Aſſum.) *quæ nos protegit ab ira Filij DEI, qui eſt Sol Juſtitiæ. Hæc eſt vera illa nubes cœleſtis* (ait etiam D. Epiphan. orat. de laud. Virg.) *quæ imbrem Spiritûs Sancti in univerſam terram ad producendum Fidelibus fructum cum impetu dimittit.*

Eccli. 24. *D. Bonav.* *D. Epiphan.*

Cùm igitur exurgens MARIA abiverit *cum feſtinatione in montana* propter dilectum ſibi Joannem, ut à peccato originali liberatus Spiritu Sancto adimpleretur; imò cùm defactò velut Luna & velut nubes velociſſimè in noſtrum feratur auxilium: *Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus veneremur hanc Virginem*; ut & ejus in omnibus periculis & neceſſitatibus experiamur potentiam, quâ ab hoſtium celerrimè eruamur inſidijs. Fieri enim vix poterit, ut ejus patiamur repulſam, *quæ dimidiam partem regni DEI impetravit, ut ipſa ſit Regina miſericordiæ, cujus Filius eſt Rex Juſtitiæ.*

D. Bernard. *D. Thomas.*

In Feſto Purificationis B. V. MARIÆ.

CONCIO VI.

Virgo primam Hoſtiam DEO litans.

ARGUMENTUM. *MARIAM puriſſimam in Purificatione ſua ultroneè ſuſcepta, offerentem DEO Patri Filium ſuum Unigenitum, elucido per Annam devotam, magni Prophetæ Samuelis matrem. Unde quemadmodum ipſa virtutibus ornata, mox DEO cum muneribus obtulit Filium ſuum primogenitum, & ob id benedictiooe & fæcunditate do-*

donam eſt: ita & Virgo ſanctiſſima omnium virtutum genere conſpicua, Primogenitum ſuum ac Unigenitum, Patri æterno, lubens ac volens obtulit, ac ob id novam accepit benedictionem, veréque Mater viventium effecta eſt. Cujus materna viſcera, etiamnum miſeri experimur mortales.

Tulerunt illum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino. *Lucæ 2.*

ERgóne *Mater puriſſima* Moſaicæ ſubjacebit Legi? illa, quæ *concepit de Spiritu Sancto*, tanquam maculata, purificationis tenebitur præcepto? illa, quæ propter eximiam puritatem, ac excellentem præſtantiam à D. Hieronymo appellatur *Templum corporis Chriſti*; ab Ambroſio *Templum corporale Domini*; ab Auguſtino *Templum pudoris*; à Bernardo *Templum Virginitatis*; à Cyrillo Alex: *Templum indiſſolubile*; immundæ mulieris inſtar, per integram dierum quadragenam, ab ingreſſu templi arcebitur? Animadverto enim *Matrem pulchræ dilectionis*, impletis nonniſi diebus purgationis, aliarum puerperarum more ſe conferre in templum, intueor eam chariſſimo ſtipatam Sponſo virgineis deferre brachijs, magnum illud cœli, ſolíque delicium, generis humani lytrum; unigenitum ſuum JESUM; qui ibidem offerendus ſiſtatur ſuo æterno Patri. N. 175. SS. PP. Eccli. 24.

Verùm quid tibi & Legi ô immaculata DEI Mater? cùm hæc nonniſi eas concernat fæminas, quæ *virili* (teſtante Moyſe Levit. c. 12.) *ſuſcepto ſemine pepererunt maſculum*, téque veluti exlegem omnino abſolvat? *Nam non omnis mulier pariens* (ait perbellè Venerabilis Beda) *deſignatur immunda; ſed ea, quæ ſuſcepto ſemine peperit, ritúque Legis docetur mundanda, ad diſtinctionem ſcilicet illius, quæ Virgo concepit, & Virgo peperit.* Meritò proinde illud uſurpare poteras D. Bern: *Cur non ingrediar templum, quæ peperi Dominum templi? nihil in hoc conceptu, nihil in hoc partu impurum fuit. Quid me legalis obſervatio purificet, quæ puriſſima facta ſum ipſo partu immaculata?* Nihilominus tamen non obſtante ejuſmodi maternitatis privilegio, eximi non voluit à Lege Virgo puriſſima, ſed aliarum parientium more dies purificationis explevit, ut ſic admirandum illud Incarnationis myſterium poteſtatibus tenebra- Levit. 12. S. Bernard.

 rum

S. Ignatius Antioch. rum celaret. Nam quemadmodum Redemptor noſter, *non de ſimplici Virgine, ſed de deſponſata voluit naſci*; *ut partus ejus* (teſte D. Ignatio Antioch.) *celaretur diabolo, dum eum putat non de Virgine, ſed de uxore generatum*; ità voluit & hæc eadem Virgo, omnis omninò labis expers, Legi purificationis ſubjici, quaſi egens luſtrationis, ut ſuperba ſtygij veteratoris acies, ad tam raræ jubar virtutis & incredibile ſubmiſſionis exemplum caligaret. Deinde ſicuti Chriſtus in circumciſione, non erubuit peccatoribus annumerari; ità & Virgo ſanctiſſima non abnuit peccatoribus aſſociari, ut nobis per hoc ad obſervandum accuratè Leges divinas, exemplo factóque præluceret. Ita præclarè ait D. Bernar. ſerm. 7. de Parvul: *Chriſtus circumciditur, Maria purificatur, præbentes exemplum pœnitentibus, ut à vitiis continentes, primùm per ipſam continentiam circumcidantur, deinde à commiſſis per pœnitentiam purificentur.* D. Bernard.

Quare operæ pretium me facturum eſſe exiſtimo; ſi hodiernum Virginis intemeratæ proceſſum, ac ſanctiſſimam Filij in templo oblationem prolixiùs enarravero, eámque in Anna devota, Samuelem ſuum DEO offerente adumbratam in medium produxero, quod dum facio, vos animo affectúque veſtro idem templum accedite, ac Virgini ſanctiſſimæ primam infinitè ſanctam DEO Hoſtiam litanti aſſiſtite, ac ſinceris eam proſequamini affectibus.

N. 176. Priuſquam gratioſa hæc mulier Anna, magnum in utero concipere ac parere mereretur Prophetam Samuelem; præclariſſimis priùs in virtutibus ſeſe exercere debuit, ſuámque Animam, varijs gratiarum habitibus exornatam reddere capacem; in quam DEUS poſtmodum admirandam benedictionis ſuæ transfunderet fæcunditatem. Et certè quàm præclarè in ardua hac virtutum palæſtra profecerit Anna, vel inde patet, quòd *mulierem fortem* ad amuſſim expreſſerit; ſiquidem & *lumbos ſuos præcinxit fortitudine*, quaſvis tolerando injurias & *roboravit brachium ſuum*, in conſtanti ad DEUM prece, & *manum ſuam aperuit inopi*, varia patrando opera miſericordiæ; *& legem clementiæ ſervavit in lingua ſua*, modeſtè ac manſvetè omnibus reſpondendo. Unde ejus eximiam in DEUM fiduciam manifeſtat S. Chryſoſt: ſuper illa verba: *Vultus illius non ſunt ampliùs in diverſa mutati*, dicens: *Vides mulieris fidem, priuſquam acciperet, quod poſtulaverat, perinde confiſa eſt, quaſi* Prov. 31. 1. Reg. 1. D. Chryſoſt.

quaſi jam accepiſſet; ſic conſtantem ejus in oratione animum, ac aſſiduam mentis vigilantiam, idem deprædicat hom. 2. de Anna: *Genuina* (inquit) *virtus hujus fœminæ hic comprobatur in precibus ſcilicet aſſiduitas, & animi vigilantia; aſſiduitas quidem cùm dicitur, multiplicavit preces, animi autem vigilantia, cùm dicitur coram Domino.* Similiter perſeverantiam in bene cæptis dilaudat Magnus Gregorius lib. 30. moral. c. 21. *Mens ejus* (inquit ille) *nequaquam illud poſt preces ineptâ lætitiâ laſciviendo perdidit: quod orationis ſuæ tempore, gemituum rigore acquiſivit.* Eximijs igitur decorata fuit virtutibus illuſtris Anna, ac propter ſingularem vitæ probitatem, animi candorem, morum ſvavitatem, meritò in lucem edere meruit, magnum illum & Populi Iſraëlitici Judicem & Regum Dictatorem; Prophetam Samuelem.

D. Chryſoſt.

D. Gregorius.

N. 177.

Quare ſi umbra alicujus corporis tantis exornata eſt gratijs, quantis non ipſum corpus, pulchritudinum donis præditum eſſe, neceſſe eſt? Et quidem ſi gratioſa hæc mulier tantis coruſcat virtutum igniculis, quantis non fulgurare oportet ignibus, Virginem *gratiâ plenam? Cui tota ſimul* (D. Hieronymo teſte) *ſeſe infudit gratiæ plenitudo? Cui nemo eſt æqualis* (teſtante Idiota) *nemo major niſi ſolus DEUS; Cui communicata eſt* (verba ſunt S. Ambroſij) *Sanctitas infinita.* Idcirco pulchrè etiam de ipſa ait D. Bernardus ſerm. 4. ſuper Salve Regina: *Nihil eſt virtutis, quod non ex ipſa reſplendeat, & quicquam ſinguli habuêre Sancti, hæc ſola poſſedit*; adeò ut in ipſa fulſerit innocentia Abelis, radiaverit fides Abrahami, eminuerit obedientia Iſaaci, reſplenduerit manſvetudo Moyſis, effulſerit denique humilitas Ruthæ, virginitas Sunamitidis, fortitudo Judithæ. Certè de humilitate ipſius affirmat ſancta Mechtildis lib. 1. revelat: *Prima virtus, in qua Virgo nata, & infans ſe ſingulariter exercuit, fuit humilitas.* Puritatem commendat S. Ildefonſus ſerm. 5. de Aſſumpt: *MARIA optimam partem elegit, prima enim omnium fœminarum DEO virginitatem obtulit.* Modeſtiam ac pudorem virgineum deprædicat Euſebius Emiſſen. ſerm. de Anna: *Non in plateis erat, non in publicò morabatur, intus erat, ſola ſedebat, nec tamen ſola, tanto virtutum exercitu circumſcripta.* Cæteras virtutes, quodam quaſi verborum compendio, ſic enumerat D. Ambroſius lib. 2. de Virg: *Fuit corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi ſtudioſior, non incerto divitiarum, ſed in prece pauperis ſpem reponens.*

D. Hieron.
D. Idiota.
D. Ambroſ.
D. Bernar.
S. Mechtild.
S. Ildefonſus.
Euſeb. Emiſ.
D. Ambroſ.

Digitized by Google

nens. Unde quemadmodum inſignes Annæ virtutes effecerunt, ut tot votis expetitus ei naſceretur Samuel, ita & Mariana excellentiſſimarum virtutum decora; unicum æterni Patris Filium, è cœlo in ſolum, è throno majeſtatis in uterum Virginis, ſvaviter ac fortiter detraxerunt.
D. Chryſoſt. Confirmant enim id diſertè DD. Chryſoſtomus & Hieronymus, quorum prior ſerm. in Domini Hypapante ait: *Beata MARIA ultra omnem humanæ naturæ modum, modeſtiam & temperantiam, aliáſque virtutes excoluit, ac ob id univerſorum Dominum in utero geſtare meruit.* Alter
D. Hieron. verò Epiſt. 22. ad Euſtoch. inquit: *Beatiſſima MARIA tantæ extitit puritatis, ut Mater Domini eſſe mereretur.*

N. 178. His virtutum donis, utraque gratioſa decorata Mater, peperit Filium ſuum primogenitum, ac utraque DEO devota, eundem obtulit;
1. Reg. 1. Anna ſanè ubi Samuelem ſuum ablactavit, Scripturâ teſte 1. Reg. 1. *Adduxit eum ſecum, in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ, & amphora vini, & adduxit eum ad domum Domini in Silo, & immolaverunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli, & adoraverunt ibi Dominum.* Seu
D. Chryſoſt. ùt pulchrè ait D. Chryſoſt. hom. 2. de Anna: *Aſcendit in templum, & agnellum induxit in ovile; vitulum perduxit ad armentum, & ad pratum roſam à ſpinis liberam;* roſam inquam, quæ nunquam marceſcit, ſed floret perpetuò. Imò Filium ſuum tanquam tenerrimum agniculum, non tam DEO obtulit, in ſvavitatem odoris, quàm potiùs in ſvavitatem guſtûs; juxta illud purpurati Præſulis D. Petri Dam. ep. 16. *Samuel*
D. Pet. Dam. *puerulus tanquam tener agniculus, cum tribus farinæ modiis & amphora vini, menſæ Domini, ut ita loquar, apponitur.* MARIA verò unigenitum ſuum JESUM, defunctâ ſolenni quadraginta dierum puerperie, detulit in Jeruſalem, & non ſolùm ipſa eundem in primam hoſtiam DEO omnipotenti obtulit; ſed ipſe quoque JESUS juxta illud Mala-
Malach. 3. chiæ 3. *Et ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator;* ſeipſum Patri æterno in pretioſiſſimum generis humani lytrum dedicavit. Propterea hanc oblationem inſolitam perpendens D. Cyrillus Alexand: bene
D. Cyrill. Al. exclamat: *O profunditas ſcientiarum ſapientiæ & ſcientiæ Domini! offert hoſtias, qui per ſingulas hoſtias honoratur cum Patre: figuras Legis cuſtodit veritas qui Legis eſt Conditor, ſicut DEUS, Legem cuſtodit ùt homo.* Interea nequaquam vacua comparuit coram Domino Virgo ſanctiſſima, ſed pro redimendo Dilectiſſimo non quidem obtulit agnum

agnum conſvetum; tum quia agnum in Chriſto offerebat evangelicum & myſticum, tum quia paupertatis erat ſtudioſa; ſed Luca teſte: *Obtulit par turturum aut duos pullos columbarum*; nec immeritò, ſiquidem ùt docet Venerabilis Bedà: *Cùm columba ſimplicitatis & caſtitatis amator eſt turtur, conſulto Domino offeruntur, quia ſimplex & pudica fidelium converſatio eſt illiùs juſtitiæ gratum ſacrificium.* *Luca 2.* *Ven. Beda.*

Peracta oblatione, ùt ſacri memorant annales Regum lib. 1. c. 2. *Benedixit* Summus Iſraëlis Pontifex Heli *Elcanæ & uxori ejus Annæ, dixitque ei, reddet tibi Dominus ſemen de muliere hac pro fœnore, quod commendâſti Domino.* Quod & factum, nam illa quæ erat ſterilis, non quidem ob meritum Sacerdotis, ſed ob virtutes proprias effecta eſt plurium, & quæ, Mendoza teſte, propemodum erat octogenaria, quinas feliciſſimè enixa eſt proles: Nam *viſitavit Dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios & duas filias.* Præclarè proinde ait D. Hipponenſium Præſul magnus Auguſtinus: *Heli Sacerdos Annam benedixit, & conſequutus eſt effectus, non utique meritò Sacerdotis, ſed ipſius Annæ cujus mundum cor inſpexit DEUS.* N. 179. *1. Reg. 2.* *D. Auguſti.*

Quid nunc enarrem largam illam benedictionem, qua optimus ſenex Simeon, ſeu potiùs in Simeone æternus Pater, filiam ſuam, ab omni ævo prælectam, gratioſiſſimè affecit? cùm conſtet ex D. Bernardo, eam *tanquam Matrem, novam accepiſſe benedictionem, & per illam antiquam mulierum excluſam fuiſſe maledictionem?* Certè quemadmodum Anna ex oblatione unius filij, facta eſt mater plurium; ità & Virgo ſanctiſſima ex oblatione tanti Filij evaſit Mater, non trium, ſed infinitorum propè Filiorum; & verè *Mater viventium.* Adeò ut illam quoque DEUS fecerit Matrem omnium rerum creatarum. Ità non me ſed D. Anſelmum perorantem audite: *Qui potuit omnia de nihilo facere, noluit ea violata ſinè matre reſiſtere; DEUS eſt Pater rerum creatarum, MARIA eſt Mater rerum creatarum; DEUS eſt Pater conſtitutionis omnium, & MARIA eſt Mater reſtitutionis omnium.* Hinc meritò & ipſa ex Prov. c. 8. dicere poterat: *Quando præparabat cœlos aderam, quando certa lege & gyro vallabat abyſſos, quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens,* ſeu ùt hebræus legit, *Ego eram prope ipſum ſicut nutrix.* *D. Bernar.* *D. Anſelm.* *Prov. 8.*

Digitized by Google

N.180. Origenes. Cùm igitur docente Origene, *Omnis verè Chriſtianus ſit filius MARIÆ;* felices eos, iterúmque felices eos dixerim, qui magnæ hujus Matris obſequentes filij ſunt & Sodales parthenij, quid enim ab hac Matre miſericordiarum non impetrabunt filij? hæc enim eſt, quæ omnibus præbet ſua ubera pietatis, omnibus exhibet viſcera charitatis, omnibus etiam peccatoribus pandit ſinum clementiæ, ac pro his non ſemel, ſed ſemper maternis perorat affectibus. Unde bene S. Germanus Patriarcha Conſtant. hom. de zona Virginis ait: *Quis ô Mater poſt tuum Filium curam gerit generis humani ſicut tu? quis ita nos defendit in noſtris afflictionibus? quis in ſupplicationibus adeò pugnat pro peccatore ſicut tu?* Jlla profectò eſt, *de cujus plenitudine* (juxta D. Bernardum) *accipiunt univerſi*; illa eſt, quæ (juxta D. Fulgentium) *omnibus ad ſe confugientibus ſubvenit*; illa eſt, quæ (juxta Arnoldum Carnot.) *dum Chriſtus Patri oſtentat latus & vulnera, ipſa exhibet pectus & ubera, & facit, ut per clementiæ monumenta, ac pietatis inſignia nulla detur repulſa. O Matrem igitur amabilem! ô Matrem miſericordiæ!* libet exclamare verbis ipſiuſmet Chriſti Domini ad D. Brigittam lib. 8. revelat. c. 12. *Quæ propter compaſſionem* (adderem ego propter Purificationem) *& charitatem facta eſt Mater omnium in cœlis & in terris.* Et quidem Mater hujuſcemodi, quæ omnibus omnia facta eſt, ſapientibus & inſipientibus, ſe copioſiſſima charitate fecit debitricem. *Ex ſinu enim ejus miſericordiæ captivus accipit redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam.*

S. Germanus. S. Bernardus. S. Fulgent. Arnold. Carn. Revelat. S. Brig. D. Bernard.

N.181. Quod quàm verum ſit, & quàm multi amabilis hujus Matris, miſericordem ſinum experti ſunt, cognoſcere licebit, vel ex unico hoc adjecto exemplo, quod recenſet Speculum Exemplorum his verbis: *Matrona quædam, DEI Genitrici impensè addicta, filios inſtruebat, ut eandem in ſuis neceſſitatibus invocarent, recitando Ave Maria. Hujus filia ſatis erat diſſoluta, vagabunda & ſaltatrix, ac fruſtra à matre ſæpius eſt correpta; nam pater eam diligebat præ cæteris filiis, quòd pulchra eſſet & mundana, emitque ei veſtes pompoſas. Huic aliquando choræis feſſæ, & in pomario quieſcenti, apparuit diabolus dicens: Surge, veni mecum! cui illa: quiſnam es tu? & ille: ego ſum diabolus, cujus propoſitum conaris implere, arma & rete noſtrum ad animas capiendas. Quare modò recipies pœnam non tantùm pro peccatis tuis, ſed etiam pro peccatis omnium,*

Spec. Exem.

tium, quos per ornatum corporis tui ad malas concupiſcentias induxiſti; hoc dicto eam dæmon nitebatur violenter rapere, aſt illa ex inſtitutione matris clamavit, dicens: Virgo MARIA adjuva me, monſtra te eſſe Matrem; & ſtatim clara voce dixit Ave MARIA. Reſpondit dæmon: maledicta ſit, quæ hanc orationem te docuit, quam ſi non dixiſſes, ad inferni incendium te traxiſſem, ubi cum tuis æqualibus pœnam condignam pro omnibus, quos ad peccandum traxiſti inveniſſes hæc nunquam ampliùs impoſterum chorizavit, & veſtes pomposas depoſuit, vitam & mores humiliter emendavit & Beatiſſimæ Virgini ampliùs uſque ad mortem ſervivit.

Quare cùm propter nos, noſtríque ſimiles, ùt loquitur D. Anſelmus, MARIA facta eſt noſtra Mater; ſupereſt, ut cùm illam exoramus ac dicimus, *monſtra te eſſe Matrem*, nos è converſo monſtremus nos eſſe filios, ac operam omnem impendamus, nè ſimus filij omnino degeneres. *Cave* (inquit graviter Gverricus Abbas ſerm. 3. de Annunt.) *nè MARIAM pœniteat te concepiſſe, ſicut Rebeccam pœnituit, cùm ajebat, ſi ſic mihi futurum erat, quid neceſſe erat concipere?* Unde ſubjicit idem: *Si de aliquo noſtrum ſic conqueri contigerit viſcera Matris noſtræ, timeo ne meliùs fuiſſet, ſi homo iſte conceptus non fuiſſet.* At quinam ſunt illi, qui quatiunt tantæ Matris viſcera? quinam ſunt hi filij degeneres? Elati imprimis ſunt, qui maternam humilitatem non æmulantur; deinde incontinentes, qui Matris hujus intemeratæ caſtitatem, dum non ſectantur, de illius ſibi materno patrocinio inaniter blandiuntur. Quapropter ne & in nobis aliquis reperiatur qui depravati filij inſtar, excruciet viſcera Matris hujus amabilis, conferat ſe obſecro in Eccleſiam & Virginis Sanctiſſimæ ad exemplum, expiatis ac perpurgatis ſceleribus offerat animam ſuam DEO omnipotenti, inflammet eam Divino Amore, & dignus habebitur, qui ut Filius bonus dicat: *Monſtra te eſſe Matrem.*

Guerr. Abb.

Digitized by Google

In Feſto Aſſumptionis B. V. MARIÆ.

CONCIO VII.

MARIA Regina Cœleſtium, Terreſtrium, & Infernorum conſtituta. D. Bonaventura.

ARGUMENTUM. *Glorioſiſſimam Virginis MARIÆ Aſſumptionem, quâ in Reginam Angelorum & hominum, inaugurata eſt, explicare placuit, per auſpicatam Eſtheris in Reginam ab Aſſuero Rege, adoptationem; Unde ſicut ipſa repudiatâ Reginâ Vaſthi, ſolium regale conſcendere meruit, quia pulchra, manſueta & humilis erat; ita & Virgo Sanctiſſima ob eaſdem virtutes à DEO, rejectâ Evâ, in Reginam Cœli aſſumpta eſt*: Cùm enim inter omnes inventa ſit humillima: S. Brigitta. *ait D. Brigitta*, ideo ſuper omnia quæ creata ſunt, facta eſt ſublimiſſima. *Poſtea ſicut Aſſuerus in gratiam coronatæ Eſther, dona largitus eſt juxta magnificentiam principalem; ita DEUS optimus in gratiam ſuæ aſſumptæ Cœlorum Reginæ, largitur etiamnum dona mortalibus innumera; quod SS. PP. teſtimoniis, ac unico exemplo ſufficienter probatur.*

MARIA optimam partem elegit. *Lucæ c.* 10.

N. 182. *Pſal.* 23. A*Ttollite! attollite portas Principes veſtras, & elevamini portæ æternales & introibit* Regina *gloriæ*! attollite, inquam, portas veſtras, feliciſſimi cœlorum Proceres, Cuſtodes cœleſtis Sion vigilantiſſimi, exactiſſimi Divinæ SSS. Triados obſervatores, beatiſſimi Angeli. Adeſt Virago illa, quam intueri deſideraverunt Patriarchæ, quam præconijs celebraverunt Prophetæ, quam orbis ſuſpexerat univerſus. *Cant.* 8. Nunc etenim *aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum*, Cant. 8. Progreditur *quaſi aurora conſurgens, pul-*

chra

chra ùt Luna, electa ùt Sol, terribilis ùt caſtrorum acies ordinata. Procedit inſuper *ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & univerſi pulveris pigmentarij.* Cant. 3. Reſerate igitur cœlorum januas, adaperite portas novæ ac ſanctæ civitatis Jeruſalem; adeſt longè meliori titulo quàm Eva, *Mater viventium, Mater pulchræ dilectionis*; adeſt *Paradiſus voluptatis,* quæ verum in utero ſuo continuit lignum vitæ; adeſt *Rubus* ille *ardens* virginitatis, ſed *incombuſtus*; adeſt denique Regina veſtra, quam æternus Pater, jam inde à ſæculis in filiam adoptavit; Filius in Matrem elegit, Spiritus Sanctus ùt ſponſam adamavit. *Cant. 3.*

Nec mora reſerantur Januæ attolluntur Portæ, & quâ datâ portâ effundunt ſeſe exultantes Cœlites, Virgini occurrunt tripudiantes Angelorum Chori, procedunt læto agmine venerandi Patriarchæ; feſtivo ordine progrediuntur Prophetæ, tripudiantes denique, Stephano Proto-Martyre Duce in occurſum properant, novellæ Chriſtianorum cohortes: quam ubi innixam ſuper dilectum ſuum, maxima radiantem luce conſpexerunt obvij Cœlites; è veſtigio ardentem illius in DEUM charitatem obſtupuère ferventiſſimi Seraphim, admirantes ſe ex unico Virginis intuitu, magìs magíſque ad amandum DEUM optimum incitari inflammaríque. Admirati ſunt præterea eam divini Cherubim, conſiderantes profundum intellectum, raram ſapientiam Dominæ ſuæ, quam impoſterum habituri eſſent in cœlis Magiſtram. Omnes denique *Curiæ cœleſtis Principes* (ùt enarrat D. Bernardus ſer. de Aſſumpt.) *in conſideratione tantæ novitatis, clamabant non ſinè admiratione: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, nec enim pares inveniuntur deliciæ, vel in nobis quos in civitate Domini, lætificat fluminis impetus, qui à vultu gloriæ, voluptatis gloria potamur.* Unde meritò purpuratus Præſul D. Petrus Dam. nimium illum Mariani triumphi ſplendorem perpendens, eum ſolenniorem ipſo Chriſti triumpho fuiſſe piè aſſerere non dubitavit: *Attolle oculos ad Aſſumptionem Virginis* (ait ſerm. de Aſſumpt.) *& ſalva majeſtate Filij invenies occurſum hujus pompæ, non mediocriter digniorem. Soli quippe Angeli, occurrere potuerunt Redemptori; Matri verò cœlorum palatia penetranti; Filius ipſe cum tota curia, tam Angelorum, quàm juſtorum ſolenniter occurrens, ad beatæ evexit conſiſtorium ſeſſionis.* N. 183. *D. Bernard.* *S. Pet. Dam.*

Quare cùm hodiecina die Deipara glorioſiſſima, teſte D. Auguſtino,

D. Auguſtin. D. Bonaven. no, *Domina ac Regina cælorum*; juxta D. Bonaventuram verò, *Reginæ cæleſtium, terreſtrium & infernorum conſtituta ſit*; placuit Virginis gloriam, quam nulla unquam lingva eloqui poteſt ſub typo aut ſchemate ſaltèm aliquo adumbrare; & quidem eam *optimam in cælis partem* eligentem, per Eſther coronatam, omnibus ad contemplandum proponere. Quod dum facio, vos totis medullis cordium applaudite recens inauguratæ cœlorum Imperatrici.

N.184. Originem & cauſam ſummæ illius exaltationis, pijſſimæ Eſther, ſi paulò accuratiùs indagem, non aliam deprehendo, quàm repudium Reginæ Vaſthi, quæ ob inobedientiam & thalamo, & regno privata fuit ab Aſſvero; & dein inſitæ corporis animæque rariſſimæ dotes, quæ profundæ jungebantur humilitati. Poſtquam enim Aſſverus Per- *Eſther 1.* ſarum & Medorum Monarcha potentiſſimus, cujus ſceptrum centum viginti ſeptem Provincijs, ab India uſque Æthiopiam imperârat; grande convivium Principibus ſuis inclytis per centum octoginta dies apparâſſet: accidit ut hilarior factus ex compotatione, imperium dederit ſeptem Eunuchis, Reginam Vaſthi, diademate coronatam ad convivij locum introducendi: ut videlicet oſtenderet cunctis populis & Principibus illius pulchritudinem: *Erat enim*, ùt ait ſacer Hiſtoricus Eſth. 1. *pulchra valde*. Verùm quia venire renuit, & Regis imperium, vel ex aliqua ſuperbia, vel inobedientia contempſit; nimio furore ſuccenſus Rex (accedente inſuper ſeptem ſuorum Sapientum ſuffragio) eam è veſtigio repudiavit, ac illius locum Eſther, puellam humilem, He- *Eſther. 1.* bræorum de ſtirpe progenitam, occupare juſſit: *Nam fecit eam regnare in loco Vaſthi.* Eſth. 1.

N.185. Pari ratione exaltatio inclytæ Virginis noſtræ, ad tam ſublimem gratiarum thronum, ex duplici proceſſit capite; & quia mater omnium viventium Eva, ob inobedientiam è gratioſo innocentiæ ſtatu depulſa eſt; & quia præter ſingulares omnino dotes profundiſſima prædita fuit humilitate: quia inquam Eua Legem Divinam prævaricando Adamum ad peccatum induxit, Virgo Sanctiſſima illas excellentes gratiarum prærogativas, cum maternitatis munere conſecuta eſt. *Si enim Adam non peccâſſet* (quod famoſior Theologorum pronuntiat ſententia.) *Chriſtus nequaquam veniſſet*, conſequenter nec Virgo noſtra Deipara extitiſſet. Unde ruina Evæ MARIÆ fuit exaltatio, ſiquidem mutavit

Digitized by Google

tavit nomen Evæ, verè *Mater* omnium *viventium* effecta: quæ enim poſteros ſuos filios iræ, hoſtes DEI effecit, hæc eoſdem DEO reconciliavit. Quæ ſuperbiendo voluit eſſe ſicut DEUS, hæc ſe profundiſſimè humiliando non Matrem ſed *Ancillam* confeſſa eſt. Quæ denique ſuarum prolium interfectrix, à DEO multipliciter punita eſt: hæc omnium ſalvandorum vivificatrix maximis repleta eſt benedictionibus. Quare bene ait Tertullianus lib. de carne Chriſti cap. 17. *Quod Eva credendo ſerpenti deliquit, MARIA credendo Gabrieli delevit*; *Per hujus enim partum* (pulchrè etiam loquitur D. Auguſtinus) *mutatur Protoplaſtorum conditio, deletur culpa, cauſam enim invaleſcentis errati, miraculum novi partûs evicit, & Evæ planctum MARIÆ cantus excluſit.* Nec abluſit D. Irenæus, quando inobedientiam Evæ correctam fuiſſe ait, per obedientiam Virginis. *Eva enim nodus inobedientiæ, ſolutionem accepit per obedientiam MARIÆ; quod enim alligavit Eva per incredulitatem, hoc Virgo MARIA ſolvit per fidem.* *Tertullianus.* *S. Irenaus.*

Unde quemadmodum Aſſverus repudiata Vaſthi Conjuge, ex plurimis collectis virginibus, unicam formoſiſſimam, & humillimam delegit Eſther, ità optimus DEUS poſt caſum Evæ, non ex plurimis ſolùm virginibus, ſed ex omnibus omnino creaturis Virginem Sanctiſſimam in Matrem omnium viventium aſſumpſit; quæ illæſo virginitatis ſignaculo gigneret *Viventem in ſecula ſeculorum.* Apocal. 1. Eſther certè præ omnibus alijs Aſſveri placuit oculis, quia præter eximiam corporis formam, mànſvetudine ac humilitate ſupra modum ditata fuit, eruitur id è S. Scriptura, quæ in hunc modum de ipſa loquitur: *Erat formoſa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratioſa, & amabilis videbatur.* hebræus habet, *omnium oculis gratioſa & humilis apparebat.* Hinc D. Hieronymus Ep. 9. bene de ea ait: *Eſther inter purpuram, & ſericum, & gemmas, ſuperbiam humilitate vicit, tantique fuit meriti, ut captiva victoribus imperaret.* Similiter & Cantiprat. lib. 2. c. 20. ait: *Illius Eſther digniſſimè recordamur, quæ ſupra omnem mundi gloriam conſtituta ſe humiliavit.* N. 186. *Apocal. 1.* *Eſth. 1.* *D. Hieron.* *Cantiprat.*

At incomprehenſibilem pulchritudinem Virginis, unáque profundiſſimam animi humilitatem, quibus increatam Triadem in ſui pellexit amorem, quis fando erit, ſi ipſos Angelos ſpectatores reddidit attonitos? Certè D. Dionyſius Areopag. unico virginis aſpectu tan-

Digitized by Google

tantopere immutatus fuit, ut eam divinam aliquam credidiſſet perſonam, niſi fides contrarium animo ejus perſvaſiſſet. Clarè enim ait in
D. Dionyſ. Epiſtola ſua ad D. Paulum: *Teſtor qui aderat in Virgine DEUM, ſi tuæ divina mente concepta, non me docuiſſent: hanc verum DEUM eſſe credidiſſem; ſiquidem nulla videri poſſet major gloria Beatorum, quàm felicitas illa, quam ego tunc feliciſſimus deguſtavi.* Quanta verò humilitate Anima ejus beatiſſima exornata fuerit, vel inde patet, quòd licèt ex vir-
D. Bernard. ginitate Superis placuerit, *ex humilitate tamen*, ùt refert D. Bernardus, *DEUM conceperit.* Ideo D. Bonav. cum S. Brigitta hodiernæ exaltationis, nullam aliam aſſignat cauſam, quàm humilitatem: *Nunquam Virgo ſupra choros Angelorum exaltata aſcendiſſet, niſi priùs infra homi-
D. Bonaven. nes humiliata deſcendiſſet*, ait Bonaventura in ſpec. virg. c. 6. Sancta
S. Brigitta. Brigitta verò lib. revel. c. 2. ait: *Quia inter omnes Angelos & homines ipſa Virgo inventa eſt humillima; ideo ſuper omnia quæ creata ſunt, facta eſt ſublimiſſima.*

N. 187. His naturæ ac virtutum donis inſtructa Eſther, meritò ad ſolium tanti regni provecta fuit: *Adamavit eam Rex pluſquam omnes mulieres,*
Eſther 2. cap. 2. *& poſuit diadema regni in capite ejus, & juſſit convivium præparari magnificum cunctis Principibus, pro conjunctione & nuptiis Eſther.* Similiter quia Virgo illa planè admirabilis, omnes Sanctos, meritis, gratijs, virtutibus, aliiſque prærogativis anteceſſit, meritò & illa inenar-
S. Ildefonſus. rabilem in cœlis gloriam ſuper omnes fuit conſequuta: *Nam ſicut incomparabile eſt illud, quod geſſit in terris* (ait S. Ildephonſus ſerm. 2. de Aſſumpt.) *& ineſtimabile quod accepit, ita eus incomprehenſibile præ-
S. Bernard. mium gloriæ quod promeruit.* Poſtea; *Quemadmodum nullus in terris locus dignior fuerat uteri Virginalis templo*, ùt ait D. Bernardus, *in quo Filium DEI MARIA ſuſcepit, ita nec in cœlis eſſet regali ſolio, in quo MARIAM, MARIÆ Filius non ſublimavit.* Et quidni exaltâſſet MARIAM, JESUS? quidni ſuper omnes evexiſſet Matrem ſuam, Filius? & quidem
D. Ambroſ. ille, qui honorare præcepit Patrem & Matrem? *Cui amabò majus, quàm Matri præmium reponeret, meritum reſervaret?* ait D. Ambroſius. Si enim Salomon in regio ſplendoris ſui throno, Matrem à dextris collo-
3. Reg. 2. cavit, 3. Reg. c. 2. Nunquid non decuit & Filium tantæ Virginis & pluſquam Salomonem; eam immenſa comparatione majorem in ſolium quoque gloriæ ſuæ aſſumere? Aſſumpſit enimverò, itaque aſſumpſit,

Digitized by Google

ſumpſit; ut ſuper omnes omnino creaturas poſt DEUM eam conſtituerit. Favet dictis hiſce meis præter alios S. Anſelmus, dum ait ſerm. de Virg: *Nihil tibi, ô Virgo, eſt æquale, omne enim quod eſt, aut ſupra te eſt, aut infra te eſt; quod ſupra te eſt, eſt ſolus DEUS; quod infra te eſt, eſt omne id, quod DEUS non eſt.* *S. Anſelmus.*

Sublimavit igitur illam ſuper omnes Angelorum choros; evexit eam ſuper omnes Patriarcharum, Apoſtolorum, Martyrum, aliorúmque Sanctorum ordines, eámque univerſorum, omnium cum aggratulatione conſtituit Dominam ac Reginam. Hinc SS. Eccleſiæ Præſules ponderantes excellentem illam Virginis gloriam, eam nonniſi humanitùs loquendo, per regiam exprimere voluerunt dignitatem. Certè S. Ephrem Virginem glorioſiſſimam vocavit *Reginam ac Dominam cunctis ſublimiorem.* D. Rupertus, *Reginam Cælorum, totum jure poſſidentem Filij regnum.* D. Bonaventura, *Reginam regnantium.* D. Dionyſius, *Reginam miſericordiæ.* S. Athanaſius, *Reginam veniæ, & bonitatis eximiæ.* Denique D. Thomas, *Reginam naturæ, Reginam virtutum.* *S. Ephrem.* *D. Rupertus.* *SS. Patres.*

Demum coronata in Reginam Eſther verè populorum evaſit Advocata, ſiquidem in illius gratiam, cunctis ſuæ ditionis gentibus, remiſit Aſſuerus onera; pepercit tributa, & quod regiam vel maximè commendat liberalitatem, dona alijs largiſſimè impertivit: *Dedit*, inquit S. Scriptura, *requiem univerſis Provinciis, & dona largitus eſt, juxta magnificentiam principalem.* Hæc ſi fecit in gratiam unius Eſther adamatæ, homo barbarus, idolíſque ſerviens; & in gratiam MARIÆ ſuper cœlos exaltatæ, nullam præſtiterit hominibus gratiam, magnus ille DEUS, toties in Scripturis à miſericordia commendatus? abſit! abſit hoc ab illo, quem miſericordia fecit incarnari & tam ignominiosè pro nobis mori. Poteſtatem igitur fecit Virgini Matri ſuæ ampliſſimam; ut omnium ſceleratorum, commune eſſet refugium, ac propitiatorium; omnium ſalvandorum mediatrix, omnium demum afflictorum unicum in terris aſylum. Hinc D. Andreas Cretenſ. orat. de Aſſumpt: confidenter eam allocutus eſt, dicens: *Ex quo translata es è terra Virgo Sanctiſſima, te univerſus mundus commune continet propitiatorium.* Hinc & D. Bernardus ubi eandem nominâſſet *plenam unctione miſericordiæ, plenam oleo pietatis*, candidè effatur ſequentia: *Nihil nos DEUS habere voluit, quod per MARIÆ manus non tranſiret; omnibus enim mi-* N. 188. *Eſther. 2.* *R. Andr. Cret.* *D. Bernard.*

ſericordiæ ſinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant Univerſi; captivus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, &c.

N.189. Verbo, ſi magna hæc totius univerſi Regina, afflictis non tribuit requiem; peccatoribus non impetrat veniam, juſtis non procurat gratias, ac perennes cœli delicias? I, meíque loco hodie, vel verbulo rurſum perora, facundiſſime, utì & à ſanctitatis fama inclyte Conſtantinopolitane Patriarcha D. Germane affare rurſus Auditoribus meis, conſvetum illud tuum de Virgine eloquium; quo eam compellare ſolebas: dicito inquam; *Nemo, nemo ſalutem conſequitur, niſi per te Virgo Sanctiſſima; nemo dolore fit vacuus, niſi te opitulante Virgo puriſſima; nemo beneficio aliquo divinitùs afficitur, niſi te mediante Virgo caſtiſſima, nemo à peccatis abſolvitur niſi te patrocinante.* Et ſanè ſic etiam ſe res habet; hac enim ſuccurrente, integra morbidorum Xenodochia, ab omni lue perpurgata ſunt; hac opitulante ingens afflictorum turba, ſvaviſſima conſolatione recreata eſt; hac interveniente, proſtituti omnino peccatores, ex abyſſo ſcelerum erepti, innoxiam, imò ſanctiſſimam deinceps tranſegerunt vitam: proſtituti inquam peccatores, qui deſperabundi penitus, ad miſericordiam Incarnati Filij DEI, accedere non audebant; fiduciâ pleni ad *miſericordiarum Matrem* accurrerunt confidenter, & invocato ſanctiſſimo ejus Nomine, velociorem nacti ſunt ſalutem, quàm invocato nomine manſvetiſſimi JESU: nec abs re, ſi enim credimus D. Anſelmo lib. de excell. Virg. c. 8. *Velocior* [illegible] *nunquam ſalus memorato nomine MARIÆ, quàm invocato nomine Domini JESU Chriſti Filij ſui* Et quidem id non ideo fit, quòd ipſa major & potentior ſit; ſed quia omnia nos DEUS vult habere per MARIAM. Teſtatur enimvero idipſum præter alios Sanctiſſimus Papa Cæleſtinus luculentiſſimo exemplo, quod in opuſculo ſuo cap. 13. his verbis producit:

S. German. — S. Anſelmus.

N.190. *Nobilis quidam homo ad extremam devenit paupertatem, & dum quadam die blaſphemaret DEUM; dixit ei ſervus ſuus, ſi conſilio meo credere velis, ditiſſimus eris: cui ille aſſenſit; cùm autem veniſſent ad quoddam bivium, ſervus vocato diabolo, commendavit illi Dominum ſuum; ſtatim autem cùm ille feciſſet homagium diabolo, ille juſſit, ut abnegaret Chriſtum; quod & fecit: item præcepit, ut abnegaret MARIAM Matrem ejus, quod*

S. Caleſt. Pap.

quod tamen nullatenus facere voluit; tunc diabolus confuſus evanuit, & ille malus ſervus nunquam comparuit: ille autem ad ſe reverſus venit ad Eccleſiam, & quidam miles occultè poſt eum ingreſſus eſt; cùmque ille Beatiſſimæ MARIÆ devotiſſimè ſupplicaret, vidit ille miles Matrem rogantem Filium pro eo. Puer verò, qui erat in imagine, reſpondit: Mater mea quomodo poſſum hoc facere; ſi iſte non timuit me negare? tunc imago B. MARIÆ triſtis depoſuit Filium ſuum ſuper altare, dicens illi: nunquam in gremio meo te recipiam, niſi ei dimittas; cui Puer: Mater mea benedicta fiat voluntas tua. Tunc B. Virgo recepit Puerum gratias agens. Hæc cùm vidiſſet miles, & ea omnia propter illum fieri didiciſſet, dedit ei equum & uxorem. Sed ille in prima nocte nuptiarum ita convertit uxorem ſuam, quòd ambo latenter fugerunt, & in Ciſtercienſium Ordinem intrârunt. hæc ille S. Papa. Bene proinde dixit S. Anſelmus: *Velocior eſt nonnunquam ſalus memorato nomine MARIÆ, quàm invocato nomine JESU.*

Quapropter ut paucis concludam, infeſtatur quis ab infenſiſſimo hoſte quopiam Aman, veluti quondam Mardochæus cum toto populo; volo dicere: tentatur quis à capitali ſuo hoſte, vel diabolo, vel carne, vel mundo, confugiat audacter ad Reginam hanc clementiſſimam Eſther; detegat vulnera, pandat inſidias, & ſolatio plenus à magno hoc orbis univerſi *Propitiatorio*, lætúſque abſcedet. Denique *ſi crimine turbaris* (verba ſunt melliflui Præſulis) *ſi conſcientiæ fœditate confuſus, ſi barathro deſperationis abſorptus, cogita MARIAM, invoca MARIAM, non recedat à corde, non tranſeat ab ore, & nequaquam patieris repulſam; quia in MARIA* (verba ſunt ejuſdem ſerm. de Nativ.) *totius boni plenitudinem DEUS poſuit, ut proinde ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea noverimus redundare.* *S. Bernard.*

Digitized by Google

CLASSIS III.

FESTA SS. ANGELORUM.

In Feſto SS. Angelorum.

Concio I.

Nihil æquè offendit SS. Angelos quomodo ſcandala.
S. Bernardus.

Argumentum. *Scandalum maximè à Superioribus datum, quod puſillos ad peccandum inducit & SS. Angelos ad juſtam indignationem provocat; in medium produco; unáque oſtendo; quantùm mali cauſet, unicum etiam malum exemplum luxuriæ, aut avaritiæ aliis præbitum; quale videlicet in Lege Veteri dederunt Roboam & Joas Reges Juda, qui perverſis ſuis factis depravârunt, non ſolùm ſuam tribum Judam, ſed & reliquas decem Iſraëlis. Quale item dedit Nabuchodonoſor, qui ſuorum Principum malo exemplo, induxit omnes ſibi ſubjectos populos ad adorandam ſtatuam auream. Seculis verò noſtris, quale præbuit Henricus VIII. regnum ſuum ſubducens à vera Chriſti Eccleſia. Guſtavus Regni Sueciæ invaſor, qui ſe avaritiæ ac ſacrilegijs dedens; optimates quoque ſuos, ad eadem ſcelera perduxit: Demum ſpurciſſimus Lutherus, aliique execrabiles à Fide Apoſtatæ, qui alios quàm plurimos, ſuo perverſo exemplo, facili negotio apoſtatare fecerunt. Hi omnes quàm meritas, ob ejuſmodi mala exempla, ulciſcente juſto DEO dederint pœnas, fuſiùs proſequor, ut quilibet caveat & horreat impoſterum aliis præbere ſcandala.*

Væ

Digitized by Google

Væ homini, per quam ſcandalum venit. *Matth. cap.* 18.

HOrrendum illud Servatoris noſtri verborum fulmen, quod contra ſcandaloſos ſeu puſillorum corruptores ac depravatores, divina incitante Juſtitia evibravit: dum hodierna SS. Angelorum ſolennitate pondero aptè omnes ac ſingulos alloqui libet ijſdẽ verbis, quibus S. Bernardus ſerm. 2. in hoc feſto ſuos allocutus eſt: *Audiſtis Fratres evangelicam lectionem, adversùs eos, qui puſillos ſcandalizant, ſatis terribiliter intonantem? nemini blanditur veritas; neminem palpat, nullum ſeducit, apertè denuntiat, quoniam væ homini illi, per quem ſcandalum venit; bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille.* Imò expedit illi, ſi quis eſt, qui malo ſuo exemplo ſuſcitat ſcandala, *in aliqua domo ſancta, domo DEO placita & Angelis ejus admodum grata, ac familiari congregatione, ut ſuſpendatur in collo ejus mola aſinaria & demergatur in profundum maris.* Et meritò, ſiquidem ejuſmodi ſcandaloſus ac ſceleratus ſocius; puſillos hoſce ſecum in ruinam, ac peccati barathrum nequiter pertrahit; Angelos verò eorum, etſi ſemper videant faciem Patris qui in cœlis eſt, maximo tamen afficiunt mærore & triſtitia; Angelos inquam, *Domeſticos DEI, cæli Cives, Principes paradiſi* cogit quodammodo ad lacrymas, ut de ijs videatur dixiſſe Propheta Iſaias *Angeli pacis amarè flebant.*

N. 191. D. Bernar. Iſai. 33.

Certè cùm animæ hominum ſint ſponſæ Chriſti Filij DEI, *qui propter eas à DEO Patre exivit, & matrem ſynagogam reliquit, ut adhærentes ei, unus cum eo ſpiritus efficerentur:* idcirco attributi ſunt ſingulis excellentiſſimi hi Spiritus, ut cuſtodirent, ac miniſtrando adeſſent, juxta illud D. Pauli: *Omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus, miſſi in miniſterium propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Neque etiam *id cuiquam incredibile videatur* (verba ſunt ejuſdem S. Bernardi) *quandoquidem ipſe Creator & Rex Angelorum, venit non miniſtrari, ſed miniſtrare.*

ad Hebr. 1. S. Bernard.

Officium hoc, quàm præclarè etiam SS. Angeli peragant, teſtatur idem mellifluus Præſul ſerm. 31. in Cant. dum eos ſponſæ pediſſequis ac Paranymphis aſſimilare non dubitavit: *Ipſe eſt* (ait de ſingulis eorum)

N. 192. D. Bern. ſer. 31. Cant.

eorum) *qui in omni loco, ſedulus quidam pediſſequus animæ non ceſſat ſolicitare eam, & aſſiduis ſuggeſtionibus monere dicens: delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui.-- Ipſe eſt fidelis Paranymphus, qui mutui amoris conſcius, ſed non invidus, non ſuam quærit, ſed Domini gratiam, diſcurrit medius inter Dilectum & Dilectam, vota offerens, referens dona, excitat illam, placat illum, & quotidie videt faciem Patris.* Tales igitur ac tanti cœli Principes, videntes ſibi concreditas Domini ſui Sponſas; per datum ſcandalum, ruere in peccatum mortiferum, ac repudiato cœleſti Sponſo, effici adulteras, mirum in modum offenduntur ac indignantur; nam ut idem memoratus ait Antiſtes: *Nihil æquè offendit, & ad indignationem provocat ſanctos Angelos, quomodo diſſenſiones & ſcandala.* Nec offenduntur ſolùm à ſcandalis, ſed & turpiſſimè abiguntur: *Quemadmodum apes fugat fumus* (ait S. Baſilius hom. 9. in Pſal. 33.) *& columbas graveolentia expellit; ſic Cuſtodem vitæ noſtræ Angelum, lachrymoſum, & graveolens peccatum* (addo ego *ſcandaloſum*) *abigit.*

D. Baſilius

N. 193. *D. Auguſt.* Quare cùm etiamnum D. Auguſtino teſte: *Mille ſcandala ſint in mundo, propter tentationem dæmonum, & hominum improborum offendicula*; declarabo dictione hac: quàm grave ſit peccatum ſcandalum, quámque graviter DEUS puniat illos, qui alios ſcandalizant.

Multoties homines inter, maximè tenerioris conſcientiæ oritur mentio ſcandali; ſolent namque dicere, ego valde ſcandalizor; hæc perſona me ſcandalizavit; iſte paſſus eſt ſcandalum, & tamen quid propriè ſit ſcandalum, & quandonam illud peccatum grave ſit, contra quod Chriſtus horridum illud væ intorſit, non uſque adeò intelligunt: idcirco ejus definitionem præmittendam duxi. Duplex Theologi agnoſcunt ſcandalum *Activum* aliud, aliud *Paſſivum*; hoc eſt, *ipſa Proximi ſpiritualis ruina*; illud verò ùt D. Thomas ex S. Hieronymo definit, eſt: *Dictum vel factum minùs rectum, præbens ruinæ occaſionem Proximo.* Et quidem *præbens occaſionem* non *cauſam*: ſiquidem à nulla re extrinſeca, tanquam ab efficaci cauſa, poteſt voluntas ad peccandum trahi, ſed ſolùm tanquam ab occaſione, ſi ipſa ſponte velit. Dein ipſa malitia ſcandali, non in eo ſita eſt, ut ſimul Proximus labatur (cùm juxta D. Thomam poſſit eſſe activum ſcandalum ſinè paſſivo) ſed in oblata ſufficienti occaſione ruinæ. Rurſum ſcandalum paſſivum duplex

Quid ſcandalum.

D. Hieron.

Digitized by Google

plex eſt, *Datum* & *Acceptum*: *datum*, ſeu *ſcandalum puſillorum* eſt, quod ex vero & patrato alterius activo oritur; *acceptum* verò, ſeu *ſcandalum Phariſæorum* eſt id, quod ex ſola accipientis malitia oritur. Dicitur denique ſcandalum *per ſe*, & *per accidens*. *Per ſe*, quando ſcandalizans ruinam proximi directè intendit; *per accidens*, quando non intendit, ſed ſolùm vult ſatisfacere ſuæ cupiditati. Vide plura apud P. Thomam Sanchez lib. 1. de præceptis c. 6.

Ex his ſequitur Chriſtum Dominum, potiſſimùm perſtrinxiſſe eos, qui per ſe & directè, dictis vel factis ſuis pernicioſis præbent puſillis occaſionem ruinæ, cóſque ad idem peccatum patrandum inducunt. Etſi nec illi væ iſtud horribile evadant, qui non intendendo, coram puſillis liberè peccant, cùm interim impedire alios, vel ipſi abſtinere à peccatis teneantur. Scandalum igitur hoc activum, quàm grande ſcelus ſit, colligi poteſt vel ex eo capite, quod unicum etiam pernicioſum dictum vel factum plurimum mali cauſet. *Unum etiam exemplum, aut luxuriæ, aut avaritiæ, multum mali facit*, ait Seneca Philoſophus, etſi idolomaniæ tenebris obvolutus, *ſiquidem unus malignus comes, quamvis candidis & ſimplicibus, rubiginem ſuam affricat.* Et quod ſubinde, nec ullæ pœnæ, aut tormenta apud innocentes & probos efficere poſſunt, hoc facili negotio perficit ſcandaloſus ſocius, malum præbendo exemplum: Nam *facillimè corrumpunt bonos mores exempla mala*, ait Gverricus Abbas. Plurima ſanè è ſacris Paginis id nobis declarant exempla.

Seneca in ep.

Guerric. Ab.

Certè vix Roboam Rex, ùt perhibent faſti Regum 2. Paral. 12. deſeruit DEUM optimum ejúſque ſanctiſſimam Legem repudiavit, tradendo ſe vitijs & ſceleribus; mox etiam abſque majori impulſu receſſit à DEO populus univerſus, ac ijſdem ſeſe immerſit criminibus: *Cúmque roboratum fuiſſet regnum Roboam & confortatum*, ait ſacer Hiſtoricus, *dereliquit legem Domini, & omnis Iſraël cum eo*, ſcilicet Regis ad exemplum. Unde bene Flavius Joſephus lib. 8. c. 10. *Roboam ſprevit DEI religionem, & mox totus populus imitatus eſt ejus iniquitatem, & cùm Roboam ageret impiè, ſtudebant & ſervi non eſſe juſti, nè Rex videretur offendi.* Ità etiam poſtquam idem Rex pravo ſuo exemplo, tribum Judam & Benjamin (quæ ſolùm ei è 12. remanſerant) ad idololatriam perduxiſſet; factum, ut poſt paululum, & reliquæ 10. tribus ſub Rege Jero- N. 194.

2. Paral. 12.

Ioſeph. l. 8.

Jeroboam earum quoque exemplo inductæ à DEO receſſerint, ac Deos alienos, imò vitulos aureos proniſſimè adoraverint: *Videbat Iſraël*
D. Cyrill. Al. *Judam* (confirmat dicta mea D. Cyrillus Alexand.) *lege eruditum, templo aſſidentem, & ſacrificiis Moſaicis operam dantem; & nihilominus idololatriæ crimine teneri, ita factum eſt, ut celeriùs diſcederet à DEO Iſraël.* Pari ratione Rex Joas, quàm primùm poſt mortem optimi Sacerdotis Jojadæ, qui eum in timore DEI educârat probitatem, cultúmque divinum profuſus in ſcelera, dereliquit; è veſtigio, ſecuti eum fuére
2. Paral. 24. re Principes, Seniores, ac populus univerſus. Nam 2. Paral. 24. *Dereliquerunt templum Domini DEI Patrum ſuorum, ſervierunt lucis & ſcul-*
Ioſephus l. 9. *ptilibus.* Bene proinde ait rurſum Joſephus lib. 9. c. 8. *Vix Rex Joas à priſtina Religionis cura deſcivit, mox Principes populi, conſimilem in modum depravati ſunt, adeò ùt nihil antiquius haberent, quam juris & ju-*
D. Bernard. *ſtitiæ contemptum.* Nec abs re: *Principis enim error*, ait S. Bernardus, *multos involvit, & tantis obeſt, quantis prodeſt.*

Imò adverto, nihil ſub Sole eſſe potentiùs ad trahendum & perſvadendum exemplo, adeò ut aptiſſimè cecinerit Claudianus:

Regis ad exemplum totus componitur orbis;
Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.

N. 195. Hinc ſi Principes, Magiſtratus ac Superiores apertè ſe dedant vitijs, ſi veram repudient religionem, capeſſant falſam & liberiorem, non erit tum opus ullo imperio, apud imperitum vulgus, ſed illud ultrò eorum ad exemplum, ad eandem ruet ſcelera, ſibíque idem licere arbitrabi-
Plinius. tur. Unde bene Plinius in Trajano: *Vita Principis cenſura eſt eáque perpetua, ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur, nec tam imperio nobis opus eſt quàm exemplo.* Agnovit hoc jam olim ſuperbiſſimus ille Regum Nabuchodonoſor, qui ut induceret omnes ſibi ſubjectos populos, ad adorandam ſtatuam auream, quam mira arte fabricari fecerat; convocavit ex omnibus regnis & provincijs ſolùm Principes ac Pro-
Daniel. 3. ceres, & non plebem, ùt liquet ex cap. 3. Daniel: *Miſit Rex ad congregandos Satrapas, Magiſtratus, & Judices, Duces & Tyrannos, & Præfectos, omnéſque Principes Regionum, ut convenirent ad dedicationem ſtatuæ, quam erexerat Nabuchodonoſor Rex.* At cur de plebe & populis omnino tacetur? Ideo, quia ſcivit vaferrimus Rex, ſubjectos populos magìs duci exemplo, quàm mandato, idcirco acri decreto compulit

Digitized by Google

lit ad orationem ſtatuæ majores, ut via hac compellerentur & inferiores; ità ſanè idipſum docet D. Hieronymus, qui in Danielem ait: *Principes & Majores congregati ſunt, ut per eos ſeducantur minores, & ſeductis Majoribus, ſubditi pereant exemplo Majorum.* Certum igitur eſt, dato à majoribus activo ſcandalo, facillimè ſuboriri apud minores ſcandalum paſſivum, qui in eadem prolabantur ſcelera. *D. Hieron.*

N. 196. Verùm quid in producendis veterum exemplis me fruſtrà fatigavi, cùm & ſecula noſtra, nobis ejuſmodi plurima ſuppeditent. Profectò vix Henricus VIII. execrabilis ille Angliæ Rex, divortium cum Romana fecit Eccleſia; vix concupiſcentiarum ſuarum laxavit habenas, ſéq; totum immerſit ſpurciſſimo omnium ſcelerum cæno; è veſtigio, Regis ad exemplum toto regno impunè patrabantur cædes, incendia, proditiones, hæreſes, ſacrilegia, inceſtus, adulteria, ità ut Florimundo teſte lib. 6. c. 3. Opprimere matrem & filiam, idem nonnulli duxerint, ac *comedere gallinam cum ovo.* Vix Guſtavus, Erici Trollij Filius, regnum Speciæ, ejecto Chriſtiano II. Daniæ Rege, contra jus fáſque occupavit, ac introducto Lutheraniſmo, bona Eccleſiaſticorum ac Monachorum, ijs undique pulſis involavit; mox Nobiles ac Proceres ni ſacrilegij ſui partem attraxit, qui abjurata ſimiliter Catholica Religione, etiam tumbas & mortuorum ſepulchra, inaudito ferè ſcelere depopulati ſunt, detractis paſſim ſaxis & tabulis marmoreis, ac porphyreticis, quibus palatia ſua & domos exornarent. *Florimundus lib. 6.*

Vix priori ſeculo è Religioſorum clauſtris, Lutherus, Bucerus, Conradus, Viretus, Richerius, Oecolampadius, Bernardus Ochinus, aliíque ruptis votorum nexibus ad mundi delicias & voluptates provolârunt, mox exemplo ſuo quàm plurimos ad eaſdem protraxerunt, *qui tanquam immundæ ſues* (verba ſunt Florimundi lib. 1. c. 7. §. 4.) *in ſtercoribus & ſordibus hujus mundi, ſeſe volutârunt, & cilicio, cucullo & perâ; ad pallium & puellam convolârunt, non jam latus roſario, ſed gladio cinctum oſtentantes.* Maximè verò inceſtuoſis ſuis nuptijs ſpurciſſimus Hæreſiarcharum Lutherus, plurimos ad idem audendum & peragendum incitavit. Libet verba ipſiuſmet Florimundi proferre, lib. 3. c. 6. §. 3. ait: *Conſummatâ Lutheri & Catharinæ copulâ, undique ſtatim cupidinis claſſicum inſonuit. Tunc ſcalæ monaſteriorum muris ſunt admotæ, tunc eorum fundamenta fuère ſubruta: Complures juvenes, ſaltu* *Idem l. 1. c. 7.* *Idem l. 3. c. 6.*

monaſteriorum ſepta tranſilientes ſummo fervore fœminas perſequebantur; præſertim eas, quæ eodem Lutheri claſſico excitæ, abjecto velo in eadem caſtra transfugerant; ſolis vetulis, quaſi pro habitationis pretio relictis. Hoc enim conſilium Lutherus, in libro ſuo de votis monaſticis ipſe dat, ut nimirum quæ ſexageſimum ætatis annum attigerint moniales, in monaſteriis maneant, ut & monachi jam octogeſimum ætatis annum egreſſi.

N. 197. Jllis igitur luctuoſis temporibus, quibus graviſſima hominum improborum regnabant offendicula & ſcandala, immenſo luctu, ac mœrore acerbo, obrutos fuiſſe SS. Angelos Tutelares, nemo in dubium revocabit: ſiquidem ſi unquam tum certè *Angeli pacis amarè flebant;* viderunt namque animas hominum, immaculatas Regis ſui ſponſas, nuptiali gratiarum veſte denudari, ſpurcitijs deturpari, ac in obſcæniſſima immutari ſcorta, & quæ ante datum ſcandalum erant templum DEI, lectulus Divini amoris, habitaculum Spiritûs Sancti, ſubitò in ſpiritualem ruinam proſtratas, fieri viliores luto platearum, ac in aterrimum erebi converti titionem. Flebant inſuper amarè, quia viderunt glorioſiſſimum ſuum Regem, per data ab improbis ſcandala magìs excruciari, quam quondam à perfidis Judæis. Idcirco bene D. Bernardus ſerm. 1. de Converſ. S. Pauli, adversùs ſcandala excandeſcens exclamavit: *Horrendum penitus ſacrilegium eſt ſcandalum! quod & ipſorum videtur excedere facinus, qui Domino Majeſtatis manus ſacrilegas injecerunt.* Et paulò antè: *Qui proprium dedit ſanguinem in pretium redemptionis animarum, videtur graviorem ab eo ſuſtinere perſecutionem, qui ſuggeſtione maligna, exemplo pernicioſo, ſcandali occaſione avertit ab eo animas, quas redemit, quàm à Judæo, qui ſanguinem illum fudit.*

D. Bernard.

N. 198. Quid mirum ſi jam DEUS juſto furore ſuccenſus, omnes ſcandalizantes, præſertim eos, qui alijs, vel cum poteſtate præſunt, vel bonis operibus prælucere debent, graviſſimè plectat, nec temporalibus ſolùm, ſed & æternis afficiat pœnis? Bene proinde monuit omnes Superiores D. Gregorius: *Scire debent, qui præſunt, quod tot mortibus digni ſint, quot ad ſubditos perditionis exempla tranſmiſerint, quia pereuntium animarum ſanguis requiretur de manibus eorum.* Ità quidem, ut pro hiſce datis ſcandalis etiam æternas ſint luituri pœnas. Nam atteſtante D. Cæſario Arelat. hom. 35. *Quicunque ſuis moribus malis ad ini-*

D. Gregorius.

D. Cæſarius.

Digitized by Google

iniqua opera provocaverit; cum tantis & pro tantis perpetua ſupplicia ſuſtinebit. Quod vel maximè intelligendum eſt de Prælatis, aliíſque in officio conſtitutis: *Siquidem hominum vulgaria delicta* (ait D. Chryſoſt. lib. 6. de Sacerd.) *velut in tenebris commiſſa, ſuos Authores ſolos perdunt, cæterum hominis illuſtris delictum, commune omnibus damnum affert.* *D. Chryſoſt.*

Quare meritò Chriſtus Dominus his & ſimilibus æternum væ minatus dixit, *qui ſcandalizaverit unum ex puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Quod ubi perpendit D. Chryſoſt. loco citato, hunc in modum ſapientiſſimè argumentatus eſt: *Si ei, qui unum aliquem duntaxat offenderit, expedit ut mola aſinaria demergatur in profundum maris; qui non unum, non duos, non tres tantùm, ſed tam multos etiam populos perdiderit, illis quid tandem fiet?* Nullus dubito, quin illud verificabitur, quod DEUS ſe facturum pollicitus eſt per Prophetam Ezechielem. cap. 14. *Qui ſcandalum iniquitatis ſuæ ſtatuerit contra faciem ſuam, ponam faciem meam ſuper hominem in exemplum, & diſperdam illum de medio populi mei.* *Malach. 18.* *D. Chryſoſt.* *Ezech. 14.*

Experti fuêre id quàm plurimi, maximè ij, quos paulò antè meâ hac dictione induxi: Roboam ſanè, quia ſcandaloſè vivendo, peccare fecerat Judam, non ſolùm ùt malè vixit, malè mortuus eſt, juxta illúd: *Fecit autem malum, & non præparavit cor ſuum, ut quæreret Dominum.* 2. Paralip. 12. Sed inſuper eo ipſo anno dati ſcandali concitavit DEUS contra ipſum Seſac Regem Ægypti, qui vaſtato ejus regno, oppugnatáque Jeroſolyma eum cum toto regno ſibi fecit tributarium; adeò ut jam tum urbem hanc Jeremias quiſpiam deplorare potuerit dicendo: *Facta eſt, quaſi vidua Domina gentium, Princeps Provinciarum facta eſt ſub tributo.* Nam *Anno quinto regni Roboam* (ait textus 2. Paral. 12.) *aſcendit Seſac Rex Ægypti in Jeruſalem, quia peccaverant Domino, cum mille ducentis curribus, & ſexaginta millibus equitum, -- cepitque civitates munitiſſimas in Juda, & venit uſque in Jeruſalem;* ad quam cùm coëgiſſet Regem ad ſerviendum ſibi omni tempore; *receſſit ab Jeruſalem, ſublatis theſauris domûs Domini, & domûs Regis, omniáque ſecum tulit, & clypeos aureos quos fecerat Salomon.* N. 199. *2. Paral. 12.* *Thren. 1.* *2. Paral. 12.*

Graviùs punitus fuit Rex Joas; hic enim quia dereliquit Dominum,

Digitized by Google

num, ac exemplo ſuo pravo impulit Principes ad immolandum dæmo-
2. Paral. 24. nijs: Non *ſervierunt lucis & ſculptilibus*, 2. Paral. 24. *facta eſt idcirco ira contra Judam & Jeruſalem propter hoc peccatum.* DEUS enim non ſolùm armavit contra eum Hazaël Regem Syriæ, qui illum interfectis ejus Principibus ſummè afflixit; ſed & ſervos proprios ſubmiſit, qui eum è medio crudeliter ſuſtulerunt: *Cúmque evolutus eſſet annus* (ait ſacer Hiſtoricus) *aſcendit contra eum exercitus Syriæ, venítque in Judam & Jeruſalem, & interfecit cunctos Principes populi, atque univerſam prædam miſerunt Regi* (ſcilicet Hazaëli) *in Damaſcum. Et certè cùm permodicus veniſſet numerus Syrorum, tradidit Dominus in manibus eorum, infinitam multitudinem, eò quòd dereliquiſſent Dominum DEUM Patrum ſuorum. In Joas quoque ignominioſa exercuêre judicia, & abeuntes dimiſerunt eum in languoribus magnis. Surrexerunt autem contra eum ſervi ſui, in ultionem ſanguinis filij Jojada Sacerdotis, & occiderunt eum in lectulo ſuo.*

Nec evaſit iram DEI ſuperbiſſimus Regum Nabuchodonoſor; ſed meritas dedit pœnas. Nam quod Daniel Propheta prædixit, quod
Daniel. 4. vox DEI de cœlo ruens, ei denuntiavit his verbis: *Tibi dicitur Nabuchodonoſor, regnum tuum tranſibit à te, & ab hominibus ejicient te, & cum beſtijs & feris erit habitatio tua, fœnum quaſi bos comedes,* &c. hæc omnia ei evenerunt, nam & *ex hominibus abjectus eſt, & fœnum ùt bos comedit, & rore cœli corpus ejus infectum eſt.*

N. 200. Libet nunc ſpectare eas pœnas, quibus DEUS juſtiſſimè deſævijt in eos, qui noſtris ſeculis, fuêre puſillis ſcandalo & offendiculo? gravè ſanè præbuit Orbi Chriſtiano ſcandalum luxurioſiſſimus Angliæ Rex Henricus VIII. dum omnia ſuſquedeque in regno ſuo vertit, ſubjectóſque ſibi exemplo ſuo pernicioſo, ad luxuriam, avaritiam, ac crudelitatem provocavit; verùm poſt omnia hæc, ultorem à tergo expertus DEUM, ac diris conſcientiæ exagitatus ſtimulis, miſerè è vita hac
Florim. l. 6. deceſſit. Nam ſi Florimundo credimus, lib. 6. c. 5. *Inſtante mortis articulo pateram vini albi popoſciſſe dicitur, & hæc verba dixiſſe: Omnia perdidimus. Deinde intermortuis vocibus, monachorum nomine, aliquoties ingeminato expiráſſe, non aliâ relictâ ſui memoriâ, quàm quòd diu quidem, ſed malè vixiſſet.*

Pari ratione vindicem Juſtitiæ Divinæ romphæam evitare non-
po-

Digitized by Google

potuit, ſacrilegus Sveciæ Rex Guſtavus: *Qui ferreâ à DEO virga percuſſus* (verba ſunt ejuſdem Florimundi lib. 4. cap. 15.) *multas alienati, & parum ſui compotis animi ſignificationes dedit, imprimis quando Carolum filium tum puerum, de ponte in præterfluentem dejecit*; ex quo ægrè ſalvatus fuit, poſtea quando reliquam, *noćte diéque gerens ſcelerum, ſub pećtore teſtem, miſerabilem admodum vitam duxit, donec tandem invidiâ, & atra bile contabeſcens animam exhalavit*; abreptam non dubito à peſſimis inferni genijs. *Siquidem ajunt ipſo momento, quo anima è corpore evolârat malum ipſius genium, ſub nigri moloſſi forma, cubiculum eſſe ingreſſum, & dentibus ſtragula detraxiſſe.* Florim. l.4.

Lutherum *omnium Hæreticorum anteſignanum teterrimum* quod attinet, conſtat eum largiter pranſum, & cœnatum, noćtu, autem ſubito pećtoris dolore correptum, priuſquam adveniſſent Medici expirâſſe; quod perhibent Schleidanus & Jonas, aut quod Ulenbergius, Thomas Bozius & alij fide digni enarrant, *eodem modo illum, cùm è lećto ventris exonerandi cauſâ ſurrexiſſet, quo Arrium inteſtina effudiſſe.* Choreas interim ducentibus in area dæmonibus, *quos non ſinè magno terrore vidit* (verba ſunt Pet. Thyræi par. 1. diſp. 8.) *Lutheri famulus, cùm per feneſtram, auræ captandæ gratiâ proſpiceret.* Veriſſimum igitur eſt illud: *Qui ſcandalum iniquitatis ſuæ ſtatuerit -- diſperdam illum de medio populi mei.* Ezech. 14. Idem lib. 3. c. 11. Pet. Thyræus.

Revertor ad SS. Angelos, cùm igitur *congruat huic ſolennitati, evangelica lećtio* (atteſtante D. Bernardo ſerm. 1. de S. Michaële) *quæ ſic deterret nos à ſcandalo parvulorum, quandoquidem tam vehementer Angelis diſplicent ſcandala.* Caveamus omni modo, nè per nos ſcandalizentur puſilli: *Vita enim etſi rećtiſſima ſit* (ait S. Chryſoſtomus homil. 56. in Joan.) *ſi aliis erit ſcandalo totum amittit.* è contrario autem; *ſimus devoti, ſimus grati tantis Cuſtodibus*; eáque præſtemus, quæ placent Sanćtis Angelis; placet ipſis autem, ait D. Bernardus, *ſobrietas, caſtitas, paupertas voluntaria, crebri in cœlum gemitus -- attamen ſuper omnia hac, unitatem, & pacem à nobis exigunt Angeli pacis*; quam etiam ſi in terris habuerimus, digni erimus, qui à SS. Angelis in cœleſtem Jeruſalem, quæ eſt vera pacis viſio, transferamur. D. Bernard. D. Chryſoſt. D. Bern at d.

In Feſto SS. Angelorum Cuſtodum.

Concio II.

Angeli nobis dati in miniſterium noſtrum.
D. Auguſtinus.

ARGUMENTUM. *Cùm Angeli Sanctiſſimi, nobis in miniſterium & cuſtodiam, ut nos* adversùs Principes & Poteſtates, adversùs mundi Rectores tenebrarum harum, *tueantur, à DEO attributi ſint: Oſtenditur in præſenti, tum ex veteri, cùm ex novo Teſtamento, indefeſſa eorum cum & ſolicitudo, quam nobis miſeris omnibus propè horis & locis impendunt. Nam non ſolùm nos eripiunt è periculis corporis, ùt fecère Lotho & D. Petro; ſed etiam animam in periculis peccandi præſervant à peccato, ùt præſervavère caſtiſſimam Judith, & S. Virginem Theophilam, verbô Clientes ſuos, non ſolùm, monent, gubernant, inſtruunt; ſed etiam famis tempore liberaliter paſcunt: ùt videre eſt in Elia, in compluribus Anachoretis, aliiſque exemplis.*

Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei. *Matth. c.* 18.

N. 201. QUis exceſſivam prorſus non admiretur, imò obſtupeſcat, miſerentis DEI providentiam; cui non ſatis videbatur hominem de nihilo creâſſe, eúmque innumeris propè vallâſſe beneficijs, niſi & eidem, ſuper hæc omnia in miniſterium & cuſtodiam attribueret Angelos. Angelos inquam, feliciſſimos Aulæ cœleſtis Principes, Cives inclytos ſupernæ civitatis Jeruſalem, divinæque gloriæ ſpeculatores aſſiduos: *Magna proinde dignitas animarum eſt* (ait D. Hieronymus) *ut unaquæque habeat, ab ortu nativitatis, in cuſtodiam ſui delegatum*

D. Hieron.

tum

Digitized by Google

tum Angelum; magna inſuper pietatis & benignitatis indicium eſt (ait quoque purpuratus Præſul D. Bonaventura) *deputare tales miniſtros, humanæ fragilitati, ſinè quibus nullo modo eſſet tuta.* Idcirco D. Auguſtinus, nimiam hanc, & ſolicitam prorſus benigniſſimi DEI conſiderans providentiam eum, in ſoliloquijs ſuis his verbis affatur: *Coram te Domine confiteor laudans te, quoniam beneficia tua magna ſunt hæc, quibus nos honorificâſti; dans nobis Angelos tuos ſpiritus in miniſterium noſtrum; dederas enim quicquid cœli ambitu continetur, & quaſi non reputas ea, quæ ſub cœlo ſunt, niſi adderes ea, quæ ſunt ſuper cœlos. Laudent te de hoc Domine omnes Angeli tui.* D. Bonaven. D. Auguſt.

Præterea dum DEUS hominibus aſſignat Angelos, non ſimpliciter eos aſſignavit ipſis, ſed unà præcepit, ut omni cura & ſolicitudine, omni ſtudio & diligentiâ eos foverent, defenderent, conſervarent, ex omnibus denique eriperent diſcriminibus. Bene proinde ait SS. David Pſalmo 90. *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis, hoc eſt, in omnibus omnino vitæ caſibus & neceſſitatibus.* Unde D. Bernardus hunc explanans Pſalmum, non ſinè admiratione ait, ſerm. 12. in Pſal. 96. *Mira dignatio! & verè magna dilectio charitatis! quis enim, quibus de quo quid mandavit? Studiosè conſideremus Fratres; diligenter commendemus memoriæ hoc tam grande mandatum. Quis enim mandavit? cujus ſunt Angeli, cujus mandatis obtemperant, cujus obediunt voluntati. Nempe Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis; nec cunctantur, quin etiam in manibus tollant te. Summa ergo Majeſtas mandavit Angelis, verè domeſticis DEI mandavit de te. Et tu quis es? Domine quid eſt homo, quòd memor es ejus, aut filius hominis quoniam reputas eum? Quaſi verò non ſit homo putredo, & filius hominis vermis.* Cùm autem D. Paulo teſte ad Epheſ. 6. *Non ſit nobis colluctatio adverſùs carnem & ſanguinem, ſed adverſùs Principes & Poteſtates, adverſùs mundi Rectores tenebrarum harum*; meritò omni tempore, & omnibus in locis nobis adſunt fideliſſimi Angeli: *Nam magna cura & vigilanti ſtudio* (ait D. Auguſt. in ſoliloq. c. 27.) *Adſunt nobis in omnibus horis & locis, ſuccurrentes & providentes neceſſitatibus noſtris.* Idque promptè, hilariter ac peramanter faciunt triplici de cauſa, ùt bene obſervavit D. Bernardus ſerm. 1. de Ang: *Ad juvandum nos attendit ſupereminens charitas eorum; propter DEUM, propter nos, & pro-* N.202. Pſal. 90. S. Bernard. Epheſ. 6. D. Bernar.

propter ſeipſos; propter DEUM utique, cujus tanta erga nos viſcera miſericordiæ, ipſi quoque ùt dignum eſt imitantur. Propter nos, in quibus propriam ſimilitudinem miſerantur. Propter ſeipſos, quorum ordines reſtaurandos, ex nobis toto deſiderio præſtolantur. Quare cùm Doctiſſimo Origene teſte unicuique noſtrûm, etiam minimo, *Angelus DEI bonus adſit, qui regat, qui moneat, qui gubernet atque defendat.* Oſtendam, quomodo non ſolùm in veteri Teſtamento, ſed & in novo accuratiſſimè id ipſum præſtiterint Sancti Angeli Cuſtodes.

Origenes.

N. 203. Narrat eruditus Creſollius de Eminentiſſimo quopiam Cardinale in Gallijs; cui cùm Rex in ſignum ſpecialis benevolentiæ, ſingularem quendam unionem, qui centum millibus æſtimabatur, gratiosè obtuliſſet; eundem mox tradidiſſe cuſtodiendum, intimo ſibi ac fideliſſimo cubiculario. Hic unius pretium perpendens, eum aureâ thecâ involutum non in ciſtis bene obſeratis cuſtodivit; ſed de collo ſuſpenſum, diu noctúque ſuper cor ſuum reliquiarij inſtar circumtulit; exiſtimabat enim, nullibi meliùs & tutiùs ſervari poſſe, quàm eo in loco, ubi cor, res omnium ſibi cariſſima, poſitum erat: At ſi *parva licet componere magnis*, etſi exquiſita & rara prorſus fuerit hæc ſolicitudo, exigua tamen eſt, in comparatione illius eximiæ curæ & ſolicitudinis, quam circa nos gerunt vigilantiſſimi Angeli; cùm enim ſciant animam hominis, D. Athanaſio teſte, eſſe *cimelium creaturarum, gemmam mundi, theſaurum theſaurorum DEI*, omnes propè vires impendunt, ut omni loco & tempore, ità eam cuſtodiant, ne maligni inferorum fures ac prædones eam deprædentur. Imò cùm illis conſtet, quamlibet animam hominis, tanti eſſe pretij & valoris apud Filium DEI, ut eam proprio ſuo effuſo ſangvine, redimere non dubitaverit, juxta illud D. Pauli 1. Corint. 6. *Empti enim eſtis pretio magno.* Ità laborando deſudant, ut maximos etiam peccatores & hoſtes DEI non deſerant, ſed hortando, increpando, urgendo, conentur eos ex ungvibus dæmonum eripere. Hinc & eandem animam, quam ſciunt eſſe *Civitatem & habitaculum DEI*; inſtar muri circumdant, ne ulli unquam pateat hoſtium incurſui: *Quemadmodum Urbium muri* (verba ſunt S. Baſilij) *in circuitu omnibus circumſiti, undequaque hoſtium incurſus arcent, ſic etiam Angelus unus, & à fronte & à tergo cuſtodit, & neque utriuſque lateris partes incuſtoditas relinquit*; adeò ut verificetur illud Davidis Pſa. 90. *Cadent à la-*

S. Athanaſ.

1. Corinth. 6.

S. Baſilius.

Pſal. 90.

Digitized by Google

à latere tuo mille & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit; ſcilicet plaga alicujus hoſtis.

Et licèt nobis ſint naturâ ſuperiores Cacodæmones, nos tamen illis longè ſuperiores evadimus præſidio DEI & Angelorum; qui *cuſtodiunt nos in omnibus viis noſtris.* In manibus portant nos, nè fortè offendamus ad lapidem infernalem pedes noſtros. Imò *etſi tam parvuli ſimus* (ait D. Bernardus in Pſal. 90.) *quid tamen ſub tantis Cuſtodibus timeamus? nec ſuperari, nec ſeduci poſſunt; fideles ſunt, prudentes ſunt, potentes ſunt, quid trepidamus?* Quondam 4. Reg. c. 6. Eliſæi miniſter exercitu Syrorum circumdatam cernens civitatem, metu perculſus, Prophetæ nuntiavit idipſum; at ille: *Noli timere* (ait) *plures enim nobiſcum ſunt quàm cum illis*; precatúſque eſt Dominum, ut Angelorum auxilium metuenti demonſtraret. *Aperuit igitur Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Eliſæi*, ſcilicet Angelorum, qui contra hoſtes ipſi miſſi fuerunt in ſubſidium. Simile quidpiam narrat Archi-Epiſcopus Florentinus D. Antoninus par. 2. tit. 17. c. 9. Oſtenſum Moyſi uni ex antiquis Patribus: Cùm enim ad Abbatem Iſidorum, graviſſima exagitatus tentatione veniſſet; occidentem verſus ut reſpiceret, præcepit ei Abbas; reſpexit, & ecce teterrimam vidit dæmonum multitudinem ad prælium inſtructiſſimam; territum hoc ſpectaculo Moyſen, vertere ſe & reſpicere juſſit Orientem; ubi mox ingentem vidit Angelorum exercitum, admirabili ſplendore fulgentem. Tum dixit ei Abbas Iſidorus: *Quos ad Occidentem inſpexiſti, ij Sanctorum ſunt oppugnatores; quos verò ad Orientem vidiſti, ij ſunt à DEO miſſi Angeli auxiliatores; cognoſce ergo ô Moyſes, non ſolùm plures eſſe nobiſcum, ùt dixit Eliſæus, ſed etiam fortiores.* Et quidni fortiores ſint: *Si vel unicus Angelus* (ùt ait Euthymius) *cum integris caſtris dæmonum valeat comparari.*

N.204. S. Bernard. 4 Reg. 6. S. Antonin.

Nunc quàm ſolicitè beatiſſimi Angeli, clientes ſuos, regant, moneant, gubernent, atque defendant, varia tum veteris, tum novi Teſtamenti enarrant acta. Dicat mihi proinde quiſpiam, cui poſt DEUM incolumitatem vitæ ſuæ, omniáque bona in acceptis referre debet, bonus Patriarcha Loth, quàm Angelis ſuis quibus commiſſis erat! Nam poſtquam peſſimi Sodomitæ, *valláſſent domum Loth, à puero uſque ad ſenem, omnis populus ſimul*, & cum impetu extradi ſibi petijſſent, juve- N.205.

venes illos duos, qui veſpere in domum ejus diverterunt ac propter
Geneſ. 19. hoc ipſum, *vim facerent Loth vehementiſſimè: jámque propè erat, ut effringerent fores.* Ecce, è veſtigio, ijdem Juvenes qui Angeli erant, *introduxerunt ad ſe Loth, clauſerúntque oſtium, & eos qui foris erant, percuſſerunt cæcitatem à minimo uſque maximum, ita ut oſtium invenire non*
D. chryſoſt. *poſſent.* Quod ubi perpendit D. Chyſoſtomus orat. de S. Bereng. bene ait: *In medijs Sodomis obſidebatur Loth domus, at nihil mali patiebatur, quippe quia Angelos intus habebat.* Et non ſolùm defendebant eum Angeli, à vim inferentibus Sodomitis, ſed cùm ille tergiverſaretur, nec vellet ad mandatum Angelorum egredi è civitate, paulò pòſt à depluo è cœlis igne incineranda, *apprehenderunt manum ejus, & manum uxoris & duarum filiarum ejus, eduxerúntque eum, & poſuerunt extra civitatem.*

Verùm nec defuit talis cura & ſolicitudo Angelorum in novo Teſtamento hominibus; certè vel uni Apoſtolorum Principi Petro, in manifeſto vitæ diſcrimine conſtituto, quàm velociter non ſuccurrerunt? nam etſi à quatuor quaternionibus militum cuſtodiretur in carcere, etſi inter duos milites, vinctus duabus catenis detineretur in craſtinum producendus; etſi denique ſeris portíſque ferreis occluderetur, adfuit nihilominùs ex improviſo miſſus à DEO Angelus, qui eum etiam dormientem; è carcere incolumem educeret: *Ecce Angelus Domini*
Actor. 12. *aſtitit* (ajunt Acta cap. 12.) *& lumen refulſit in habitaculo, percuſſóque latere Petri, excitavit eum dicens: Surge velociter, & ceciderunt catenæ de manibus ejus. Dixit autem Angelus ad eum: præcingere & calcea te caligas tuas, & fecit ſic: & dixit illi, circumda tibi veſtimentum tuum, & ſequere me, & exiens ſequebatur eum.* Adeò ut incognitus, utramque cum Angelo tranſiret cuſtodiam, ipſáque porta ferrea, quæ ducit ad civitatem, ultrò aperiretur eis, darétque Petro evadendi locum; hinc ipſemet poſtea ad ſe reverſus (exiſtimabat enim ſe ſomniare, aut viſum quodpiam videre) gaudens dixit: *Nunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Judæorum.*

N. 206. Præterea ſi præclaros, magnæ illius heroinæ Judithæ, mente mea pervolvam Actus planè intrepidos, qui totam Aſſyriorum virtutem & potentiam in confuſionem conjecerunt, ipſam verò incoinquinatam con-

Digitized by Google

conſervârunt. Animadverto eam in hocce peccandi periculo, potiſſimùm præſervatam fuiſſe à Tutelari ſuo Angelo. Nam poſtquam ſpolijs onuſta, victrix ac glorioſa in urbem revertiſſet, coram univerſo Hebræorum populo in eminentiori loco ſtans, ut ab omnibus perciperetur, palàm poſt DEUM Angelo ſuo attribuit quod ab Holoferne; qui tamen *exarſit in concupiſcentia ejus*; mirabiliter intacta permanſerit. Hinc: *Vivit ipſe Dominus*, claris faſſa eſt verbis, *quoniam cuſtodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem; & non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari, ſed ſinè pollutione peccati, revocavit me vobis, gaudentem in victoria ſua, in evaſione mea & in liberatione veſtra.* Judith. 13. *Judith. 13.*

At mirabiliùs eſt illud, quod de Sanctiſſima utì & invictiſſima Virgine Nicomedienſi Theophila nomine, commemorant Hiſtorici, maximè D. Baſilius lib. de ver. virg: Hæc cùm ſpreta idololatria, & abjecto execrabili inanium Deorum, ſeu veriùs Cacodæmonum cultu; palàm ſe Chriſtianam profeſſa, ac ob id ad Cæſarem Diocletianum, tum Nicomediæ ſubſiſtentem, delata fuiſſet: abſque mora ad cæſareum evocata fuit tribunal, ut ei aut Chriſtus cum virginitate, aut vita ipſa eriperetur: *Venit proinde coronæ dies* (libet verba mutuare à Divo Ambroſio de alia Virgine & Martyre Antiochena, lib. 2. de virg.) *maxima omnium expectatio, producitur puella, duplex profeſſa certamen, & caſtitatis & Religionis: ut ergo ſpecie caſtitatis religionem tollerent, aut ſacrificare virginem, aut lupanari proſtitui jubent. Virgo, non quòd de religione ambigeret, ſed de pudore trepidaret, ajebat ſecum: Quid agimus hodie? aut Martyr aut Virgo, altera nobis invidetur corona. Sed nec Virginis nomen agnoſcitur, ubi virginitatis Auctor negatur. Tolerabiliùs eſt mentem Virginem, quam carnem habere, utrumque bonum ſi liceat, ſi non liceat, ſaltèm non homini caſta, ſed DEO ſimus.* Conſtans igitur in propoſito Theophila, ex Cæſaris mandato abducitur ad lupanar proſtituenda, ut ereptâ vi virginitate ipſi quoque eriperetur Chriſtus: *Sed ubique DEI Virgo eſt* (verba ſunt rurſus D. Ambroſij) *DEI templum eſt, nec lupanaria infamant caſtitatem, ſed caſtitas etiam loci abolet infamiam. Clauditur intus columba, ſtrepunt Accipitres foris, certant ſinguli, qui prædam primus invadit. At illa manibus in cœlum levatis, quaſi ad domum veniſſet orationis, non ad diverſorium libidinis, Chriſte inquit:* *D. Baſilius.* *D. Ambroſ.*

 qui

qui domuiſti Danieli Virgini feros leones, potes etiam domare hominum feras mentes, Suſanna ad ſupplicium ducta, genu fixit, & de adulteris triumphavit, aruit dextra, quæ templi tui dona violabat; nunc templum ipſum attrectatur tuum, non patiaris inceſtum ſacrilegij, qui non paſſus es furtum. Benedicatur & nunc nomen tuum, ut quæ ad adulterium veni, Virgo diſcedam. Vix compleverat precem Theophila, ecce Angelus Domini aſtitit illi, erexit & animavit anxiam, ac indubitatam ei virginitatis conſervationem appromiſit. Interim moræ omnis impatientes laſcivi juvenes, audacter in conclave irruunt, ſed pudoris templum propugnante Angelo, primus in terram corruit mortuus, reliqui cæcitate percuſſi, quaſi ebrij oberrantes quærebant portam quam ægrè tandem invenerunt; digreſſis illis Angelus Domini, intactam ſuam Theophilam, per mediam turbam hominum foris expectantium inviſibilem deduxit ad Chriſtianorum locum: ubi pro ea preces ad DEUM fundebant. O quàm bellè & ipſa hiſce periculis erepta, velut altera Judith dicere poterat: *Vivit Dominus quoniam cuſtodivit me Angelus & hinc euntem, ad Cæſarem & ibi commorantem in lupanari, & inde huc revertentem, & non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari; ſed ſinè pollutione peccati, revocavit me vobis.*

N.207. Denique promptum planè Angelorum ſpectem auxilium; quod omni loco & tempore clientibus ſuis impendunt, video non ſolùm eos tueri ac defendere aſſveviſſe, ſed etiam in quavis neceſſitate conſtitutis velociſſimè ſuccurriſſe. Nam ut in præſenti nihil memorem de
Geneſ. 21. mœſta Agar & ſitienti Iſmaële? Geneſ: 21. cui Angelus comparens, etiam in deſerto & inaquoſo excitavit puteum aquæ; quâ refocillatus ſitim & mortem pelleret. Nihil de juniore Tobia, quem ſimiliter Angelus ſolatus in itinere, defendit à piſce; eripuit à dæmonio, ſalvum &
Tob. 5. & 6. incolumem duxit & reduxit, Tob. c. 5. & 6. Satis ſupérque id ipſum indicat, vel unicus S. Propheta Elias, quàm promptè ſibi ſuccurrerint *veloces Angeli*. Hic ſanè à facie peſſimæ Jezabelis profugus, cùm in vaſta eremi ſolitudine oberraret, ac ob defectum cibi & potûs toto corpore deficeret, projecit ſe ſubter unam juniperum, *petivit anima ſua*
3. Reg. 19. *ut moreretur, & ait, ſufficit mihi Domine, tolle animam meam, neque enim melior ſum quàm Patres mei.* Verùm & ipſi Angelus è veſtigio miſſus eſt in miniſterium, qui panem & aquam laſſo deferret, ac refe-

Digitized by Google

fectum ad progrediendum hortaretur. *Nam Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi, ſurge & comede; reſpexit & ecce ad caput ſuum, ſubcinericeus panis & vas aquæ; comedit ergo & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus & quadraginta noctibus, uſque ad montem DEI Horeb.*

At ſimilia Angelorum beneficia, innumera propè Chriſtianis collata eſſe, & etiamnum liberaliter conferri deprehendo, ſi ſacras evolvam hiſtorias. Nam de S. Onuphrio recenſent acta Patrum; eum non ſemel ùt Eliam, ſed pene quotidie ab Angelo refectum fuiſſe: *Per ipſos enim ſexaginta annos* (ait hiſtoria) *panem & aquam quotidie, Euchariſtiam autem diebus Dominicis Angelus miniſtravit.* Sic etiam de S. Joanne Abbate narrat Palladius Epiſc. Helenop. in lauſai. c. 46. *Novi ego hominem in ſolitudine, qui decem annos, cibi terreni nihil guſtavit; ſed Angelus tertio quoque die cœleſtem cibum ad eum afferebat. B. Amuph verò Anachoreta, hæc quoque de ſe faſſus eſt* eidem Palladio, ùt refert c. 58. *ex quo Servatoris nomen profeſſus ſum; humani cibi nil ſumpſi, alente me quotidie Angelo.* Ah quid vetera accumulo exempla, cùm noſtris quoque temporibus complúra habeamus, in quibus Angelorum ſuccurrentium, maxima elucet ſolitudo. Certè vel in nupero illo horribili terræmotu Calabriæ, nonnullos Angelorum expertos eſſe auxilium, teſtatur noſter Julius Cæſar Recupitus, in ſcripto quodam Neapoli 1638. impreſſo his verbis: *Narrantur etiam inter tot divinæ iræ argumenta alia quædam eximiæ benevolentiæ pignora. Redonatam ſcilicet cœlo è ruinis poſt tres & eò ampliùs exactos à terræmotu dies, cum filiis duobus mulierem; Octavij Pariſij ſororem hanc exanimem, illos ſpirantes vegetóſque, nullo nec doloris nec famis judicio. Admirabundi qui aderant ſciſcitari, quanam vi in terræ cavernis, ac veluti inter ſepulchrales tenebras conditi, tot diebus ſinè cibo potúque traductis, evaſiſſent tam integri, valentéſque? affirmant illi, quotidie juvenem eleganti aſpectu, atque aureo amictu fulgentem apportáſſe fercula, panes, vermiculos farinaceos, minutatim conciſos piſces, omnia bene condita, frigidam etiam ad potum; quibus recreati ac refecti, dies ibi noctéſque nullo cruciatu, nulla fame tranſegerint. Suſpexêre omnes divinæ clementiæ munera: nec dubitatum, quin hæc ejus Angeli miniſterio contigerint, qui alterutrum ex ijs cuſtodiendum ſuſceperat. Nec reticendum, intra quadrageſimales dies, nonniſi eos cibos allatos,*

Margin notes: N. 208. — *Vitæ Patrum.* — *Litteræ Neapol.*

Digitized by Google

tos, quibus juxta Eccleſiæ præcepta veſci liceret: Angelis ipſis contra hæreticorum perfidiam, ſolemnis jejunij jura novo miraculo conteſtantibus. Jure meritò igitur de beatiſſimis Angelis cum D. Auguſtino dicere poſſum: *Magna profectò eſt ſolicitudo Angelorum, adjuvant enim nos laborantes, paſcunt eſurientes, protegunt quieſcentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, compatiuntur patientibus.*

N.209. Quare cùm tam benefici ſint Sancti Angeli, *& quilibet ab ortu nativitatis ſuæ, habet in cuſtodiam ſui delegatum Angelum: ſimus proinde* *D. Bernard. ſerm. 12. in Pſalm. 90.* *devoti, ſimus grati* (verba ſunt S. Bernardi) *tantis Cuſtodibus: redamemus eos quantum poſſumus, quantum debemus*; & quidem redamemus eos *affectuosè* tanquam aliquando futuros nobiſcum regni cohæredes. Redamabimus autem, ſi bonas inſpirationes & monita eorum promptè ſuſceperimus, vitia declinaverimus, & virtutibus dediti, inculpatam duxerimus vitam: *D. Auguſtin.* *Nam quoties bene agimus* (ait D. Auguſtinus in ſoliloq. c. 27.) *lætantur Angeli, & triſtantur dæmones; quoties autem à bono deviamus, diabolum lætificamus, & Angelum noſtrum ſuo gaudio defraudamus.* Maximè verò ingenti eos afficimus mærore, imò planè à nobis abigimus, ſi poſt crebras eorum dehortationes, adhuc peccatis nos immergamus: *Quemadmodum enim apes fugat fumus* (ait *D. Baſilius.* D. Baſilius homil. 9. in Pſal. 33.) *& columbas graveolentia expellit; ſic Cuſtodem vitæ noſtræ Angelum, lachrymoſum & graveolens abigit peccatum.* Quid mirum nunc ſi iidem vigilantiſſimi Cuſtodes, videntes ho- *Ierem. 51.* minem in peccatis ſuis obdureſcere, illud Jerem. 51. cap. rurſum repetant, ac dicant: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, relinquamus* *Origenes.* *eam*; hoc eſt, ùt explicat Origenes hom. 2. in Jerem: *Adhibuimus adjutorium, medicinam impoſuimus, multum contumax eſt, non vult obſervare, quod dicimus, ergo relinquamus eum. Cave igitur ô homo* (addit idem Doctor) *nè quando te relinquat medicus, Angelus DEI.*

S. Bernardus. Quod nè alicui contingat, obſervet obſecro dictum D. Bernardi, quod ſuis commendare aſſveverat, his verbis: *Habetote familiares Angelos fratres mei, frequentate eos ſedula cogitatione, & devota oratione, qui ſemper nobis adſunt, ad cuſtodiam & conſolationem; præſertim verò, in quovis diverſorio, in quovis angulo, reverentiam habe Angelo tuo, & nè audeas illo præſente, quod me vidente non auderes.* Hæc ſi fecerimus, fiet, ut animam noſtram in hora exitûs ſui de corpore,

non

non ſolùm in ſinum Abrahæ, ùt quondam Lazari, ſed in ipſum quoque Beatitudinis Regnum cum gaudio deferant.

In Feſto S. Michaëlis Arch-Angeli.

Concio III.

Dux & Defenſor Chriſtianorum Michaël.

S. Bernardus.

Argumentum. *Cùm D. Michaëli, cæleſtis militiæ Principi à DEO optimo commiſſæ ſint omnes animæ ſuſcipiendæ; oſtenditur hac dictione, eum præ cæteris Angelis Ducem & Defenſorem eſſe Chriſtianorum: ſiquidem verè tanquam pernix fulgur, univerſam quæ ſub cælo eſt terram obit, pióſque qui affliguntur, adit, recreat, conſolatur. Teſtantur enimverò id non ſolùm è veteri Teſtamento, qui producuntur, Patres ſanctiſſimi, Iſaac, Joſue, Gedeon, Ezechias, quibus in extremis etiam ſubvenit vitæ periculis; ſed inſuper in Lege gratiæ D. Conſtantinus, D. Wenceſlaus, & Carolomannus, quibus haud vulgaria contulit beneficia.*

Væ Mundo à ſcandalis. *Matth. c.* 18.

Magnus Anachoretarum Princeps D. Antonius, ùt veterum Patrum referunt acta, præſertim D. Athanaſius in ejus vita, cùm vice quadam in oratione abſtractus vidiſſet mundum univerſum, retibus ac laqueis à diabolo, ità eſſe obductum ut vix ulli hominum pateret ad cœlum tranſitus; maximè verò obſervâſſet, immanem dæmonem in figura Æthiopis adſtantem, animas avium inſtar evolantes, alias repellentem, alias immaniter jugulantem; dicitur cordis dolore tactus exclamâſſe: *O Domine! quis hos laqueos evadere poterit?* At quid mirum quod DEUS hæc magno Antonio exhibuerit, cùm

N. 210. *Vitæ Patrum.*

cùm revera mundus ſit ſimilibus intricatus laqueis & *ſcandalis*, ſeu veriùs tentationum offendiculis. Hinc clarè Chriſtus ſuis prædixit his
Matth. 18. verbis: *Væ mundo à ſcandalis*; hoc eſt, ùt explicat noſter Cornelius à
P. Cor. à Lap. Lapide, *Væ & malè erit mundo propter ſcandala, id eſt, propter dæmonum tentantium, & hominum improborum offendicula.* Proinde ſi cum
D. Auguſtin. D. Auguſtino mundum penitiùs inſpiciam; adverto veriſſimum eſſe illud, quod lib. confeſſ. effatus eſt: *Mille ſunt ſcandala ſeu pericula in mundo, in quo non periclitari impoſſibile eſt; cùm per multa pericula perveniatur ad majus periculum, & licèt blandiatur aliis, tamen magis cavendus eſt mundus, cùm ſe illicit diligi, quàm cùm admonet cogitque*
D. Bernard. *contemni.* Unde & D. Bernardus, ut ſuis varia eáque gravia mundi pericula ob oculos poneret, ſic ea deſcripſit: *Mundus eſt, ubi malitia plurimùm, ubi omnia ſunt viſcoſa, omnia lubrica, omnia operta tenebris & obſeſſa laqueis & offendiculis; ubi periclitantur animæ, & affliguntur corpora.* Nec diſſenſit D. Thomas Villan. dum ait: *In mundo dæmonum inſidiantium innumera eſt multitudo, quorum omne ſtudium eſt, laqueos parare, ſuffodere foveam, offendiculum ponere, ut homines illaqueentur, & ruant; capiantur demum, & internecioni dedantur.*

N. 211. Idcirco DEUS optimus maximus cùm prævidiſſet mundum fore plenum ejuſmodi ſcandalis, ac ob illa paucos ſalvandos, niſi potens haberet auxilium, ordinavit ſapientiſſimè, ut unaquæque anima haberet ab ortu nativitatis ſuæ, in cuſtodiam ſui delegatum Angelum:
P. Barradius. *Nam ut à ſcandalis, quibus plenus eſt mundus* (affirmat idipſum P. Barradius noſter) *liberentur homines, ſubmiſit Angelos, qui dent auxilium.* Quod etiam tantâ curâ & ſolicitudine peragunt, ùt D. Auguſtino teſte
D. Auguſt. in ſoliloq. c. 27. *Adſint nobis omnibus horis & locis, ſuccurrentes & providentes neceſſitatibus noſtris.* Et quod bene notandum; licet ab hominibus ſæpiùs etiam & graviùs offendantur, utpote à Judæis, Turcis, malis Chriſtianis, qui verbo & opere blaſphemant nomen Domini, tamen eos non deſerunt, ſed omni modo conantur ad meliorem revo-
S. Pet. Dam. care frugem. Pulchrè ſanè id declarat D. Petrus Dami: *Licèt Angeli*, ait ſerm. de ipſis, *à nobis frequenter injurias patiantur, ſuſtinent tamen & compatiuntur peccantibus, nec minor illorum circa nos eſt cuſtodia, imò major ſolicitudo, cùm boni Cuſtodis ſit, infirmis magis quàm ſanis opem exhibere.* Et hæc omnia eum in finem præſtant, ut nos aliquando habe-

Digitized by Google

habere poſſint in cœlo gaudiorum ſocios & commilitones: *Diligunt enim nos*, ait D. Auguſtinus, *nempe concives ſuos, & quos ſua ruina ſciſſuras inſtaurare expectant.* S. Auguſtin.

Omnium verò maximè Fidelium curam ſuſcipit Beatorum Spirituum Princeps Sanctiſſimus Archangelus Michaël, qui tanquam *Protector Chriſtiani Populi* plurimum adlaborat, ut ſcandala & offendicula de mundo tollat, ac Chriſtianos periculis ereptos, in cœleſtem ſuſcipiat paradiſum. Bene proinde de ipſo ait D. Panthaleon Diaconus: S. Panthal. *S. Michaël tanquam pernix fulgur ætherem obit & univerſam, quæ eſt ſub cœlo terram, uno momento pervadit, piósque qui affliguntur, adit, recreat, conſolatur.* Unde qualia beneficia nobis Chriſtianis Sanctiſſimus hic Archangelus exhibere ſoleat, paucis declarabo, ut ei tanquam Protectori, cui commiſſæ ſunt omnes animæ ſuſcipiendæ, ſemper vivamus grati.

Purpuratus utì & eruditus Romanæ Eccleſiæ Præſul D. Petrus Dam. glorioſiſſimum cœleſtium Spirituum anteſignanum D. Michaëlem, ejúſque res geſtas deſcripturus, his verbis panegyricam ſuam exorſus eſt: *Quis dignè poteſt Michaëlis cœleſtis militiæ Principis ſcribere elogia, qui cunctis ordinibus Angelorum major eſt?* Nec abs re ſciverat enim Sanctiſſimum hunc Angelum, omnem præeminentiam, quâ cæteris prælatus eſt Angelis nonniſi per acerrimam in cœlo pugnam, cum Lucifero & Angelis ejus, glorioſè promeritum eſſe. Et ſanè quis non miretur, ut primùm ille Angelus Apoſtata, ambitionis ac invidiæ facibus extimulatus, diviſionem inter Angelos inſtituit; montem teſtamenti auſu prorſus temerario aggreſſus ipſum Altiſſimum, arroganti ſuo intellectu, quaſi validiſſimis armis impetiviſſet; ecce, hærentibus fors cæteris, è veſtigio zeloſiſſimus divinæ gloriæ Michaël, aſſumptâ hac teſſerâ *Quis ùt DEUS* (quæ poſtmodum ei in nomen tranſijt) huic arrogantiſſimo cœlorum Turbatori ſeſe imperterritè oppoſuit, ac Divo Joanne teſte, Apocal. c. 10. *Ipſe & Angeli ejus præliabantur cum Dracone*; tanto cum ſucceſſu, ut cœlo exturbatum, cum perduellibus cæteris eum in inferno cruciandum, æternis addixerit pœnis. Unde meritò à DEO optimo pro cujus honore, tam ſtrenuè zelatus fuerat, *Sanctis Spiritibus prælatus eſt, ſicut Lucifer malis*, ait D. Laurentius Juſti- N. 212. S. Pet. Dam. Apocal. 10. S. Laur. Juſt.

nianus, ac in maximam æviternámque ei ceſſit laudem; quòd omnes Angelos ſub ſua nactus ſit poteſtate.

Certè ſi Laërtius laudaturus magnum Cæſarem, exiſtimabat ſe nil meliùs facturum, quàm ſi eum laudaret à devicto, ſuperatóque Pompejo, atque illud ſæpius ingeminaret: *Cæſar ſub poteſtate ſua nactus Pompejum.* Non fallar, ſi & ego Sanctiſſimo Michaëli, Angelorum maximo, illud ipſum laudi tribuam ac dicam: *Michaël ſub poteſtate ſua nactus eſt Luciferum & Angelos ejus.* Luciferum inquam, eximiæ prorſus potentiæ & pulchritudinis, de quo Ezechiel cap. 28. ait: *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientiâ, & perfectus decore, in deliciis paradiſi DEI fuiſti, omnis lapis pretioſus operimentum tuum.* Nec aberrabo, ſi & illud pro gloria ejus immortali adjecero: *Michaël ſub poteſtate ſua Angelos quoque bonos nactus eſt*; ſiquidem & ijs ob propugnatum DEI honorem prælatus eſſe noſcitur. Idcirco & magnus Baſilius hunc Angelorum ſummum, quotidie pene hac prece ſibi demereri ſtudebat: *Tibi, ô Michaël, Duci ſupernorum Spirituum, qui dignitate & honore cæteris omnibus prælatus es, tibi inquam ſupplico.*

Laërtius. *Ezechiel. 28.* *S. Baſilius.*

N.213. Nihilominus, cùm D. Paulo Apoſtolo docente ad Hebr. 1. *Angeli omnes ſint adminiſtratorij Spiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis.* Adverto & ipſum D. Michaëlem, non obſtante eximiâ illâ dignitate, qua Angelorum ſummus eſt etiam hominibus, iiſque nonniſi Fidelibus, additum eſſe in Præſidem & Protectorem, ut eos omni loco & tempore adversùs quoſvis hoſtium inſultus tueatur, atque defendat. *Nam alios Angelos* (ait bellè D. Panthaleon) *conſtituit DEUS, ut alienas & ignotas gentes regerent, ſummè autem venerandum militiæ Principem D. Michaëlem, meliorum & fideliſſimorum hominum eſſe Præſidem, & eorum ſalutis curam gerere voluit.* Hinc quemadmodum in veteri Lege conſtitutus fuit Protector Populi DEI, ità & in nova D. Bernardo teſte: *Factus eſt Dux & Defenſor Chriſtianorum.* Siquidem *ſuos ab omnibus eripuit neceſſitatibus ab hominum ſcandalis conſervavit, à periculis & moleſtiis liberavit, ab incurſu hoſtium defendit.* Adeò ut non minora, ſed majora etiam protectionis ediderit ſpecimina in Lege nova, quàm unquam ediderit in veteri.

Hebr. 1. *D. Panthal.* *D. Bernard.*

N.214. Magnum enimverò erat illud beneficium, quo optimi Parentis Filium obedientiſſimum affecit Iſaacum; dum vitam ei ſub ipſo gladij ictu

Digitized by Google

ictu ſervavit illæſam. *Nam inter præclara D. Michaëlis geſta* (ait citatus Panthaleon) *eſt, quod Abraham comitatus ſit, cùm è terra ſua egrederetur, qui & manu tenuit gladium, ne Iſaac interficeretur.* Verùm non abſimilia, Fidelibus quoque ſuis contuliſſe reperitur, idem Sanctiſſimus Chriſtianorum Defenſor, quando illos non ſemel ſed ſæpius, manifeſto ſubduxit mortis periculo. Exemplum ſanè luculentiſſimum habemus in Divo Bohemorum Duce Wenceſlao, Principe ſacerrimo, quem ſub ipſo quoque adverſarij ſui ictu ſervavit incolumem. Nam ùt refert Dubravius lib. 4. c. 5. rerum Bohemicarum ſcriptor graviſſimus; cùm Radislaus Caurzimienſium Princeps, magno undique collecto exercitu, Ducem ſanctiſſimum ex improviſo aggreſſus fuiſſet, ejúſque ditionem hoſtili prorſus modo ſubintrâſſet; coactus fuit & ipſe ex tempore colligere militem, qui hoſtium conatus reprimeret, ac pro viribus vim vi repelleret. Verùm veritus pijſſimus Dux, viſo grandi utriuſque partis exercitu, ne ſi collatis utrimque ſignis dimicaretur ferventiùs, multus innocuus ſangvis effunderetur, mox ad eam cladem avertendam, ſingulare hoſti obtulit certamen, ut ipſi inter ſe de ſumma rei decernerent: non abnuit Radislaus, imò cum gaudio, viribus ac armis ſuis confidens, in arenam, ferro undique tectus, generóſque vectus Caballo, inſpectante utrinque exercitu deſcendit adverſùs Divum Wenceslaum, unicâ nonniſi loricâ indutum, quæ cilicium conſvetum tegebat in corpore. Interim dum ferox Antagoniſta quaſi certus de victoria lanceam, in adverſum S. Wenceſlai pectus dirigit, & pleno impetu irruere tentat; ecce ſubitò eum cœlitum præſidio vidit obvellatum Angelúmque ponè adſtantem (Hiſtoricus putat fuiſſe D. Michaëlem, cui ſpecialiter devotus erat) qui voce illa terrificâ, *Ne feri*, ruentis impetum ſtitit, unáque effecit, ut Radislaus quaſi fulmine ex equo dejectus D. Wenceſlai pedibus acciderit, ab eóque delictorum ſuorum veniam humillimè expetierit. En quomodo ex ſententia D. Auguſtini: *Angeli*, maximè D. Michaël, *adjuvent laborantes, hortentur pugnantes, coronent vincentes.*

Genes. 22.
D. Panthal.
Dubravius.

Præterea ſi eoſdem ſacros, præſertim Judicum & Regum revolvam faſtos rurſum adverto ſanctiſſimum Protectorem Populi DEI Divum Michaëlem, non ſemel ſed ſæpius ſuos ab hoſtium, undique eos vallantium eripuiſſe inſultibus, profligatis interim, imò pene interme- N. 215.

Digitized by Google

cione deletis hoſtibus. Certè ut nihil memorem de victorijs & triumphis magni Iſraëlitarum Principis Joſue; qui Sancto hoc comitante Archangelo triginta unum Reges ſuæ ſubjecit potentiæ, ac plurima adverſariorum delevit millia. Nihil proferam de invictiſſimo Hebræorum Judice Gedeone, qui trecentis ſolùm ſtipatus militibus eodem Duce & Adjutore, grandem Madianitarum exercitum, comprehenſis eorum Ducibus, feliciſſimè proſtravit Jud. 6. Satis ſupérque idipſum declarat ſtupenda illa Aſſyriorum clades, quæ in gratiam obſeſſi Regis pijſſimi Ezechiæ, ab hoc Sanctiſſimo Populi DEI Protectore, unicâ nonniſi nocte confecta eſt. Nam poſtquam Sennacherib urbem Jeroſolymam, aliquot centenis millibus arctiſſimâ cinxiſſet obſidione, & jam habitatores fame preſſi, eò deveniſſent, ut vix aliquid haberent ad manducandum; imò quod exhorreſcendum! Mater quæpiam ſui oblita filium proprium jugulâſſet, ac coxiſſet: Ecce *nocte illa* (ait ſacer Hiſtoricus 4. Reg. 19.) *venit Angelus Domini, & percuſſit in cunctis caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia*; & hunc Angelum fuiſſe Protectorem Populi DEI Sanctiſſimum Michaëlem, diſertis affirmat verbis D. Panth. Diaconus: *Nam cujus hoc fuit ſtupendum, præclarúmque & admirabile facinus & potentia?* quærit hic ſanctus Scriptor; reſpondet verò: *Nonne omnium Regis Domini Sabaoth Principis copiarum Michaëlis? qui non viſus duxit exercitum, & adverſarios, temporis momento ſuo gladio apertè concidit.* D. Michaël ſanè obſeſſo huic Regi, & inediâ laboranti populo; more ſuo velociſſimè ſubvenit, eóſque ex improviſo mortis ſubduxit periculo.

Ioſue 12. — *Iudic. 6.* — *4. Reg. 19.* — *D. Panthal.*

At non minora Chriſtianis ſuis præſtitiſſe cenſendus eſt, qui eodem D. Panthaleone teſte: *Fidelium populorum Eccleſias exhilarat; Romanorum cuſtodit rempublicam, Imperatores armavit adverſùs Barbaros, Chriſtianos reddidit victores.* Clara enimverò teſtimonia hujus rei dabit magnus ille Imperatorum Conſtantinus, qui ubi à potentiſſimis duobus exercitibus; Licinij & Maximini circumdatus eſſet, præſentem planè Sanctiſſimi hujus Chriſtianorum Defenſoris opem expertus eſt. Nam de nocte (ùt ait Nicephorus lib. 7. c. 50.) ſomno oppreſſum excitavit, ac his verbis blandè ſolatus eſt: *Ego ſum Michaël Archi-Dux Domini Sabaoth, Chriſtianorum Fidei Tutor, qui tibi contra impios Tyrannos belligeranti arma auxiliaria confero.* Dixit & mane lateri ejus

D. Panthal. — *Nicephorus.*

ad-

adhærens, hoſtes proſtravit & incruentam propè Conſtantino ſuo victoriam attribuit. Nec alia proferre poterit teſtimonia, ſtrenuus ille Gallorum Rex Carolomannus, quem ſimiliter Sanctus Michaël Anno 709. contra Saxones idololatras pugnantem, viſibili ſpecie, in aëre, flammeam romphæam geſtans ac univerſum ejus exercitum præcedens, fortiſſimè adjuvit, omnéſque hoſtes fregit, debellavit. Idcirco etiam Carolomannus ſuo ut ſemper gratus eſſet Adjutori, in labaris ſuis hanc epigraphen circumferebat: *Ecce Michaël, unus de Principibus primis venit in adjutorium meum.* *Daniel. 10.*

Hæc aliáque exempla dum pondero optimè feciſſe comperio **N. 216.** ſanctam Matrem Eccleſiam, quæ vigilantiſſimum Defenſorem ſuum pingere ſolet, aureâ loricâ tectum, geſtantem romphæam flammeam; ſiquidem verè omni loco & tempore, contra quoſcunque hoſtium incurſus, præſentiſſimum ejus ſemper ſenſit patrocinium; hoſtes verò debellati ultricem ejus experti ſunt dexteram. Verùm ſi ulteriùs indagem, cur enſe flammeo ejus armetur manus? dicitur mihi à D. Panthaleone, eum non ſolùm hunc in finem romphæam geſtare, ut hoſtes perdat atque profliget, ſed ut peccatores quoque hâc impellat ad pœnitentiam: *Divo Michaëli flammea romphaa eſt* (ait ipſe) *quia peccatores quoque ad viam pœnitentiæ deducit.* *D. Panthal.* Quod etiam, tam in veteri quàm novo Teſtamento gnaviter præſtitit. Dicite mihi proinde, quiſnam fuit ille Angelorum, qui gladio ſtricto Balaam Prophetam, ſedentem in aſina perterrefecit? eíque pecuniâ jam corrupto à Rege Balaac, ut è monte malediceret Populo DEI; perſvaſit imò adegit, ut eidem benediceret, Num. 24.? nunquid non erat is Sanctus Michaël Protector Populi DEI? *Numer. 24.* *Michaël ſanè fuit* (ait rurſum citatus D. Panthaleon) *qui pergentem Balaam, ut malediceret Iſraël, perterrefecit, enſe evaginato dicens: perverſa eſt via tua mihíque contraria.* *D. Panthal.* Pari ratione quis fuit & ille, qui patrato adulterio à Davide Rege comparuit Prophetæ Nathan, eúmque ut adiret Regem compulit, ac ad arguendum illum ſceleris, incitavit? nunquid non etiam erat Sanctus Michaël? *Michaël enim* (ait & hic D. Panthaleon) *Propheta David apparuit, reſplendentem tenens lanceam, & ei animum addidit, ad arguendum David, propter lapſum qui ei acciderat.* Sed & inter Chriſtianos eum peccatorum egiſſe adhortatorem in comperto eſt; ſiquidem complures eorum à

Digitized by Google

ſceleribus revocatos, ad meliorem compulit frugem. Plurima ſanè id variorum Authorum declarant exempla.

N. 217. Maximè verò Sanctiſſimus Michaël romphæam geſtare dicitur à Panthaleone: *Ut ſcindat machinationes adverſariorum infernalium, id eſt, ut protegat* Chriſtianos ſibi commiſſos à tentatione dæmonum. Hinc ſi verùm eſt illud D. Laurent. Juſtin. quod de Sanctis Angelis in communi commemorat dicens: *Ipſi aëreas coërcent poteſtates, ne ad libitum nos tentent; eorum detegunt fraudes, eorum argumentis obviant, ſi cadimus, nos erigunt, ubique tanquam fideles comites nos inſtruunt & tuentur.* Vel maximè id faciet, Chriſtianorum Defenſor acerrimus, cui DEUS ſpecialiter commiſit, omnes animas ſuſcipiendas. Quas etiam præſentiâ ſuâ corroborare non deſinit, & ne hoſtium tentationi ſuccumbant, dexterrimè eliberat; & meritò, *neque enim verſutiæ* (verba ſunt S. Petri Damiani) *tam callidi, tam exercitati hoſtis, poſſet fragilitas humana reſiſtere, niſi eos à tentationibus electorum, virtus Angelica* (præſertim Divi Michaëlis addo ego) *propulſaret.* Unde quemadmodum in veteri Lege ipſe tanquam Protector Populi DEI ſuccurrit innocentiſſimo Prophetæ Danieli, ſedenti in medio leonum, eorúmque concluſit fauces, ne nocerent ipſi: Nam *miſit Dominus Angelum ſuum* (fatetur ipſe) *& concluſit ora leonum.* Daniel. 6. Ità & in Lege gratiæ ſuccurrit quàm velociſſimè Chriſtianis in tentationum lacu poſitis, eóſque defendit à maligno illo ſpiritu, qui *tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.*

D. Laur. Juſt. — *S. Pet. Dam.* — *Daniel. 6.*

N. 218. Cùm autem potiſſimùm homines tentare ſoleat, conſtitutos in extremis, juxta illud D. Cypriani: *Adſunt nobis tunc exercitus & poteſtates tenebrarum, quos intuens anima turbâtur, tremit, horreſcit, anguſtiatur, refugit.* Idcirco S. Michaël tum temporis vel maximè tentatis adeſt, romphæâ ſuâ Cacodæmones abigit, & commiſſam ſibi animam tuetur. Teſtatur enimverò id memorabili exemplo S. Anſelmus, de Religioſo quopiam ſui Ordinis Oſberto nomine, qui ter graviſſimè à Dæmone tentatus, ter propugnante eum Sancto Michaële, tentationem feliciſſimè vicit. Nam cùm in extremis jam conſtituto, Dæmon primùm ei objiceret omnia peccata commiſſa ante baptiſmum (adultâ enim in ætate baptizatus fuerat) Sanctus Michaël mox pro eo reſpondit, ea omnia fuiſſe deleta per baptiſmum; cùm ſecundò objice-

S. Cyprianus. — *S. Anſelmus.*

ret

ret ei alia peccata commiſſa poſt baptiſmum in ſæculo; rurſum Sanctus Michaël repoſuit, ea omnia fuiſſe deleta per ingreſſum Ordinis: denique cùm Cacodæmon inſtaret fortiùs, & Osberto objiceret, multa peccata commiſſa in Ordine, & ob ea poſtularet animam ejus, pœnis æternis addici; hic quoque Sanctus Michaël clientem ſuum è veſtigio tuitus eſt dicendo, omnia illa fuiſſe dimiſſa ipſi propter eximiam ejus obedientiam & patientiam; quo dicto romphæâ ſuâ flammeâ, tentatorem hunc perverſum abegit, & Osberti animam ad paradiſi gaudia lætantem ſuſcepit.

Quare cùm optimus ac providentiſſimus DEUS, Divo Bonaventura teſte, *Divum Michaëlem conſtituerit Principem ſuper omnes animas ſuſcipiendas*; imò ipſa Mater ſancta Eccleſia in Miſſa Defunctorum ardentiſſimè poſtulet à DEO, ut Sanctus Michaël ipſi Defunctorum offerat animas, dicendo: *Signifer Sanctus Michaël repræſentet eas in lucem ſanctam, quam olim Abrahæ promiſiſti & ſemini ejus*: æquum omnino & juſtum, ut dum vivimus, ſemper Sancto Michaëli tanquam Patrono, Protectori & Defenſori noſtro vivamus grati, illúdque identidem cum Sancto Sophronio Archi-Epiſcopo Conſtantinopolitano animitùs repetamus: *Iterum re & nomine Michaël te oro, & quanto poſſum ſenſu obteſtor, ut è vitæ hujus curriculo exituro, lætus pacatúſque appareas, méque ſub honorato alarum tuarum velamine abſcondas, atque ex anguſtiis, obſcurìſque inferorum locis ereptum, in locum tabernaculi admirabilis conſtituas.* D. Bonave. S. Sophron.

CLAS-

CLASSIS IV.

FESTA SS. PATRIARCHARUM NOVI TESTAMENTI.

In Feſto S. Joannis Baptiſtæ.

Concio I.

Homo miſſus à DEO. Joan. I.

Argumentum. *D. Joannem Baptiſtam Præcurſorem Domini*, Hominem inter natos mulierum maximum, *imò* Hominem excellentiſſimum, qui univerſitatis humanæ tranſcendit aſcenſum, *hâc dictione pro tenuitate mea aſſumpſi laudandum. Oſtendo proinde eum,* Filio Hominis, *Chriſto JESU fuiſſe ſimillimum. I. in conceptione & nativitate, quia utriuſque idem Gabriel Archangelus annuntiaverat, ac in utraque prodigia magna viſebantur. II. in vita & prædicatione, quia utriuſque magnis radiabat virtutum ſplendoribus; adeò ut Judæorum ab his perſtricti oculi, exiſtimaverint Joannem eſſe Meſſiam. III. in morte, quia uterque teſtimonium perhibuit veritati, eámque conſtanter prædicavit, ac idcirco morti ſuccubuit.*

Quis putas puer iſte erit? *Luc. c.* 1.

N.219. QUi præclara glorioſorum Virorum encomia, ſacris in Paginis contenta, mente recolit, fateri cogitur, ab omni hominum retroacta ætate, ac memoriâ, neminem magis à Spiritu Sancto laudatum, à Prophetis æſtimatum, ab Angelis honoratum, ab ipſo Chriſto JESU miris laudibus exornatum fuiſſe, quàm Præcurſorem Domini Sanctum Joan-

Joannem Baptiſtam. Nam cùm benigniſſimus Dominus in magna populorum frequentia Dilectum ſibi dilaudare cuperet: *Cæpit JESUS dicere ad turbas de Joanne*. ait Matth. c. 11. quaſi diceret, cùm D. Joannis encomia tanta & tam multa fuerint, ut in ijs finem quodammodo Chriſtus invenire non potuerit: *Cæpit ſolùm*, aliqua ad turbas proferre. Et quidem quod mirandum, nominavit eum *pluſquam Prophetam, Lucernam ardentem & lucentem*; imò *Angelum*, qui præcedat faciem ejus: demum cùm prædicata eidem deeſſent poſitiva, recurrit ad negativa, ac per negationes eum celebravit dicendo: *Inter natos mulierum, non ſurrexit major Joanne Baptiſta.* Matth. 11.

Bene proinde D. Auguſtinus, verbis inſiſtens Domini, hæc de eo effatus eſt in Præf. ad Pſal. 29. *Nihil majus extitit in genere humano, quàm Joannes Baptiſta; ſi quæris excellentiam hominis, Joannes Baptiſta eſt.* Nec minori eum affecit laude D. Bernard. ſerm. de S. *Joannes præcellit cæteros, eminet univerſis, antecellit Prophetas, ſupergreditur Patriarchas, & quiſquis de muliere natus eſt, inferior eſt Ioanne.* Divus Chryſologus verò, quodam quaſi compendio uſurus, hæc de ipſo profert ſerm. 127. *Joannes eſt virtutum ſchola, magiſterium vitæ, ſanctitatis forma, virginitatis ſpeculum, pœnitentiæ via, caſtitatis exemplum, major homine, par Angelis, Apoſtolorum vox, ſilentium Prophetarum.* D. Auguſtin. S. Bernardus. D. Chryſolog.

Unum nihilominus eſt, quod me nonnihil perplexum reddere poſſet; videlicet D. Joannem Evangeliſtam, dum in ſua enarratione evangelica adventum Præcurſoris Domini in hunc mundum deſcriberet; eum ſolummodo nominâſſe hominem, cap. 1. *Fuit Homo miſſus à DEO, cui nomen erat Ioannes*, nec quidquam de eo protuliſſe. Verùm optimè divinóque nonniſi dictante ſpiritu factum, quòd eum vocaverit hominem, nè videlicet quiſpiam conſideratâ ejus prodigioſâ vitâ, ac Angelica Sanctitate, omni virtutum genere collucente; eum non hominem, ſed homine majorem, Angelúmque quempiam in corpore portentoſum arbitraretur. Unde bellè D. Paſchaſius in cap. 11. Matth: *Nè fortè exiſtimaretur ſuper humanam naturam eſſe, & pluſquam homo; ideo inter natos mulierum eum numeravit.* Imò nominando illum hominem ſummè laudavit hic S. Evangeliſta, ſiquidem oſtendere voluit, eum quidem fuiſſe purum Hominem, ſed talem, qui divinæ gratiæ cooperatus, omnes ſupergreſſus eſt homines, evaſítque maximum mundi N. 220. Ioan. 1. D. Paſchaſ. 9.

Digitized by Google

prodigium: Nam *vivum ac ſpirans in corpore portentum erat Ioannes*,
D. Chryſoſt. ait de ipſo S. Chryſoſtomus in encomio ejus; nec diſſentit D. Dama-
D. Damaſc. ſcenus, dum hæc de eo profert ſerm. de S. *Unus eſt, & ſecundum non habet, homo excellentiſſimus, qui univerſitatis humanæ tranſcendit aſcenſum.* Idcirco mox in nativitate ejus vicini, viſis tam mirabilibus, mi-
Luc. 1. rabundi exclamârunt: *Quis putas puer iſte erit? etenim manus Domini erat cum illo*, & quidem *Operativa miraculorum*, ùt ait D. Chryſologus. Verùm his qui quærebant, *Quis putas puer iſte erit?* optimè reſponſum fuiſſet, erit *Homo miſſus à DEO*, Chriſto *Filio Hominis* perquàm ſimillimus. Quod quàm verum etiam fuerit, ac D. Joannes Chriſto Domino in nativitate, in vita, imò & in morte fuerit aſſimilatus, præſens exhibebit dictio.

N.221. Magnam Chriſti nativitatem inter & nativitatem S. Joannis ſimilitudinem interceſſiſſe nemo ambiget, qui novi Teſtamenti acta accuratiùs legendo mente trutinaverit. Nam quemadmodum DEUS Trinunus e divino ſuo arcani conſilij conſiſtorio ablegavit Gabrielem Archangelum, qui Filij ſui incarnationem, Virgini Nazarenæ indica-
Luc. 1. ret, juxta illud: *Miſſus eſt Angelus Gabriel à DEO in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem.* Luc. 1. Ità, ſex menſibus propè antè, miſſus erat ad Zachariam idem Archangelus, qui ei Joannis Con-
Luc. 1. ceptionem denuntiaret dicendo: *Ego ſum Gabriel, qui aſto ante DEUM, & miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi evangelizare.* Quod dum perpen-
D. Ambroſ. ſerm. 63. dit D. Ambroſius ſerm. 63. bene ad propoſitum meum ait: *Illud quam mirandum, idem Gabriel Archangelus utriuſque nativitatis officium repræſentat; debuit enim Præcurſor & Prævius Chriſti, habere aliquid ſimile nativitati Salvatoris.* Ità quidem ut pro utraque nativitate annuntianda, *Summus Angelorum* fuerit electus, ùt perhibet Mag. Gregorius.

Præterea ſicut Gabriel Virgini Sanctiſſimæ, inſinuavit nomen fu-
Luc. 1. turi Salvatoris; *Vocabis nomen ejus Ioannem.* Rurſum quemadmodum de Virgine Deipara D. Lucas memorat, *impleti ſunt dies, ut pareret*, ità & de ſancta Matre Joannis, idem edicit: *Eliſabeth impletum eſt tempus pariendi.* Verbô, quemadmodum in Incarnatione & Nativitate Chriſti, plurima intervenêre prodigia: Sic & in Joannis manus DEI miraculorum operativa, potiſſimùm ſeſe conſpiciendam exhibuit. Nam quantum & quale non erat hoc miraculum? quando Joannes infantulus

lùs adhuc in utero matris exiſtens, perfecta ratione præditus, ſuum in Virgine præſentem agnovit Dominum? Certè *Conceptus Ioannis* (ait Origenes hom. 12. in Luc.) *ſtupendum quid habuit quando ſuum, nondum genitus Dominum recognovit.* Ità quidem ut ei jam tum DEUS (ſi credendum D. Chryſoſt. apud Metaph.) ſuæ arcanum Incarnationis myſterium, præ ipſis Angelis revelaverit. Nam *quæ in cœlo ignoraverunt Angeli, cognovit Ioannes, qui veſtiebatur in utero, celavit dominationes, & ei qui erat in ventre, revelavit myſterium ſuſceptæ carnis.* *Orig. hom. 12* *D. Chryſoſt.*

Quàm illuſtre etiam non erat hoc prodigium, quando Joannes vix natus, Patris lingvam, quam Gabriel Archangelus mutam reddidit, fecit diſertam & eloquentem? Profectò *Os quod Angelus alligaverat, Ioannes abſolvit; quod Gabriel obſtruxerat, parvulus reſeravit,* ait S. Ambroſius ſerm. 64. Imò non contentus erat reddidiſſe Patri lingvam, ſed inſuper eum utì & matrem (quod hactenus erat inauditum) communicato eis ſuo prophetico Spiritu, Prophetas effecit; ità ſanè me docet Gverricus Abbas ſerm. 1. de S. *Joannes Parentes quoque ſuos Prophetas faciebat & in eos, qui in ſe transfuderant carnis ſubſtantiam, ſpiritûs ſui & gratiæ ſuperabundantiam refundebat.* Hinc non ſolùm mater, prædita Filij ſui ſpiritu, conceptum in utero B. Virginis DEI Filium clarè agnovit, dum diceret: *Unde hoc mihi, ut Mater Domini mei veniret ad me.* Sed & ipſe Pater eodem imbutus ſpiritu prophetavit, dicens: *Benedictus DEUS Iſraël &c.* N.222. *D. Ambroſ. ſerm. 64.* *Guerr. ſer. 1.* *Luc. 1.*

Hunc pluſquam Prophetam, imò Prophetarum ſummum, unáque illud encomium D. Ambroſij de eo prolatum lib. 1. in Luc. *Joannes fuit Vir magnus, qui caruit errore pueritiæ;* dum mente perpendo, animadverto eum, nequaquam dicere potuiſſe cum D. Paulo 1. Cor. 13. *Cùm eſſem Parvulus, loquebar ùt parvulus, ſapiebam ùt parvulus; quando autem factus ſum, Vir evacuavi, quæ erant parvuli.* Siquidem reipſa in membris infantilibus, perfecta erat præditus ratione, ac tam mirabilis omnibus comparuit, ut circumſtantes meritò, obſtupeſcendo exclamaverint: *Quis putas puer iſte erit?* *D. Ambroſ.* *1. Cor. 13.*

Progredior nunc ad vitam D. Joannis in mundo geſtam, quæ ùt omni prorſus mundo erat major, ità & ipſi Chriſto plurimùm ſimilis. Vitam Chriſti ipſam fuiſſe Sanctitatis effigiem, omnibúſque virtutibus refertam, nemo ſanæ mentis negabit; ſiquidem à Patre cœleſti ſingulis N.223.

Digitized by Google

& univerſis, ùt exemplar Prototypon noſtrarum actionum fuit propo-
Matth. 17. ſitus, illis verbis: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, hunc audite.* At Joannes & vitâ ſuâ, omni virtutum genere reſplendente, quàm proximè Chriſto acceſſit. Homo quidem fuit, ſed ob vitæ morúmque ſanctimoniam: *Homo prorſus excellentiſſimus, major omni homine, par Angelis*, ſi non ſuperior; *glorioſior ſanè eſt Joan-*
D. Chryſoſt. *nes, quia Homo* (ait D. Chryſoſt. hom. 27. in Matth.) *quàm ſi nomine & naturâ Angelus fuiſſet.* Idipſum commemorat & Origenes: *Joan-*
Origenes. *nes non fuit quidem naturâ Angelus, ſed Angelus vitâ, & caſtitatis eximiæ puritate.* Eò quòd in mortali corpore ità vixerit, quaſi nullâ carnis ſarcinâ gravaretur; ideo & addit: *In carne præter carnem vivere ùt Ioannes, Angelica vita eſt.*

Quare & Angelus prævidens ejus vitæ ſanctimoniam, *Magnum*
Luca. 1. compellavit dicendo: *Hic magnus erit coram Domino.* Luc. 1. Ubi bene notandum illud *coram Domino*, & non *coram mundo*; ſiquidem multi erant magni, videlicet *Alexander, Pompejus, Julius &c.* qui cùm fuerint ſolummodo coram mundo magni, non cenſebantur verè fuiſſe
Senec. ep. 76. magni: atteſtante vel ipſomet Senecâ, epiſt. 76. *Nemo iſtorum*, ait, *quos divitiæ honoréſque in altiore faſtigio ponunt, magnus eſt.* Sed qui virtutibus exornatus eſt: *Nam magnus coram Domino eſt* (ait D. Am-
D. Ambroſ. broſius lib. 1. in Luc.) *qui habet magnitudinem animæ, magnitudinem virtutis.* Unde cùm D. Joannes fuerit virtutibus plenus, imò *virtutum ſchola*, jure meritiſſimo Gabriel Angelus idem de eo dixit, quod poſtea de Chriſto, *hic erit magnus.*

N. 224. Summè laudatur ab erudito Philone, magnus Prophetarum Samuel, quòd materno ablactatus ab ubere, mox Domino ſe totum conſecrârit, ac vitam duxerit non humanam, ſed quaſi divinam: Nam *Sa-*
Philo Iudæus. *muel*, inquit, *non tam hominem, quàm vitæ genus afflatum divinitùs geſſit, & extra ſe raptum numine.* Verùm id multò meliùs dici poteſt de S. Joanne, *qui omnem virtutem Prophetarum ſuperavit*, ùt teſtatur D.
D. Bonaven. Bonaventura ſerm. 1. de Joan. nam & ipſe vix receſſit ab uberibus, vix greſſus figere ſcivit, & ecce propediem deſerta B. Matris ſuæ domo, nè ibidem vel minima aſpergeretur labe; eremum petijt, vaſtámque ſeceſſit in ſolitudinem; ut ſoli DEO ſuo ardentiſſimis vacaret affectivus. Confirmat dicta mea D. Hieronymus, epiſt. 4. ad Ruſticum:
Joan-

Digitized by Google

Joannes ſanctam Matrem habuit, Pontificiſque filius erat, & tamen nec Matris affectu, nec Patris opibus vincebatur, ut in domo Parentum, cum periculo viveret caſtitatis. Id quoque effatur D. Bernardus, ſerm. de Privil. S. Joan: *Intra teneritudinem annorum, beatus iſte Puer, ad eremum ſpiritu ducente deductus eſt; nec obſtitit ætatis infirmitas, quam Majeſtas Domini facundabat --- Reliquit autem Ioannes mundum, homines fugit, patriam neſcit, Parentes aſpernatur, & in ſolius Divinitatis apicem defigit obtutus.* Quare etiam DEUS tantam illi contulit gratiam, ut indomitæ feræ, puta Leones & Dracones, ſolitudinis illius inquilini, eidem nè in minimo nocuerint; imò teſte D. Chryſoſtomo: *Ut Danielem in lacu Leones ſunt reveriti; Cætus Jonam ſervavit in utero; ita Dracones & Aſpides Joannem formidârunt.* D. Hieronymus addit: *ludebat cum ſerpentibus.* D. Hieron. D. Bernard. de S. D. Chryſoſt. D. Hieron.

Quæ cùm ità ſint & S. Joannes, in primo juventutis flore, jam tantam aſſecutus fuerit ſanctitatis perfectionem, quis enarrare poterit, vitam illam, quam prædicando ſanctiſſimè tranſegit? ac Chriſto filio hominis ſe ſimillimum exhibuit? certè ſi exteriora primùm in eo obſervem, ejúſque contempler veſtitum; adverto illud D. Hieronymi eſſe perquàm verùm: *Joannes major omnium Prophetarum, non veſtiebatur mollibus, ſed in hoc mundo penè ſinè mundo fuit; ſetoſa durum Virum horridant tegmina, non decorant.* Siquidem ùt ait D. Matthæus c. 3. *Habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos.* Similiter ſi victum conſiderem, video eum *non exquiſitis*, ùt rurſum loquitur D. Hieronymus, ad gulam dapibus ſaginatum fuiſſe, ſed ediſſe locuſtas, juxta illud Matth. 3. *Eſca autem ejus erat locuſtæ & mel ſilveſtre.* Adeóque ſic victitando, non ſolùm *unicum & perpetuum ſervavit jejunium*, teſte D. Baſilio; ſed etiam continuum ſuſtinuit martyrium. *Dum teneros ſuos actus*: ùt ait Damaſcenus, *continua quaſſavit longitudine martyrij.* Idcirco bene Chriſtus Dominus de eo perhibuit Matth. 11. *Venit Ioannes neque manducans, neque bibens.* D. Bernardus verò in hunc locum inſuper addit, neque veſtiens. Nam *victum atque veſtitum habens contentus eſt Apoſtolus, ſed Ioannes etiam hoc contempſit, qui venit neque manducans, neque bibens, neque veſtiens.* ſerm. 8. de nat. Joan. Quamobrem meritò à populis accurrentibus ſuſpiciebatur, ut qui eum non Prophetarum unum aliquem, N.225. D. Hieron. Matth. 3. Matth. 3. D. Baſilius. D. Damaſc. Matth. 11. D. Bernard.

D. Thomas Villanov. ſed ipſum à tot ſeculis expectatum credebant Meſſiam: Nam *tantus omnibus videbatur* (ait D. Thomas Villanov.) *ut vix crederetur eſſe, qui erat, ſed Chriſtus.* quod ut magis confirmem:

N. 226. Dicite mihi amabò, quid denotabat illud, quòd Pater æternus ex tempore, quo Joannes Chriſtum baptizaverat, apertis undique cœlis, *dans Filio gloriam & honorem*, 2. Petri 1. exclamaverit: *Tu es Filius meus dilectus, in te complacui*, Marci. 1.? quid præterea ſignificabat illud, quod & Spiritus Sanctus in ſpecie Columbæ ſe è cœlis demiſerit, ac ſuper eum ſedendo requieverit? nam Luc. 3. *Deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie, ſicut columba in ipſum*? an non illud ipſum quod confirmare intendo? Cùm enim videret Pater cœleſtis tam magnam, vitæ ac ſanctitatis ſimilitudinem, Chriſtum inter ac Joannem; ità ut populi errore quopiam decepti cogitarent, *nè fortè ipſe eſſet Chriſtus*, Luc. 3. coactus fuit quodammodo, reſeratis cœlis Sanctum ſuum Spiritum ſuper eum demittere, vocéque cælitus emiſſa, palam atteſtari, non Joannem ſed Chriſtum eſſe Filium ſuum dilectum. Bene hoc obſervavit nonnemo recentior S. Scripturæ Interpres: qui in hunc locum ſic ait: *Tanta erat ſimilitudo virtutis inter Joannem & Chriſtum, ut quiſnam eorum verus Meſſias eſſet, dubitarent. Unde neceſſe fuerat divinitus provideri, & Patris voce, & Spiritûs Sancti in ſpecie columbæ adventu; ut ita homines dijudicarent, quiſnam eorum eſſet Meſſias.* Rurſum dicite, cur ad eum in deſertum à Principibus & Senioribus populi, tanta ac tam honorifica, complectens Sacerdotes ac Levitas inſtituta eſt legatio? an non hunc in finem, ut ex eo quærerent & reſcirent, num ipſe tot votis deſideratus eſſet Chriſtus? Certè *tanta in Ioanne vita erat excellentia*, ait S. Auguſtinus ſerm. 2. de Bapt. *tanta gratia, ut ipſe putatus fuerit Chriſtus.* Idcirco ipſe Joannes, videns populos ob vitæ ſimilitudinem, quæ Chriſtum inter ac ſe cernebatur, in errorem eſſe delapſos, claris verbis, *confeſſus eſt, & non negavit, & confeſſus eſt, quia ego non ſum Chriſtus*. Joan. 1.

Margin notes: 2. Petri 1. — Luca 3. — Luca 3. — D. Auguſtin. — Joan. 1.

Fidelem quondam ſeſe exhibuit & Tutorem, & Patruum, Lycurgus Lacedemoniorum Princeps, quando poſt mortem Polidectis Fratris ac Regis, non eſt paſſus ſibi à Magnatibus imponi Regni diadema; ſed arripiens parvulum, Fratris defuncti filium, tanquam unicum regni heredem his verbis eis propoſuit: *Ecce legitimum Regem veſtrum.*

At

At fideliorem multò ſeſe erga *Chriſtum* & *Conſanguineum* ſuum D. Joannes exhibuit, quando non ſolùm apertè coram omni populo faſſus eſt: *Non ſum ego Chriſtus.* Sed inſuper venientem ad ſe Dominum digito demonſtravit, eum eſſe à tot ſeculis expectatum Meſſiam, dicens: *Ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccatum mundi.* Joan. 1. Ideo bene de eo ait S. Bernardus ſerm. 3. de verb. Iſa: Fidelis Lucifer Joannes, qui Solis Juſtitiæ, non uſurpare venit, ſed *prænuntiare ſplendorem,* dum Judæis diceret: *Non ſum ego Sol, longè alium videbitis eum, in cujus comparatione, ego tenebræ ſum & non lux.* *Ioan. 1.* *D. Bernard.*

N.227. Quibuſnam verbis nunc exprimam ejus ferventiſſimam ad populos dictionem? quæ eundem cum Chriſti Domini, habuit finem & ſcopum, eúmque vel ſic ſimillimum reddidit Filio Hominis? nam quemadmodum Chriſtus omnibus ſeriò inculcabat pœnitentiam, teſte D. Matthæo c. 4. *Cæpit JESUS prædicare & dicere: pænitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum.*Ità & D. Joannes, tanquam Vox clamantis in deſerto, eandem quotidie, tanto cum fructu prædicabat, ut undique ad eum populi concurrerent; tanta etiam cum aviditate prolata ab eo exciperent verba, ut ægrè ab eo avelli, ſe paterentur, omniáque facerent, quæ eis dicebantur ad ſalutem. Bene proinde ait D. Matthæus c. 3. *Exibat ad eum Jeroſolyma, & omnis Judæa, & omnis regio circa Jordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane confitentes peccata ſua.* Et meritò ſiquidem ùt refert D. Chryſoſtomus hom. 10. in Matth. *Nihil uſitatum aliis Ioannes annuntiabat; nulla pretia nullas fabulas; ſed cælum annuntiabat, atque gehennæ ſupplicium.* *Matth. 4.* *Matth. 3.* *D. Chryſoſt.*

Maximè verò Chriſto erat ſimillimus in eo, quod non veritus fuerit vitia, etiam Magnatum palàm reprehendere. Sicut enim Chriſtus referente S. Joan. c. 8. publicè Sacerdotibus & Phariſæis illud oggeſſit: *Vos ex Patre diabolo eſtis, & deſideria Patris veſtri vultis facere.* Ità & S. Joannes eoſdem ad ſe venientes redarguens, objecit eis dicens: *Progenies viperarum, quis demonſtravit vobis fugere à ventura ira?* Matth. 3. nec deſtitit adhortari eos, quouſque multos eorum ad pœnitentiæ adduxiſſet baptiſmum. Zelum hunc ferventiſſimi Prædicatoris noſtri dum perpendo, adverto eum Iſaiam, alioquin zelo magno inſignitum longè ſuperâſſe. Hic ſanè neſcio, quo inductus reſpectu, neglexit, peſſimum Regem Oziam, ob publicè patrata ſcelera, redargue- *Ioan. 8.* *Matth. 3.*

Digitized by Google

arguere; idcirco labia ſua polluit, ac immundus extitit, ut ipſemet
Iſai. 6. fatetur ac deplorat cap. 6. *Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſum.* id eſt, ùt verba hæc explicat D. Hieronymus, epiſt. 141. ad
D. Hieron. Damaſum: *Væ mihi quia Oziam non reprehendi. Iſaias enim quantum ego arbitror,* ſubjungit idem Doctor, *quia Oziam in templum irruentem, non corripuerat; nec juxta Eliæ exemplum, liberâ voce impium deſignârat labia habebat immunda.*

At imperterritus noſter pœnitentiæ Prædicator Joannes, qui mundo altior, omnem ſeculi hujus faſtum, omnémque honoris ac gloriæ pompam, pridem jam peſſumdederat; ac ſolius Chriſti ac DEI majorem gloriam exquiſierat; is nequaquam diſſimulationis labe, ſua aſperſit labia, ſed verè fuit vir impollutus labijs. Qui hac in re præſumeret dubitare adeat tantiſper, vaſtam illam eremum, in qua vox illa clamantis inſonuit, audiat inſuper vel unicam illam dictionem, cujus thema erat *Non licet*, &c. & magna cordis ſui ſatisfactione percipiet D. Joannem, velut fervidum quendam novi Teſtamenti Eliam, nec Regibus pepercisse, quorum publica ſcelera aptis coarguit verbis.

N. 229. Elias ſanè videns enormia Achabi ſcelera, quibus ſcandalo erat univerſo populo, audaciâ in comitem aſſumptâ, ſub oculos proceſſit
3. Reg. 18. Regis impij, eíque in faciem exaggerando dixit: *Non ego turbavi Iſraël, ſed tu & domus Patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſecuti eſtis Baalim.* 3. Reg. 18. & tamen ubi advertit ſibi à Jezabele uxore
3. Reg. 19. peſſima tendi inſidias: *Timuit Elias, & ſurgens abijt, quocunque eum ferebat voluntas.* 3. Reg. 19. at omnis timoris expers Joannes: *qui in deſerto adolevit, ut poſtea Regem increparet*, verba ſunt S. Ambroſij;
Marci 6. videns Regem, qui aliàs *eum libenter audiebat* Marc. 6. non moveri & emendâri ſuâ adhortatione, iteratò & quidem publicò ei adulterium exprobravit, dicens: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*, & tametſi Herodes ac Herodias furerent; carceres, cataſtas, ac ipſam cædem
S. And. Cret. minarentur; ſi non deſineret ejuſmodi proferre verba: *Tamen non magnus ille inter Prophetas* (ait S. Andreas Creten. Encom. de S.) *aut timore eſt repreſſus, aut ceſſavit reprehendere*; ſed tantò alacriùs repete-
D. Bernard. bat illud ſuum *Non licet*. Quod ubi perpendit D. Bernardus ſerm. de Nativ. Joan. mirabundus quærit: *De quanto mentis fervore, procedere putas, ſcintillas iſtas, imò carbones deſolatorios? -- nec ipſum veretur potentis*

Digitized by Google

tentis vultum, ſed tota libertate ſpiritûs arguit peccantem, Regem crudelem & ſuperbum; nec ipſo mortis terrore monetur.

Denique D. Præcurſorem Joannem, etiam in morte Chriſto Filio hominis fuiſſe ſimillimum, intentio ac cauſa utriuſque necis id abundè declarat; nam ſi quis quærat, cur Chriſtus Dominus à perfidis Judæis occiſus ſit, alias inter rationes, non poſtremam inveniet hanc, quia eis veritatem dixit. Colligitur id ex ipſiſmet verbis Chriſti, quæ ad Judæos effatus eſt, Joan. 8. *Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus ſum.* Quam etiam, quia conſtanter tuitus eſt, ſuccubuit morti necíque datus eſt. Sic & Joannes ſanctiſſimus, quia veritatem prædicabat, quia Herodem impium arguebat commiſſi adulterij; eíque quod verum erat, dicebat: *Non licet tibi habere eam, ligatus quoque* (ait S. Bernard.) *& in carcerem truſus, ſtetit in veritate, & occubuit pro veritate feliciter* Conſentit Haymo Halberſtadienſium Præſul ſerm. de S. *Propter veritatem quam prædicabat B. Ioannes, miſſus eſt ab Herode in carcerem; veluti latro & ſacrilegus, & ob nullam aliam cauſam, niſi quia prædicabat veritatem.* N. 230. Ioan. 8. D. Bernard.

Quare cùm *rectiſſimè hodie toto orbe*, verba ſunt S. Maximi, *Chriſti Eccleſia, primordia nativitatis ejus lætiſſima feſtivitate concelebret.* Celebremus & nos, debito honore & reverentia, diem hunc D. Præcurſori ſacrum. Et ſi juxta D. Auguſtinum ſerm. 47. de Sanct: *Solennitates Martyrum, exhortationes ſunt martyriorum, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat.* Imitemur & nos eum pro viribus maximè in zelo; ad quem nos incitat, S. Bernard. hiſce verbis, quibus & concludo: *Ferveat in nobis etiam zelus iſte, Chariſſimi; ferveat Amor Juſtitiæ, odium iniquitatis. Nemo Fratres vitia palpet, peccata diſſimulet nemo. Eſt enim conſentire, ſilere cùm arguere poſſis; & ſcimus quia ſimilis pœna facientes maneat & conſentientes.* S. Maximus. D. Auguſtin. D. Bernard.

Digitized by Google

In Feſto S. Joannis Baptiſtæ.

CONCIO II.

Vox clamantis Joannes. D. Hieronym. in Iſai.

ARGUMENTUM. *Quoniam D. Joannes Baptiſta, ſeipſum vocem Domini clamantis nominare non dubitavit: Oſtenditur in præſenti, eum verè ſeptuplicem, ex Pſalmo 28, fuiſſe vocem: nimirùm I.* Vocem Domini ſuper aquas, *quia baptizabat peccatores ad aquas Iordanis. II.* Vocem Domini in virtute, *quia vita ejus omnibus referta erat virtutibus. III.* Vocem Domini in magnificentia, *quia tanta erat magnificentia, ut exiſtimatus ſit à Judæis Chriſtus. IV.* Vocem Domini confringentis Cedros, *quia ſuperbum Iudæorum populum, verbis ſuis redarguendo fregit. V.* Vocem Domini intercidentis flammam ignis, *quia impurum adulteri Herodis ignem dehortando intercidit. VI.* Vocem Domini concutientis deſertum, *quia prædicando populos in deſerto convertit, & ad meliorem frugem reduxit. VII. Denique* vocem Domini præparantis cervos, *quia Magiſtros, Gentiúmq; Doctores efformabat.*

Ego vox clamantis in deſerto. *Iſaiæ* 40.

N. 231. TAndem poſt tot annorum, longa ſerie elapſas centurias, poſt ſævas nubium colliſiones, poſt crebra ignium coruſcantium fulgura; *Intonuit Majeſtatis Dominus.* (*Pſal.* 38.) Majeſtatis inquam Dominus, qui in voce ſua toniturum ſe ſpoponderat apud Jobum, cap. 37. Hodie in Iudææ montibus, in Paleſtinæ ſaltibus quaquaverſum auditus eſt. Is enim ut *Verbum eructaret bonum.* (*Pſal.* 44.) Verbum inquam, quod ab æterno jam generando protulerat, publicaret in tempore, *Vocem* edidit; non *vocem tonitrui in rota.* Pſal. 76. Non *vocem rugitûs aut leonis.* Job. 4. Non *quaſi parturientis.* Jer. 4. Non *vocem quaſi aquarum multarum.* Ezech. 43. Non *vocem amaram.* Soph. 1. Non denique *vocem flagelli, vocem impetûs ac belli in terra.* Nahum. 2.

(*Pſal.* 76. *Iob.* 5. *Ierem.* 4. *Ezech.* 43. *Sophon.* 1. *Nahum.* 2.)

qua

qua concutiat, feriat, pœnáſque exigat à mortali genere in peccata prolapſo; ſed tonando edidit vocem gratam, ſonoram, diu expectatam, *Vocem*, inquam, *Clamantis in deſerto*. Iſaiæ 40.

At quænam eſt hæc Vox, quærere nonnemo poſſet; quæ tot ſæculis expectata demum hodie in terris reſonuit, ac Verbum pleriſque incognitum, eloquendo tam fideliter manifeſtavit? huic reſpondet peregregiè, ùt aſſolet magnus Hypponenſium Præſul D. Auguſtinus, tom. 10. ſerm. 20. *Omnipotens Pater volens nobis innoteſcere ſapientiam & Verbum illud quod in principio erat apud DEUM; B. Ioannem quaſi vocem per quam ad nos Verbum ſuum deferret, aſſumpſit.* Joannes igitur, *quo non ſurrexit major inter natos mulierum*, teſtante ipsâmet veritate, Matth. 11. hæc clara, ſvavis, ac ſonora vox fuit, cujus ſonus in omnem exivit terram, verbúmque ab ea prolatum innotuit in omnibus orbis terræ finibus. Meritò proinde inclyta filiâ Sion illud è canticis, in lætitiæ ſignum proferre poterat: *Vox turturis audita eſt in terra noſtra, ficus protulit groſſos ſuos, vineæ florentes dederunt odorem ſuum.* Turturis inquam, quia utpote ſolitarius & pudicus inter montium ac nemorum receſſus, gemebunda voce pœnitentiam prædicavit; tanto cum effectu, ut Judæa ficus bonorũ operum protulerit, illiúſque florentes vineæ, ſvaviſſimum emendationis ac pœnitentiæ dederint odorem.

D. Auguſt. *Matth. 11.* *Cant. 2.*

Unde licet magnus hic Domini Præcurſor, & illuſtria, & excellentia, ob vitæ ſingularis integritatem, in ſcripturis, nactus ſit laudum ſuarum encomia, ab ipſóque Verbo Divino vel maximè celebraretur, dum eundem & *Angelum* Malach. 3. & *lucernam ardentem & lucentem* Luc. 13. & *Prophetam imò & pluſquam Prophetam* Matth. 11. cognominaret, nihilominus tamen exiſtimo, ſummum D. Joannis encomium, vel in hoc ſitum fuiſſe, quòd Vox fuerit Domini, & quidem clamantis in deſerto: *Magnum ſanè eſt hoc præconium Ioannis* (ait D. Rupertus) *quia Vox: nam ſicut Verbum, clam & ſonora voce indiget; ita VERBUM Caro factum, teſtificante Ioanne indiguit.* N.232.

Malach. 1. *Luc 13.* *Matth. 11.* *S. Rupertus.*

Quare cùm ſeptuplices in Citharæ Pſalmo 28. deprehendam voces Domini ſcilicet: *Vocem Domini ſuper aquas; vocem Domini in virtute, vocem Domini in magnificentia; vocem Domini confringentis cedros; vocem Domini intercidentis flammam ignis; vocem Domini concutientis*

Pſal. 28.

Digitized by Google

tientis deſertum; *vocem* denique *Domini præparantis cervos*. Dabitis veniam: ſi eaſdem voces, quas aliàs allegoricè & myſticè, ſacræ Scripturæ interpretes, ſeptem novæ Legis Sacramentis attribuunt; ſi inquam eaſdem quaſi in unam D. Joannis collegero vocem; unáque admirandas ejus in medium protulero proprietates. Quod dum facio; vos magno huic Præcurſori, Patrono maximo, gratioſi clientes, plaudite manibus, jubilate ei in voce exultationis.

N. 233. Quod quondam illuſtrè patientiæ ectypon, Jobus cap. 37. futurum prædixerat dicens: *Tonabit DEUS in voce ſua*; id hodie feliciter peractum eſt, ſiquidem *intonuit Majeſtatis Dominus* edidítque vocem, quæ poſtmodum ſuper copioſa Jordanis fluenta vel maximè inſonuit. *Vox enim Domini ſuper aquas multas* (ait præclarè D. Baſilius in Pſalmum 28.) *fuit Ioannes baptizans ad aquas Iordanis fluvij*. Et certè quis negabit eundem, vocem fuiſſe ſuper aquas, *qui per baptiſmum aliis impertitum, veluti quodam ſignaculo* (ùt doctiſſimus effatur Rabanus Maurus) *pœnitentes ab impœnitentibus ſecernendo, ad baptiſmum Chriſti dirigebat?* Et licet *baptiſmus illius*; Theodoreto teſte; *non habuerit peccatorum remiſſionem, tamen homines ad pœnitentiam inducebat, ut per hanc in remiſſionem peccatorum devenirent*. Quod quanto præſtiterit cum effectu, vel inde patet, quòd omnis populus ex urbibus univerſis ad inſtar aquæ ſeſe effuderit, ut ab ejuſdem tonanti voce, ſalutari pœnitentiæ compungeretur ſtimulo: *Egrediebatur*, inquit Marcus cap. 1. *Omnis Judæa Regio & Jeroſolymitæ univerſi & baptizabantur ab illo in Iordanis flumine, confitentes peccata ſua*. Imò ipſe Servator noſter Chriſtus, ut Joannem vocem Domini ſuper aquas multas atteſtaretur, ejúſque baptiſmum palàm approbaret, medius inter peccatores immixtus acceſſit, ac ab illo ùt cæteri, aquâ Jordanis perfundi & baptizari voluit: *Nam baptizatus eſt Chriſtus*, inquit Ven. Beda in Cat. PP. *ut baptiſmate ſuo, Joannis baptiſmum comprobaret, & ut Iordanis aquam ſanctificans, per deſcenſionem columbæ Spiritûs Sancti in lavacro credentium monſtraret adventum*. Propterea quemadmodum olim Jordanis converſus eſt retrorſum, dum aquæ illius retrogrado laberentur curſu, ità virtute hujus Vocis, non tam aquæ multæ, quàm peccata accedentium plurima, converſa ſunt retrorſum; itaque converſa, ut *velut alter Elias*, docente magno Auguſtino, *diviſionem fecerit*

Iob. 37.

D. Baſilius.

B. Rabanus.

Theodoretus.

Marci 1.

Vener. Beda.

D. Auguſtin.

rit aquarum, ſeu veriùs ſeparationem operatus eſt peccatorum. Unde Vocis hujus ſuper aquas effectus admirandos jam olim vatidico, agnoſcens ſpiritu Sybilla Erithræa, meritò hos poſteritati de ipſa reliquit verſus: *Sybilla.*

Verùm tum quædam Vox, per deſerta locorum
Nuntia, mortales veniet, quæ clamet ad omnes;
Ut rectos faciant colles, animóſque repurgent
A vitiis, & aquâ luſtrentur corpora cuncta;
Ut nunquam deinceps peccent in jura Tonanti.

Nunc Vocem Domini in virtute audire qui expetit, conferat ſe cum populo Jeroſolymitano in deſertum Judææ, adeat ſilvarum ac montium penetralia, & ibidem obſervabit hominem, non tanquam arundinem ventò agitatam, non veſtitum mollibus, non è Prophetarum cuneo unum aliquem, ſed Joannem, *ſpecie quidem hominem at gratiâ*, ùt loquitur D. Chryſoſt. hom. 27. *Angelum*, tanta virtutum decora præ ſe ferentem, ut ipſa propemodum Virtus incarnata eſſe cenſeatur. Vox certè Domini erat in virtute, quia ob eximiam & præcellentem vitæ ſuæ integritatem, obſtupeſcentibus etiam ipſis adverſarijs, præclariſſima ſuarum virtutum edidit ſpecimina. Si enim auſterum ejus vivendi modum quis ſpectet, animadvertet ſuffragante Scripturâ ſacra eum non ſolùm à lautioribus cibis abſtinuiſſe; dulcia hominum commercia refugiſſe, mollem veſtitum, delicatum cubile; & quicquid carni ſvave ac gratum eſt, pertinaci repudiâſſe animo ſed viliſſimo inſuper; ad vitam vix ſuſtentandam, uſum fuiſſe locuſtarum cibo: *Erat namque Ioannes* (ùt ait Marcus c. 11.) *veſtitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos ejus, & locuſtas & mel ſilveſtre edebat*; adeò ut teſtante D. Ephrem: *Ipſe prædicans de pœnitentia, ſcopus pœnitentibus evaſerit.* N. 234. *D. Chryſoſt.* *Marc. 11.* *S. Ephrem.*

Præterea ſi humilitatem (*quæ cæterarum virtutum fundamentum eſt*, juxta D. Gregorium) in eodem accuratiùs quis conſideret; advertet Vocem hanc Domini in virtute humilitatis tantopere fuiſſe radicatam, ut nequaquam *Altum*, cum infelici illo Lucifero qui dicebat: *Aſcendam in altum*, cantare noverit, ſed ſolummodo profundum ſubmiſſionis ac ſuæ deſpicientiæ *baſſum.* Teſtatur enimverò luculentum ejus de Chriſto teſtimonium, dum miſſis ad ſe legatis, *Confeſſus eſt, &* N. 235. *D. Gregorius.*

Digitized by Google

Ioan. 1. *non negavit, & confeſſus eſt, quia ipſe non eſt Chriſtus*; imò dicere palàm non erubuit, ſe non eſſe dignum, qui procumbens ſolvat corrigiam calceamentorum ejus. Unde præclarè de eodem ait D. Bernardus:
Serm. 2. ver. Iſa. *Fidelis ſanè Lucifer, qui Solis Juſtitiæ, non uſurpare, ſed prænunciare venit ſplendorem.* Denique Vocem Domini in virtutibus reliquis D. Joannem fuiſſe, atteſtatur D. Joan. Chryſoſt. homil. 16. in Matth. dum
D. Chryſoſt. hæc de eo pronuntiat. *Joannes fuit ſchola virtutum, forma ſanctitatis, lucerna mundi*; quæ non ſolùm exemplari ſuo vivendi modo luxit alijs, ſed intus quoque immensâ in DEUM charitatis arſit flammâ. Fuit igitur meritò *Vox Domini in virtute.*

N. 236. Sequitur *Vox Domini in magnificentia.* Enarrant ſacræ paginæ, ſapientiſſimum Judæorum Regem Salomonem, tantam in verbis ac
3. Reg. 10. voce habuiſſe magnificentiam, ut non ſolùm omnes Iſraëlis Seniores & Principes à loquentis penderent ore; ſed ipſa quoque Regina Saba, de ultimis Orientis excita finibus, audiens ſermonem & ſapientiâ & magnificentiâ refertiſſimum, inter pediſſequarum brachia, præ ſtupore hæreret attonita, ac ſpiritum ultrà non haberet. At ſi vocem S. Joannis pluſquam Prophetæ, ad aquas Jordanis reſonantem perpendam, experior longè excellentiore modo, eam fuiſſe plenam omni magnificentia; adeòque verè *Vocem Domini in magnificentia.* Jlla enim non modò omnes Jeroſolymæ incolas, cum Scribis, Phariſæis, aliiſque Sacerdotibus attraxit, attractóſque reddidit attonitos, ſed & ſummos Paleſtinæ excivit proceres, qui ſimiliter à loquentis ore pependerunt admirabundi, eúmqûe & ſuſpexerunt, & veluti Meſſiam novum vene-
Titus Epiſc. rari expetiverunt: *Nam tantæ fidei* (ait diſertè, Titus Boſtrorum Epiſcopus ſuper Lucam) *tantæq; magnificentiæ apud omnes erat Ioannes, ut Judæorum populus in eam ſuſpicionem venerit eum eſſe Meſſiam, quem Prophetæ in mundum venturum prænuntiârunt.* Imò eum fuiſſe vocem in magnificentia, vel inde colligi poteſt, quòd ipſe purpuratus Solymæ Rex Herodes eundem & libenter audiêrit & ſummè reveritus fuerit;
Marc. 6. nam ùt ait D. Marcus c. 6. *Herodes metuebat Ioannem, ſciens eum Virum juſtum & ſanctum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.* Præterea ſi necdum ſatìs evincit hæc affectuoſa populi veneratio, D. Joannem fuiſſe *Vocem Domini in magnificentia*; evincat vel ratio D. Baſilij, qui ideo eum vocem in magnificentia fuiſſe aſſerit, quia ma-

Digitized by Google

magnifica de Chriſto perhibuit teſtimonia: *Nihil enim humile* (ait ille) *aut quod abſit à decoro, ſed omnia magnificè cum excellenti amplitudine de Domino prædicabat.* S. Baſilius.

Accedo ad Vocem quartam; quæ eſt, *Vox Domini confringentis cedros*; ſacer Hiſtoricus, cedris ob proceritatem, & ramorum frequentiam, qua cæteris omnibus ſupereminent arboribus, meritò aſſimilat, mente ſublimes, animo elatos, qui omnibus ſeſe faſtuoſo ac ſuperbo præferunt ſpiritu. Hinc David de ejuſmodi farinæ hominibus clarè ait Pſal. 36. *Vidi impium ſuperexaltatum ſicut cedros Libani:* clariùs Ezechiel de ſuperbiſſimo Regum Pharaone c. 31. hæc ait: *Ecce Aſſur quaſi cedrus in Libano, pulcher ramis & frondibus, nemoroſus excelſuſque altitudine, & inter condenſas frondes, elevatum cacumen ejus.* Unde dicite mihi obſecrò, dum ejuſmodi inflatas ac turgidas mentes D. Joannes ſuâ confregit voce, ac in cinerem humanæ redegit humilitatis; nunquid non erat *Vox Domini confringentis cedros*? Vox Domini humiliantis ſuperexaltatos ſicut cedros Libani? Dicite præterea, dum exaltatum & humiliari neſciens cor populi, ad veram deduxit pœnitentiam; nunquid non erat *Vox Domini conterentis cedros*, ùt legit Pagninus? Dicite inſuper dum elatos Phariſæos, *qui dilatabant philacteria ſua, & magnificabant fimbrias, qui amabant primos recubitus in cænis, & primas cathedras in ſynagogis; qui quærebant primas ſalutationes in foro, & ab hominibus vocari Rabbi.* Dicite inquam, dum turgidos hoſce Sycophantas, vocis ſuæ pondere, in propriæ ſubmiſſionis præcipitavit abyſſum; nunquid non erat *Vox Domini præcipitantis cedros*, ùt vertit Vatablus? Fuit enim verò *Vox confringentis cedros* D. Joannes, ſiquidem ad ſe venientibus & Phariſæis, & Saducæis, aliiſque Scribis & Legis Doctoribus; illude tonanti inculcavit voce: *Progenies viperarum, genimina viperarum, facite fructus dignos pœnitentiæ,* Matth. & Luc. 3. Quare diſertè de eo, ait D. Auguſtinus: *Elatum ac ſuperbum Iudæorum populum comprimens Ioannes, fuit Vox Domini confringentis cedros.* N.237. Pſal. 36. Ezech. 31. Matth. 23. Luc. 3. D. Auguſtin.

Quid nunc dicam de *Voce Domini intercidentis flammam Ignis?* nonne hâc eximiâ Vocis Domini proprietate, vox noſtra deſtituta fuit? certè ſi ullâ, hâc enimverò præditus fuit D. Joannes! ut qui voce ſua in immenſum exæſtuantem flammam ignis, intrepidè intercideret ac ſup- N.238.

ſupprimere moliebatur. At quiſnam erat ille in orbe excitatus Ignis? num ex illis aliquis, quem ab ingenti lignorum ſtrue, aut à carbonum mutuò ſe foventium cumulo, tanquam conſtanti pabulo excitari, atque flagrare videmus? ſed ignis ejuſmodi, conſveta aquarum affuſione facilè extingvi, ac coërceri potuiſſet, neque noſtræ Vocis tonitru indiguiſſet. Alium igitur ignem fuiſſe neceſſe eſt, quem Vox Domini fulminando intercidere debet; ignis proinde erat inextingvibilis propemodum ſimilis, qui non tam metalla, quam oſſium medullas, novit exurere, non tam corpora quàm interna animi præcordia movit exedere, verbo qui in inceſtuoſo Veneris enutritus erat foco, ac in Regis palatio, veſano Herodem inter & Herodiadem, fovebatur amoris delirio. In hanc igitur ſpurcam Veneris flammam, dum tonantis inſtar
Marc. 6. verborum jacit fulmina Joannes dicendo: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*; Vocis hujus ad amuſſim implevit proprietatem, fuítque *Vox Domini intercidentis flammam ignis*.

N. 239. Sequitur *Vox Domini concutientis deſertum*, vel ut ex hebræo vertit D. Hieronymus, *Vox Domini parturire faciens deſertum*. Hinc ſi de-
D. Hierón. ſertum juxta eundem, *Sunt Gentes deſertæ, in quibus nullus ſulcus prædicationis impoſitus erat, ad ſuſcipiendum verbum DEI*, ùt colligere, li-
Iſaiæ 44. cet ex illo vaticinio Iſaiæ & Sophoniæ: *Deſerta Jeruſalem ſuſcitabo, & ponam ſpecioſam Jeruſalem in deſertum*; quis negare præſumet D. Joannem, dum in eremo prædicando pœnitentiam, corda concuſſit populorum, gentes ad fidei lumen, peccatores è ſentina ſcelerum, ad meliorem reduxit frugem; fuiſſe *Vocem Domini concutientis deſertum*? quis, inquam, negabit, cùm vel ipſa ſaxa è quibus filios Abrahæ à DEO ſuſcitari poſſe aſſeruerat; luculentum prædicationis illius perhibebunt teſtimonium? Teſtabitur proinde id abundè turba univerſa, quæ ex adjacentibus Solymæ urbibus, ad vocem D. Joannis excita in eremum conceſſit, ac contrito corde, ſolicitè viam ſalutis inquiſivit dicendo:
Luc. 3. *Quid ergo faciemus?* Teſtabuntur id ipſum in ſceleribus, ab ineunte ætate, enutriti Publicani, qui baptiſmi, conſequenter & pœnitentiæ amore, ad eundem in ſolitudinem venerunt, & pœnitenti animo, meliorem vivendi modum expetierunt dicentes: *Magiſter quid faciemus?* Teſtabuntur denique & ipſi Milites, in rapinis commeſſationibus, immunditijs inſigniter exercitati, qui ad unicam Joannis tonantem vo-

cem,

cem, animo concuſſi, ab eodem poſtquam baptizati ſunt, vitam omnino novam inchoaturi, anxiè quæſiêrunt, & *nos quid faciemus?* *Luc. 3.*

Reſtat Vox ultima, & ultima Vocis in deſerto clamantis proprietas: *Vox Domini præparantis cervos*. Per cervos intelligi debere Magiſtros ſpirituales, Gentium Doctores; animarum Curatores, luculentè probat D. Gregor. lib. 30. moral. cap. 9. dum oſtendit, quod *quemadmodum cervi ſerpentes edunt, ita illi qui erudiunt ad juſtitiam multos, ſerpentes ſpirituales, id eſt, peccata devorant, juxta illud Oſeæ 4. Peccata populi mei comedent*. Unde ſi oſtendero ejuſmodi cervos à D. Joanne noſtro factos, formatóſque fuiſſe, ritè demonſtravero, eundem fuiſſe *Vocem Domini præparantis cervos*. Et quidni voce ſuâ, ejuſmodi præparâſſet ac formâſſet cervos, ſi ipſos ſceleratiſſimos quoſque adeò concuſſit, ut relictâ latâ iniquitatis viâ ad anguſtam virtutis ſemitam feliciter conceſſerint. Certè vel unicum è Diſcipulorum numero (quos tamen poſtmodum omnes Chriſto tranſcripſit) intueamini D. Andream, quem tantopere in ſpiritualibus efformavit, ut is hortatu illius, primùm diſcipulus Chriſti, dein glorioſiſſimus Gentium Doctor fauſtiſſimè evaſerit. Vox igitur Domini fuit præparantis cervos, dum diſcipulos ſuos, non ſolùm præparabat Chriſto, ſed mundo etiam univerſo, accedente doctrina Chriſti, deſtinabat Doctores. N. 240. *D. Gregor.*

Expeditis ſeptem hiſce Vocibus Domini, quas accuratè in ſe *Vox clamantis in deſerto* complexa eſt; æquum eſt, ut qui Sanctorum clientes & imitatores eſſe deſideramus, harum vocum proprietates; ſi non omnes, unam ſaltèm habere ſtudeamus. Cùm enim D. Joannis ad exemplum, non omnes poſſint aut velint eſſe *Voces Domini concutientis deſertum, aut confringentis cedros*; ſint minimùm, quod ipſe Dominus à nobis requirit, *Voces Domini in virtute*; hoc eſt, talia proferant, quæ non ſolùm non rabidam alicujus canis, in detrahendo alteri ſonet vocem, aut turpes laſcivientis equi exprimat hinnitus, ſed virtutem continuò ſpiret, reſonet, loquatur; & fiet, ut os noſtrum per ejuſmodi Voces, non ſolùm aſſimiletur ori D. Joannis, ſed & ipſius Chriſti, de quo bellè ait D. Chryſoſtomus: *Ut os noſtrum ſit os Chriſti, ſolâ virtute, humilitate, manſuetudine, vel maximè conformatur.* *D. Chryſoſt.*

In Feſto S. Joſephi Nutritij CHRISTI.

CONCIO III.

Joſeph verè de Domo David. S. Bernardus.

ARGUMENTUM. *Cùm D. Joſephus Sponſus B. V. & Nutritius Chriſti, ſæpiùs ab Evangeliſtis vocetur Filius David, de domo & familia David; oſtendo in præſenti, eum non ſolùm non degeneraſſe à Patre ſuo Davide, ſed virtutes ejus quàm maximè expreſſiſſe. Unde quemadmodum DEUS in Davide* invenit ſibi Virum ſecundùm cor ſuum; *ita & in D. Ioſepho, invenit ſibi virum ejuſmodi ſecundùm cor ſuum, cui ſecretiſſimum etiam cordis ſui commiſit arcanum. Poſtea ſicut David ob eximiam ſanctitatem,* quaſi adeps ſeparatus à carne, *ſuperabat omnes filios Iſraël, ita & D. Ioſephus ſingulari prorſus ſua ſanctitate excelluit ſuper omnes filios hominum, adeò ut in virtutibus, maximè in humilitate & patientia, ſanctum Davidem, ſi non omnino ſuperaverit, ſaltèm exactiſſimè adæquaverit. Quare factum, ut eundem quoque DEUS optimus more ſuo, velut olim Davidem, per mundi hujus* proſpera & aſpera *duxerit ad refrigerium.*

Joſeph fili David noli timere accipere MARIAM Conjugem tuam. *Matth.* 1.

N.241. ACturus de ſupereminenti, prorſúſque eximia glorioſiſſimi Patriarchæ ac Nutritij Chriſti, Divi Joſephi ſanctitate, omniúmque virtutum ſvaviſſima Harmonia; non abs re me facturum exiſtimo, ſi verba à D. Paulo mutuatus quæ Epiſtolâ II. ad Corinth. cap. 8. de ſancto ſuo Coapoſtolo Barnaba protulit; ego quoque de S. Joſepho proferam, dicámque: *Laus ejus eſt in Evangelio per omnes*
2. Cor. 8. *Eccleſias.* Et primùm quidem, *Laus ejus eſt in Evangelio*, quia nomen ejus,

Digitized by Google

ejus, non ſemel ſed iteratò exprimit Evangelium : *Nomen ejus* (ait B. Albertus cap. 47. ſuper Miſſus) *tanquam in libro vitæ ſcriptum, in Evangelio ſignanter exprimitur, ut dignè in hominum memoriam vertatur, qui in Patrem DEI ſumitur putativum.* Unde ſi Joſeph apud Hebræos idem quod incrementum ſonat : *Optimè huic congruit* (verba ſunt ejuſdem B. Alberti) *quia per hanc diſpoſitionem, quantùm ad proximum, & quantùm ad DEUM, ſublimiùs auctus fuit, Virtutum augmentatione, famæ celebritate, Matris DEI familiaritate, hominis reverentiá & dilectione.* *B. Albertus.*

Præterea laus ejus in Evangelio eſt; quia ejus originem genus & & familiam producit, dum ait eum natum eſſe, *de domo David, de familia David*, Luc. 2. imò ipſum *filium David*, Matth. 1. Indicat inſuper feliciſſimum ejus ſtatum, quòd videlicet fuerit non ſolùm *Vir MARIÆ*, Matth. 1. ſed etiam putatitius Pater CHRISTI, ſiquidem ipſamet Beatiſſima Virgo in præſentia Doctorum de ipſo dixit : *Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te*, Lucæ 2. *Laus* demum *ejus in Evangelio eſt*, quia illud commendat omnibus probitatem ejus vitæ, ac ſingularem prorſus morum innocentiam, dum eum vocat *Juſtum : Ioſeph cùm eſſet juſtus, noluit traducere eam.* *Luc. 2.* *Matth. 1.* *Lucæ 2.*

N. 242. Hanc poſtremò in Evangelio recenſitam laudem, poſtquam attentiùs conſideràſſem, animadverti quidem & tres alios Joſephi nomine inſignitos, fuiſſe vocatos *Iuſtos* à Spiritu Sancto; videlicet Patriarcham Joſeph, de quo Sapiens c. 10. *Hæc venditum Iuſtum non dereliquit.* Joſephum ab Arimathia : *qui erat Decurio Vir bonus & juſtus*, Lucæ 23. & Joſephum illum, qui cum D. Mathia, pro Apoſtolici muneris dignitate indipiſcenda fuit propoſitus, & ob morum integritatem *cognominatus erat juſtus*, Act. 1. Veruntamen longè excellentiori modo, D. Joſephum noſtrum titulo *Iuſti* condecoratum fuiſſe, collegi ex prærogativis ejus, quibus præ alijs exornatus fuit. Nam D. Auguſtino teſte, *cùm careret omni fomite peccati, nullo unquam ſe obſtrinxit peccato*; & cùm à DEO optimo, ex omnibus Viris jam ab æterno prælectus eſſet in Patrem legalem Chriſti & Sponſum Beatiſſimæ Virginis; *Fuit* (quod D. Chryſoſtomus, & Theophilactus perhibet apud Carthagenam) *adbuc in utero matris ſanctificatus*; adeóque meritò præ tribus his ſpecialiter Juſtus. Nihilominus etſi laudes, inſignes *Sapient. 10.* *Lucæ 23.* *S. Auguſtin.* *D. Chryſoſt.*

 pror-

Digitized by Google

N.243. prorſus in Evangelio à Spiritu Sancto obtinuerit; exiſtimo tamen, non inter poſtremas, eam numerandam eſſe, quòd velut ipſe JESUS Salvator noſter, cognominatus ſit *filius David, & de domo David*, ſiquidem ad amuſſim, virtutes in ſe expreſſit Davidicas: *Nam verè de domo David*, ait de ipſo D. Bernardus hom. 2. ſuper Miſſus; *verè de regia ſtirpe deſcendit vir iſte Ioſeph nobilis genere, mente nobilior, planè filius David, non degenerans à Patre ſuo David.* Conſentit & D. Antoninus, qui par. 44. tit. 15. c. 8. hæc profert: *Dicitur Ioſeph de domo David, non tantùm propter ſucceſſionem in genere, ſed principaliùs propter virtutum imitationem.* Has igitur virtutes, quàm præclarè in ſe expreſſerit ſanctiſſimus Joſeph, & quomodo à DEO, velut alter David, per mundi hujus *proſpera & aſpera* in beatitudinis requiem æviternam inductus ſit, præſens exponet dictio.

S. Bernard. — *S. Antonin.*

N.244. Si radioſiſſimum ſanctiſſimi Regis David, virtutum ſplendorem, toti penè orbi illuceſcentem conſpiciam, obſervo non parum luminis eidem attuliſſe, divinam illam electionem, qua eum DEUS ex omnibus in Regem electum ſuo præfecit populo. Nam ùt primùm Saulem, ob inobedientiam, aliáque delicta reprobavit: *Quæſivit* (ait ſacer Hiſtoricus 1. Regum c. 13.) *ſibi Dominus Virum, ſecundùm cor ſuum.* Et quidem, D. Chryſoſtomo teſte, quemadmodum Sponſa deſiderio flagrans, *quæſivit & invenit, quem diligebat anima ejus*, Cant. 3. Ità planè Dominus DEUS, ait homil. de David: *Cùm Davidem Regem populo deſtinâſſet, cúmque primò ſingulos homines ac diverſos attingeret, examinaret cunctos, plurimóſque pervideret, e quorum numero eligeret Regem, Rectorem præponeret, Ducem populo præficeret; invenit Davidem cujus meritum tranſiri non potuit.* Et quamvis DEUS providentiſſimus pauculis ante annis, eidem populo ſibi perdilecto præfeciſſet Saulem, ac in Regem ungi præcepiſſet; eum tamen non ſibi, & ſecundùm cordis ſui appetitum elegiſſe dicitur, ſicut elegit Davidem; ſed ſolùm in gratiam populi: *Saulem quidem elegit Dominus* (ait eruditè Doct. Procopius) *propter egregiam corporis ſtaturam; non quòd ipſe omnium qui eſt opifex, tanti eam faceret, ſed propter populum, qui ea quæ ſenſibus pulchra apparent, tantùm ſuſpicit, & admiratur.* At cùm Davidem in Regem eligere decrevit: *Quæſivit ſibi Dominus virum ſecundùm cor ſuum*, ait ſacer textus; *ut oſtenderet Davidem, totum ad utilitatem, voluptatémque*

1. Reg. 13. — *Cant. 3.* — *Procopius.* — *hom. de Da.*

témque divinam pertinere; teſte Mendoza noſtro in lib. Regum. Quare D. Chryſoſtomus, divinam hanc perpendens electionem bellè ait: *O beatum Davidis ſanctiſſimi meritum, quod laudat DEUS, prædicat Dominus, Judex præfert ſummus; cùm enim David ſanctus homo ſecundùm cor DEI, omnia quæ vult DEUS, velit, & quæ non vult, ſimiliter nolit; ideo eum Dominus individuo amore & conjuncta charitate dilexit.* Pulchra enimvero laus eſt iſta. D. Chryſoſt.

N.245. At cùm S. Patriarcha Joſephus verè fuerit *filius David*, ſeu *non degenerans à Patre ſuo David*: longè igitur meliori modo de eo dicere poſſum: *Quæſivit Dominus ſibi virum ſecundùm cor ſuum.* Siquidem & S. Bernardus jam olim ejuſdem erat opinionis, dum diceret hom. 2. ſuper Miſſus: *Joſeph prorſus filius David erat, non tantùm carne ſed fide, ſed ſanctitate, ſed devotione, quem Dominus tanquam David alterum, invenit ſecundùm cor ſuum, cui citò committeret ſecretiſſimum, atque ſacratiſſimum ſui cordis arcanum; cuique tanquam alteri David, incerta & occulta ſapientiæ ſuæ manifeſtaret.* Idcirco etiam DEUS optimus, cùm Filium incarnandum habere oportuerit, Patrem legalem & nutritium in terris; ſanctiſſimæ verò Virgini, Sponſum & Protectorem; ſapientiſſimè providit, ùt D. Joſephus electus ex millibus, has ipſas ſtrenuè tueretur partes: tanquam *Vir ſecundùm cor ſuum.* D. Bernard.

Et primùm quidem erat *Vir*, ùt & à D. Matthæo appellatus *Vir MARIÆ, ad ejus fortitudinem animi indicandam* (ait Mendoza) *quæ Viri nomine in ſacris literis frequenter exprimitur.* Dein erat etiam, non ſolùm ſecundùm cor DEI, id eſt, ad placitum & voluntatem DEI totus compoſitus & efformatus: ſed inſuper cùm Spiritus Sanctus propriè à SS. Patribus vocetur *Cor Patris*, tanquam amor utriuſque, fuit ſecundùm cor & voluntatem Spiritûs Sancti, dum aliquo modo ejus in terris obiret officia. Nam quemadmodum Spiritus Sanctus fuit Sponſus Virginis integerrimæ; de quo concepit Salvatorem mundi; illæſa prorſus virginitate, ità & D. Joſeph, ejuſdem erat Sponſus, qui intactam ejus cuſtodivit virginitatem. Præterea quemadmodum Spiritus Sanctus tanquam *virtus Altiſſimi eidem obumbravit*, Luc. 1. ità & ſuo modo D. Joſephus Virginem ſuam illibatam obumbravit, id eſt in protectionem ſuſcipiens; eam ubique defendit atque protexit. Denique quemadmodum Spiritus Sanctus animam ac vitam attribuit hu- Mendoza. Lucæ 1.

N.243. prorſus in Evangelio à Spiritu Sancto obtinuerit; exiſtimo tamen, non inter poſtremas, eam numerandam eſſe, quòd velut ipſe JESUS Salvator noſter, cognominatus ſit *filius David, & de domo David*, ſiquidem ad amuſſim, virtutes in ſe expreſſit Davidicas: *Nam verè de domo David*, ait de ipſo D. Bernardus hom. 2. ſuper Miſſus; *verè de regia ſtirpe deſcendit vir iſte Ioſeph nobilis genere, mente nobilior, planè filius David, non degenerans à Patre ſuo David.* Conſentit & D. Antoninus, qui par. 44. tit. 15. c. 8. hæc profert: *Dicitur Ioſeph de domo David, non tantùm propter ſucceſſionem in genere, ſed principaliùs propter virtutum imitationem.* Has igitur virtutes, quàm præclarè in ſe expreſſerit ſanctiſſimus Joſeph, & quomodo à DEO, velut alter David, per mundi hujus *proſpera & aſpera* in beatitudinis requiem æviternam inductus ſit, præſens exponet dictio.

S. Bernard.

S. Antonin.

N.244. Si radioſiſſimum ſanctiſſimi Regis David, virtutum ſplendorem, toti penè orbi illuceſcentem conſpiciam, obſervo non parum luminis eidem attuliſſe, divinam illam electionem, qua eum DEUS ex omnibus in Regem electum ſuo præfecit populo. Nam ùt primùm Saulem, ob inobedientiam, aliáque delicta reprobavit: *Quæſivit* (ait ſacer Hiſtoricus 1. Regum c. 13.) *ſibi Dominus Virum, ſecundùm cor ſuum.* Et quidem, D. Chryſoſtomo teſte, quemadmodum Sponſa deſiderio flagrans, *quæſivit & invenit, quem diligebat anima ejus*, Cant. 3. Ità planè Dominus DEUS, ait homil. de David: *Cùm Davidem Regem populo deſtinaſſet, cúmque primò ſingulos homines ac diverſos attingeret, examinaret cunctos, plurimóſque pervideret, e quorum numero eligeret Regem, Rectorem præponeret, Ducem populo præficeret; invenit Davidem cujus meritum tranſiri non potuit.* Et quamvis DEUS providentiſſimus pauculis antè annis, eidem populo ſibi perdilecto præfeciſſet Saulem, ac in Regem ungi præcepiſſet; eum tamen non ſibi, & ſecundùm cordis ſui appetitum elegiſſe dicitur, ſicut elegit Davidem; ſed ſolùm in gratiam populi: *Saulem quidem elegit Dominus* (ait eruditè Doct. Procopius) *propter egregiam corporis ſtaturam; non quòd ipſe omnium qui eſt opifex, tanti eam faceret, ſed propter populum, qui ea quæ ſenſibus pulchra apparent, tantùm ſuſpicit, & admiratur.* At cùm Davidem in Regem eligere decrevit: *Quæſivit ſibi Dominus virum ſecundùm cor ſuum*, ait ſacer textus; *ut oſtenderet Davidem, totum ad utilitatem, voluptatémque*

I. Reg. 13.

Cant. 3.

Procopius.

hom. de Da.

témque divinam pertinere; teſte Mendoza noſtro in lib. Regum. Quare D. Chryſoſtomus, divinam hanc perpendens electionem bellè ait: *O beatum Davidis ſanctiſſimi meritum, quod laudat DEUS, prædicat Dominus, Judex præfert ſummus; cùm enim David ſanctus homo ſecundùm cor DEI, omnia quæ vult DEUS, velit, & quæ non vult, ſimiliter nolit; ideo eum Dominus individuo amore & conjuncta charitate dilexit.* Pulchra enimvero laus eſt iſta. *D. Chryſoſt.*

N.245. At cùm S. Patriarcha Joſephus verè fuerit *filius David*, ſeu *non degenerans à Patre ſuo David*: longè igitur meliori modo de eo dicere poſſum: *Quæſivit Dominus ſibi virum ſecundùm cor ſuum.* Siquidem & S. Bernardus jam olim ejuſdem erat opinionis, dum diceret hom. 2. ſuper Miſſus: *Joſeph prorſus filius David erat, non tantùm carne ſed fide, ſed ſanctitate, ſed devotione, quem Dominus tanquam David alterum, invenit ſecundùm cor ſuum, cui citò committeret ſecretiſſimum, atque ſacratiſſimum ſui cordis arcanum; cuique tanquam alteri David, incerta & occulta ſapientiæ ſuæ manifeſtaret.* Idcirco etiam DEUS optimus, cùm Filium incarnandum habere oportuerit, Patrem legalem & nutritium in terris; ſanctiſſimæ verò Virgini, Sponſum & Protectorem; ſapientiſſimè providit, ùt D. Joſephus electus ex millibus, has ipſas ſtrenuè tueretur partes: tanquam *Vir ſecundùm cor ſuum.* *D. Bernard.*

Et primùm quidem erat *Vir*, ùt & à D. Matthæo appellatus *Vir MARIÆ, ad ejus fortitudinem animi indicandam* (ait Mendoza) *quæ Viri nomine in ſacris literis frequenter exprimitur.* Dein erat etiam, non ſolùm ſecundùm cor DEI, id eſt, ad placitum & voluntatem DEI totus compoſitus & efformatus: ſed inſuper cùm Spiritus Sanctus propriè à SS. Patribus vocetur *Cor Patris*, tanquam amor utriuſque, fuit ſecundùm cor & voluntatem Spiritûs Sancti, dum aliquo modo ejus in terris obiret officia. Nam quemadmodum Spiritus Sanctus fuit Sponſus Virginis integerrimæ; de quo concepit Salvatorem mundi; illæſa prorſus virginitate, ità & D. Joſeph, ejuſdem erat Sponſus, qui intactam ejus cuſtodivit virginitatem. Præterea quemadmodum Spiritus Sanctus tanquam *virtus Altiſſimi eidem obumbravit*, Luc. 1. ità & ſuo modo D. Joſephus Virginem ſuam illibatam obumbravit, id eſt in protectionem ſuſcipiens; eam ubique defendit atque protexit. Denique quemadmodum Spiritus Sanctus animam ac vitam attribuit humani- *Mendoza.* *Lucæ 1.*

Digitized by Google

manitati Chriſti, ità D. vitam eandem, velut Nutritius alendo in plures annos conſervavit.

N.246. Venio nunc ad præclaras utriuſque virtutes in particulari. Eximiam ſanè ſanctiſſimi Regis ſanctitatem laudaturus Syracides cap. ſuo 47. eam hac expreſſit comparatione: *Quaſi adeps ſeparatus à carne, ſic David à filiis Iſraël*; id eſt, ùt doctiſſimus explanat Mendoza noſter: *Sicut adeps in hoſtia pacifica ſacratior erat, quia totus in honorem DEI cremabatur, Levit. 3. omnis adeps Domini erit perpetuò in generationibus; ita David in populo Iſraël erat aliis ſanctior, quia ſe totum in divinum obſequium conſecrabat.* Verùm cùm S. Joſeph fuerit filius David, non tantùm carne ſed fide, ſed ſanctitate, ſed devotione, poteſt quoque illud ipſum de eo dici: *Quaſi adeps ſeparatus à carne, ſic Ioſeph ab omnibus filiis hominum.* Et quidni cæteros ſanctitate ſuperaret, qui adhuc in utero matris ſuæ poſitus, Spiritûs Sancti gratiâ repletus & ſanctificatus fuit? qui mox ab ineunte ætate, fomitem peccati adeo extinctum habuit, ut nullo unquam ſe ſcelere obſtrinxerit. *Nam Ioſeph* (ait Gerſon ſerm. de Nat. Virg. *Sanctificationem in utero recipiens, cum MARIA plena gratiâ fomitem reprimente, manſit repletus gratiâ peccatum quodlibet mortale ſuperante.*

Eccli 47. *Mendoza.* *Gerſon.*

N.247. Celebrabatur præterea David ab humilitate, quòd licèt ſciverit ſe deſtinatum & unctum eſſe in Regem, humilis tamen ſemper, ac vilis in oculis ſuis fuerit; eáque de cauſa nuptias inire detrectaverit cum Michol filia Regis Saul, nè humilitatis ſuæ videretur tranſcendere colles. Nam cùm Rex Saul poſt partam à Phyliſtæis victoriam, ei in matrimonium collocare vellet filiam ſuam juniorem; ſtatim his verbis ſe excuſavit, 1. Reg. c. 18. *Quis ego ſum, aut quæ eſt vita mea, aut cognatio Patris mei in Iſraël, ut fiam gener Regis? ego autem ſum vir pauper & tenuis*: hoc ubi ponderat D. Chryſoſt. bene de ipſo ait: *David pro ſua modeſtia, recuſavit conjugium non deterritus periculis; ſed quod ſe exiſtimaret indignum affinitate regia, imò uſque adeò cor habebat contritum; ut poſt tot res cum laude geſtas, poſt adeo ſplendidam victoriam, poſt expreſſam promiſſionem, indignum ſe judicaret, qui debitam reciperet mercedem.*

1. Reg. 18. *D. Chryſoſt.*

At nequaquam Davide inferior erat in humilitate *filius David* ſanctiſſimus Patriarcha Joſeph; ut qui deſponſatam ſibi jam Virginem, poſt-

Digitized by Google

poſtquam intellexiſſet parituram verum DEUM & Hominem, præ humilitate, omnino voluit occultè dimittere eam: *Non quòd illam abominatus ſit* (ait D. Baſilius hom. de Chri. generat.) *ſed quòd eam metuerit ùt Spiritu Sancto plenam.* Idcirco & D. Bernardus autumat Sanctum Joſephum ob talem humilitatem voluiſſe recedere à Virgine Sanctiſſima ob qualem poſtea D. Petrus & Centurio à ſe repulerunt Chriſtum: *Nam propter hoc Ioſeph voluit dimittere eam*, ait hom. 2. ſuper Miſſus, *propter quod & Petrus Dominum à ſe repellebat dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator ſum, propter quod & Centurio à domo ſua eum prohibebat, cùm diceret: Domine non ſum dignus: ita ergo & Ioſeph indignum & peccatorem ſe reputans, dicebat intra ſe, à tali & à tanta, non debere ſibi ultrà familiare præſtari contubernium, cujus ſupra ſe mirabilem expaveſcebat dignitatem.* D. Baſilius. S. Bernard.

Complures alias ut enarrare omittam, utriuſque virtutes; adverto nihilominus eos potiſſimùm in patientia, ſeu variarum adverſitatum tolerantia exercitatos, & prorſus fuiſſe excellentes. Davidem ſanè innumera propè perpeſſum fuiſſe, partim à Saule, partim ab Abſalone, partim ab alijs, qui inſtanter vitæ ejus inſidiabantur, abundè recenſent libri Regum, ubi teſte Genebrardo clarè memoratur, eum nonniſi duodecies fugere debuiſſe à facie Saulis. Unde bene D. Hieronymus in 2. caput Sophoniæ, hæc de eo ſcripſit: *David per ſingula creſcebat opera, & perſecutio Saulis, virtutum illius profectus erat*; itaque ex perſecutionibus creſcebat ut DEO ſuo ſeſe obtulerit, ad plura & plura perſecutionum perferenda flagella: *Nam generosè planè tulit flagella*, ait D. Baſilius hom. 10. in Pſal. *quæ per calamitates alias, aliis ſuccedentes ei evenerunt.* N. 248. D. Hieron. D. Baſilius.

Verùm ſingulare quid eluxit in S. Joſepho, qui per omnia adverſitatum genera progreſſus, imperterritum ſemper præ ſe tulit animum; indicat enimverò id ſupérque ſatis, unica illa; at moleſtiſſima de nocte fuga in Ægyptum, quam generoſa planè ſuſcepit mente. Vix enim Angelus Domini, de nocte comparens, eum his verbis admonuit: *Surge, accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum*; è veſtigio, licèt valde arduum illi hoc accideret: *Surrexit*, & ut teſtatur D. Matth. c. 2. *Accepit puerum & matrem ejus & ſeceſſit in Ægyptum.* Et quidem quod admiratur D. Chryſoſtomus hom. 8. in Matth. *In re obſcura & perplexa nihil* Matth. 2. D. Chryſoſt.

nihil locutus eſt, nihil interrogavit; ſed ad nutum obedivit, tentationes omnes cum gaudio ſuſtinens. Et quamvis Cajetanus Card. putet S. Joſephum, non ſtatim illa nocte, ſed alia pôſt abijſſe, eò quòd ſibi priùs neceſſaria pro tam longinquo itinere comparare debuerit: nihilominus tamen plerique cum D. Chryſoſtomo in ea ſunt opinione, eum illa ipſa nocte convaſatis rebus ſuis commiſiſſe ſe itineri: *Ecce promptam Joſephi obedientiam* (ait in eadem hom.) *nullâ interpoſitâ morâ, antequam dies illuceſceret, ipſa etiam nocte, nè quiſpiam fugam obſervaret, viam aggreditur.* Quod dum perpendo, video fugam hanc longè graviùs accidiſſe S. Joſepho, quàm quondam ſua acciderit Regi Davidi. Jlli enim dum fugeret, ſive à facie Regis Saul, ſive à facie Abſalonis; non erat neceſſe fugere extra Judææ regnum; at S. Joſepho injunctum erat ad remotiſſimam prorſus ſecedere regionem: *David perſequente Saul* (ait S. Chryſologus ſerm. 150.) *ad Judeam confugit, at Chriſto fugiente locus deeſt, Provincia deficit, non ſubvenit patria, dum migrat, non finitimæ ſufficiunt regiones; ſed Ægypti triſtem locum, linguâ, moribus barbarum, procurant exilium.* Adeò ut viatico neceſſario deſtitutus quinquaginta & ampliùs milliaria (ùt nonnulli ſupputârunt) ei pedes fuerint conficienda. Poſtea David Rex quàm primùm iter aggreſſus eſt, non caruit ſolatio, à viatoribus accepto; ſiquidem fortiſſimi milites, Cerethi & Pheletti, ejus utrimq; ſtipabant latera; nec deerant amici, qui eum verbis ac cibis recreabant; at JESUS MARIA JOSEPH ſoli ac ab omnibus amicis deſerti, per viam hanc longiſſimam incedere coacti ſunt.

D. Chryſoſt. *D. Chryſol.*

N.249. Demum ſi utriuſque penitiùs inſpicio vitam; clarè adverto DEUM optimum eos more ſuo conſveto, tanquam filios ſummè dilectos, duxiſſe per *proſpera & aſpera* in exoptatam beatitudinis requiem. Imò cùm D. Chryſoſtomo atteſtante, *DEUS Sanctos ſuos neque tribulationes, neque jucunditates ſinat habere continuas; ſed tum ex adverſis tum ex proſperis Juſtorum vitam, quaſi admirabili varietate contexit;* fecit ut alternante fortuna ſuum quoque abſolverent curſum. Et primùm quidem S. Davidis vitam quàm admirabili varietate non contexuit? quàm ſæpe non læta miſcuit triſtibus? Certe lætiſſima Davidi accidit dies illa, quando relictis in campo ovibus, ſtans in medio ſuorum fratrum, ſalutatus & unctus eſt à Samuele Propheta in Regem Judæorum; fau-

D. Chryſoſt. homil. 8. in Matth.

Digitized by Google

fauſtiſſima æquè illi fuit, quando in aulam Saulis regiam ſublatus, & à Rege dilectus, & in armigerum ejus aſſumptus eſt: *Nam dilexit eum Saul nimis,* ait cap. 16. lib. 1. Regum, *& factus eſt armiger ejus.* At 1. Reg. 16.
non duravit diu hæc læta arridentis Fortunæ facies; ſiquidem paulò pòſt, iram Saulis declinans, *reverſus eſt* cum cithara ſua *David à Saul, ut paſceret gregem Patris ſui in Bethlehem.* 1. Reg. 17. Rurſum qua- 1. Reg. 17.
linam gaudio non eſt delibutus tum, quando percuſſo Phyliſtæo, triumphabundus à mulieribus undique concurrentibus audijt: *Percuſſit* 1. Reg. 18.
Saul mille, & David decem millia. 1. Reg. 18. Magnum ſanè erat gaudium, ſed cujus extrema mox occupavit luctus, ſiquidem, *non rectis oculis aſpiciebat Saul David die illa, & deinceps.* Imò pauculis elapſis diebus, nitebatur eum configere Saul lanceâ ſuâ, unde fugâ ſibi conſulere debuit. Interim ut hunc dolorem nonnihil leniret DEUS, fecit ut ab omnibus, maximè à Principibus populi diligeretur; nam *omnis* 1. Reg. 18.
Iſraël & Juda diligebant David. 1. Reg. 18. Quibus etiam agentibus factum, ut non ſolùm reponeretur in locum honoris priſtinum; ſed inſuper fieret gener Regis; accepta in Conjugem Michol, quam ſibi deſponſaverat centum præputijs Phyliſtinorum. Verùm & hæc delicioſa jucunditas non poterat ei eſſe diuturna, ſiquidem paulò pòſt irâ ſtimulatus Saul: *Locutus eſt ad Ionatham filium ſuum, & ad omnes ſer-* 1. Reg. 19.
vos ſuos, ut occiderent David; ac propterea pluribus annis ſeparatus à Conjuge in ſilvis & montibus, vitam fugitivus tranſigere debuit, bene igitur dicere poſſum cum S. Chryſoſtomo: *DEUS Davidis vitam, tum ex adverſis, tum ex proſperis, quaſi admirabili quadam varietate contexuit.*

Nihilominus cùm Sanctus Patriarcha Joſeph, & *filius David*, & per excellentiam fuerit *Juſtus*; accidit, ut DEUS quoque vitam illius, *admirabili quadam varietate contexuerit*, læta videlicet miſcendo triſtibus. Certè D. Chryſoſtomus varietatem hanc, gaudijs ac dolori- D. Chryſoſt. N.250.
bus refertam, diſertis planè enarrat verbis: *Videndo gravidam Sponſam,* inquit hom. 8. in Matth. *in conturbationem incidit maximam; ſed adfuit repentè Angelus, timorem prorſus extinguens. Deinde videns Puerum natum maxima exultatione repletus eſt, ſed rurſus huic etiam gaudio, periculum grande ſucceſſit; audiens ob Neo-natum Regem Judæorum civitatem totam cum Rege Herode turbari, non parum expavit. Sed*

Digitized by Google

hunc mærorem alia rurſus lætitia ſubſecuta eſt, videlicet apparitio ſtellæ, & Magorum adoratio. Verùm nec hæc moras diuturnas traxit, ſiquidem jubente Angelo, etiam de nocte ob furias Herodis, coactus eſt vertere ſolum, & in Ægyptum proficiſci. Gaudium tamen iterum non mediocre ei acceſſit, quando in itinere vidit (ut quidam opinantur) ad præſentiam Chriſti idola gentium corruere, ipſáſque ſe inclinare arbores. Denique inexplicabilem dolorem ſenſit, quando duodennem Jeroſolymis in templo perdidit JESULUM; ſed ſummè rurſum recreatus eſt, quando eundem reperit, ſedentem in medio Doctorum, *Luce 2.* à Virgine Sanctiſſima audijt Pater Chriſti: *Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Verè igitur DEUS etiam *vitam illius, tum ex adverſis, tum ex proſperis, quaſi admirabili quadam varietate contexuit.*

Quare cùm DEUS optimus maximus, ſic & non aliter ſuos tractare ſoleat; optarem ut quilibet, qui per tribulationum ducitur viam, ac adverſitatibus, perſecutionibus, aliíſque miſerijs atteritur, non con- *D. Bernard.* ſideret animo, ſed hortante D. Bernardo: *Meminerit magni illius Ioſeph*, quem ſimiliter DEUS duxit per proſpera & adverſa; juvabit proinde, unum aliquem, ſi in his adverſitatibus poſitus, ſupplicabundus accurrat ad S. Joſephum, & per ejus dolores ac gaudia petat, ab ijs eripi ac liberari; maximè cùm Sancto huic, DEUS conceſſerit in quacunque neceſſitate exiſtentibus opitulari: nam *quibuſdam Sanctis da-* *D. Thomas.* *tum eſt*, ait D. Thomas, *in aliquibus ſpecialibus cauſis patrocinari; at ſanctiſſimo Ioſepho in omni neceſſitate & negotio conceſſum eſt opitulari.* Verbô, ſæpius illud repetat ex Hymno Hiſpalenſi:

O Cuſtos Matris Domini,
Devotos tuo nomini,
Joſeph alme, per aſpera,
Salva ſemper & proſpera, &c.

CLAS-

Digitized by Google

CLASSIS V.

FESTA SS. APOSTOLORUM.

In Feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.

CONCIO I.

B. Petrus Sol, B. Paulus Luna. D. Thom. Aqu.

ARGUMENTUM. *Ex occaſione ſententiæ D. Thomæ, quâ Eccleſiam Chriſti Cœlum, S. Petrum Solem, & S. Paulum Lunam appellat; oſtendo eos ad amuſſim proprietates horum duorum luminarium expreſſiſſe, & primò quidem S. Petrus Sol erat in firmamento Eccleſiæ, quia tum intrinſecè velut Sol, perfectiſſima in DEUM exarſit charitate; tum extrinſecè virtutum ſplendore omnia quaquaverſum illuminavit. S. Paulus verò Luna erat; quia ſicut Luna tenebras noctium, ſic ille tenebras errorum &c. doctrinæ ſuæ luce fugavit. Poſtea ſicut Luna præ cæteris Planetis, vel maximè in hæc inferiora influit; ita ipſe zelo animarum flagrans præ omnibus Apoſtolis in hominum corda, eorúmque converſionem influxit potentiſſimè, quæ omnia exemplis luculenter confirmantur.*

Fecit DEUS duo Luminaria magna. *Geneſ. c. 1.*

SI juxta D. Auguſtinum, Rupertum & Eucherium *Eccleſia DEI paradiſus eſt*, jure meritò Sanctiſſimi Apoſtolorum Principes Petrus & Paulus eſſe poterunt *duæ Olivæ fructiferæ*, ſeu veriùs *duo Filij Olei*: quos in ſpiritu prævidit Vates Zacharias cap. 4. *Nam quem-* N. 251. Zach. 4.

S. Pet. Dam. *admodum oleum liquoribus ſupernatat, illuminat, & paſcit mortales* (ait purpuratus Præſul D. Petrus Dam. ſerm. 2. in hoc feſto) *ita & Apoſtolica eorundem pietas, aliorum virtutibus antefertur, illuminat cæteros* S. Rupertus. *operibus; paſcit verbo & exemplo.* Si *Eccleſia Domus DEI eſt*, juxta D. Rupertum, erunt haud dubiè eodem teſtante in lib. Regum; glorioſi hi Apoſtoli *bina Columna* primariæ, totius ædificij molem fortiter ſuſtinentes; aut juxta Lyranum: Lyranus. *grandes ac pretioſi lapides, poſiti ſupra fundamentum, ſeu angularem lapidem, qui eſt Chriſtus*, ad Epheſ. c. 2. Rabanus. Si docente Proſpero & Rabano, *Eccleſia Chriſti ſponſa eſt, quam per ſui corporis ac ſanguinis pretium redemit* (ùt ipſe ait) *ac participium ſui nominis donavit, ut à Chriſto videlicet vocaretur Chriſtiana; ſicut Adam mulierem, de ſua carne creatam, nominis ſui participem eſſe voluit*; erunt abſque dubio DD. Petrus & Paulus; hujus Sponſæ, nec maculam, nec D. Bernard. rugam habentis *duo Paranymphi*, quales disertè probat D. Bernardus ſerm. in hoc feſto. Si rurſum *Eccleſia*, juxta Doctiſſimum Origenem Origenes. *Arca Domini eſt*, ut quæ non tam virgam Aaronis thaumaturgam, Manna & Legis tabulas continet; quàm miraculorum Chriſti effectricem aſſiſtentiam, juge ſacrificium, & gratiæ Legem. Erunt magni hi duo Apoſtoli, *Cherubim duo aurei*, ſimiles ijs, quos juſſu Domini Be- Exodi 37. ſeleel, Exodi 37. ex auro ductili poſuit ex utraque parte Propitiatorij, extendentes alas & tegentes Propitiatorium, ſéque mutuò & illud

N. 252. aſpicientes. Si *Eccleſia unica Chriſti columba eſt in foraminibus petræ, in caverna maceriæ*, qualem fusè probat S. Hieronymus, erunt jure S. Hieron. Eucherius. meritiſſimo ijdem Apoſtoli, juxta Eucherium Lugdunenſem ſerm. in cap. 49. Geneſ. *duo oculi, qui ſcientiæ lumen, univerſo corpori Eccleſiæ præſtant.* Si denique *Eccleſia eſt cœlum*, quod pulchrè demonſtrat Doctor Angelicus, ſerm. in hoc feſto, erunt profectò D. Petrus & Paulus, *magna illa duo luminaria*, quæ procreavit DEUS die quarto; videlicet *Luminare majus, ut præeſſet diei, & Luminare minus, ut præeſſet nocti.* Nec abs re, ſiquidem *B. Petrus Sol eſt* (ait D. Thomas) D. Thomas. *qui fons ſplendoris in cognitione, & fornax ardoris in amore; B. Paulus verò Luna, quia lux noctis & fons roris ſeu gratiarum.*

Quare, cùm jam & olim, hos duos Apoſtolorum Principes, Solis inſtar fulgurare ac Urbem Romanam, ab eorum virtutum radijs, magis quàm cœlum ipſum illuminari, adverterit D. Chryſoſtomus, hæcque

pro

pro roſtris Antiochenis, homil. 52. disertè eloquutus ſit: *Nunquam cælum ita ſplendeſcit, quando radios Sol demittit; quemadmodum Romanorum Urbs, duos iſtos fulgores, ubique terrarum emittens.* Conſtitui ab hac aurea Solis ac Lunæ ſimilitudine, hodie nequaquam recedere; ſed in ſententiam horum Patrum ultrò concedendo, palàm oſtendere, glorioſiſſimos hoſce Apoſtolos; ob inſignem doctrinam, qua erudiebant cæteros, non ſolùm *veluti ſtellas, lucere in perpetuas æternitates*, Dan. 12. ſed inſuper ob præclaras ſuarum virtutum prærogativas; tanquam magna duo lumina fulgere in Firmamento Eccleſiæ. D. Chryſoſt. Daniel. 12.

Duplices eáſque primarias Solis deprehendo proprietates, videlicet eum & ad extra lucere candidiſſimè, & ad intra ardere ferventiſſimè. Unde Sanctiſſimus Mathematicorum apex Dionyſius Areopagita, cap. 4. de Div. Nom. magnum hoc cœli luminare deſcribens, earundem planè meminit proprietatum dicens: *Magnus hic Sol totus lucens & ardens, habet lumen per omnia diffuſum; ac radiorum ſuorum ſplendorem explicat & ſurſum & deorſum*; ſimiliter eaſdem commemorat D. Auguſt. ſerm. 59. dum ait: *Sol, candor & calor tria ſunt vocabula, ſed hæc tria unum ſunt, quod candet hoc calet, & quod calet hoc candet.* Verùm & hanc utramque Solis materialis proprietatem, ſereniſſimum Eccleſiæ noſtræ Solem D. Petrum, accuratè complexum eſſe, maximâ animi intueor cum voluptate. Cùm enim: *Lucere ſolùm vanum ſit* (ùt bene obſervat D. Bernardus) *tantùm ardere parum, at lucere & ardere perfectum*; intueor Solem hunc noſtrum, ità ſplendorem junxiſſe ardori, ut & intrinſecè perfectiſſimâ in DEUM exarſerit charitate, & extrinſecè ſplendoris ſui vehementiâ, omnia quaquaverſum illuminaverit. N.253. D. Auguſtin. D. Bernard.

Ut autem ab exæſtuanti ejus ordiar charitate, animadverto ipſam tantopere cor hujus Solis occupâſſe, ut eundem omnis omnino moræ, reddiderit impatientem. Ardebat enim eò uſque, ut nulla frigoris moleſtiæ, nulla impetuoſa aquarum vis, nulla turbida tempeſtatum procella, quidquam in eo reſtinguere, aut imminuere potuerit. Igneos, námque in DEUM ejaculabatur globos; ferventiſſimas evibrabat faculas, flagrantiſſimis amorum flammulis cor amabile JESU, iterum, iterúmque provocando in ſui pelliciebat amorem. Hanc ſanè nimiam ejus amoris vehementiam, videre licet, vel in illo actu, quando ſub N.254.

Digitized by Google

quartam vigiliam noctis è navicula in impetuoſum, ad unicam vocem Domini exilijt mare Tiberiadis, ſéque turbulentis, audacter commiſit
Matth. 14. fluctibus: *Venit Dominus*, ùt refert Matth. c. 14. *ad eos ambulans ſuper mare, dum navicula eorum, in medio mari jactaretur fluctibus*; clamantibus ac opem ſolicitam petentibus, inclamavit eis dicens: *Habete fiduciam, ego ſum, nolite timere*; res mira vix inaudijt vocem Domini Petrus, quem tamen alij pro phantaſmate habebant. Mox ſtimulante charitatis ardore, quo erga JESUM ſemper ferebatur, fiducialiter planè reſpondit, dicens: *Domine, ſi tu es, jube me venire ad te ſuper aquas*; imò ubi inaudijſſet unicum illud *Veni*, nullas ampliùs trahens moras; *deſcendit Petrus de navicula*, ait Evangeliſta, *ambulabat ſuper aquam, ut veniret ad JESUM*; à quo abeſſe illi, & permoleſtum, &
D. Hieron. ſummè erat tædioſum: *Petrus* (bene in hunc locum ait D. Hieronymus) *qui in omnibus locis ardentiſſima charitatis invenitur, eodem ardore nunc tacentibus cæteris, credidit ſe poſſe facere id per voluntatem ſui Domini, quod non poterat per naturam*. Credidit, inquam, facili negotio, Dominum, quem amabat, poſſe id concedere, ut medijs etiam in fluctibus non periclitaretur. Hinc etiam eodem D. Hieronymo teſte
Idem. ſerm. 47. de fide Pet. *In mari magis ambulavit dilectione, quàm pedibus, in navi enim poſitus conſiderat Dominum, & amore ejus ductus deſcendit in mare; non cogitat labentes aquas, & dum Chriſtum reſpicit, non reſpicit elementum; nec turbatur Petri ſemita, quæ ducit ad Chriſtum*. Unde & aureus Chryſoſtomus hæc perpendens, hom. 51. ſuper Matth. ad-
D. Chryſoſt. mirabundus exclamavit: *Vides, quàm vehementer ardet Petrus, vides, quanta fides ipſius tunc eſt; nemo enim ita ùt ipſe JESUM amabat, propterea nec dixit, jube ut ſuper aquas ambulem, ſed jube ut ad te veniam*.
N. 255. Ex hoc amoris veſtigio, ad aliud longè excellentius gradum faciamus. Si enim teſtante ipsâmet Veritate, apud Joannem cap. 15. *Nemo ma-*
Ioan. 15. *jorem charitatem habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*; nunquid D. Petrum hac eximiâ dilectionis prærogativâ caruiſſe
D. Hieron. exiſtimabimus? at qui juxta D. Hieronymum, *nimij ardoris amoriſque quàm maximi fuit in Dominum Salvatorem*; hac amoris notâ, vel maximè fuit decoratus. Procedite amabò parumper animo veſtro ad cœnam illam, dicámne luctuoſam, quia ultima? an miraculoſam, quia memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors & miſerator Domi-

nus;

Digitized by Google

nus; ad cœnam, inquam, ultimam, veſtram mentis conjicite aciem, & ibidem nimiæ charitatis flagrantiam, in pectore ignei Petri, nequaquam ſe occultare potuiſſe, animadvertetis, quin ruptis undique repagulis; trepidantibus alijs diſcipulis, fluminis inſtar potentiſſimè erupērit.

Dicebat valedicens Dominus: *Filioli adhuc modicum vobiſcum ſum*; & ecce è veſtigio hæſitantibus cæteris, teſte D. Joanne, ſolus Petrus rogat Dominum dicens: *quò vadis?* & cùm ei diceretur: *quò ego vado, non potes me modò ſequi*, maximo intrinſecus exæſtuans amore, unáque dolore quodam cordis correptus; ſuggerente reſponſum charitate hæc protinus Magiſtro ſuo reddidit: *Domine tecum paratus ſum & in carcerem & in mortem ire*, Luc. 22. Imò non contentus erat & vincula & mortem ſubire, aut ultimam pro Dilecto ſangvinis profundere guttam; ſed ipſam animam ſuam, qua dilectione non datur major, paratus erat pro Domino ſuo exponere. *Animam meam*, inquit, *pro te ponam*, Joan. 13. *Verùm itáne Petre* (verba ſunt magni Auguſtini) *facies id pro tuo JESU, quod nondum ipſe pro te? præire poteris, qui ſequi non poteris? quid tu præſumis? audi Dominum dicentem tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges.* Nihilominus ardentiſſimum Petri affectum perpendens D. Chryſoſt. hom. 72. in Joan. mirabundus hæc eloquitur: *Magnum quiddam dilectio eſt, & igne ipſo vehementiùs cœlum petit; cujus vim nihil retardare poteſt. Idcirco ejus fervore accenſus Petrus Chriſtum ſequendi deſiderio dixit: Quare non poſſum te ſequi modò? animam meam pro te ponam.* Præterea nonne Sol noſter ardens erat amore in Dominum tum, quando timore correptis cæteris ipſe animo ferventi, & Magiſtrum ſuum ulciſcendi ac eripiendi gratiâ, evaginato gladio percuſſit ſervum Pontificis? nonne flagrans erat charitate, quando fugientibus Diſcipulis ipſe (à longè licet) ſequebatur tamen eum, ut videret finem. Matth. 26. Hinc bene iterum D. Chryſoſtomus: *Ingens Petri ardor fuit, qui nec cæteris quidem fugientibus territus eſt.*

Ioan. 13. Luc. 22. Ioan. 13. D. Auguſtin. D. Chryſoſt. N:265. D. Chryſoſt.

Sic igitur internè ardentiſſimo Solis inſtar flagrabat amore Petrus; nec tamen ità flagrabat, quin etiam lucis ac ſplendoris ſui radios ad extra diffunderet. Et quidni illuminâſſet ad extra, qui ſua fidei luce, ſua candida confeſſione, ex ipſis Condiſcipulorum mentibus,

igno-

ignorantiæ diſpulit ac propulſavit tenebras? profectò quemadmodum Sol ſuo radiorum lumine, profundiſſimas montium penetrat cavernas; ità & ille profundiſſimum Divinæ Triados myſterium, cæteris omnibus detexit Apoſtolis. Quærenti enim Domino, *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Petrus tanquam os Apoſtolorum & caput, pro omnibus

Matth. 16. ſinceram fecit confeſſionem, dicens: *Tu es Chriſtus Filius DEI vivi;*

D. Hilarius. & in hac D. Hilario teſte: *Omnia ſumma de DEO, ac Filio ejus unigenito complexus eſt. Nam hunc DEUM Filium, de DEO profectum eſſe, aſſumpſiſſe corpus, & Hominem factum perfectè confeſſus eſt.* Meritò proinde

D. Thomas. D. Petrus juxta D. Thomam *fuit Sol, quia fons ſplendoris in vivaci cognitione, & fornax ardoris in perfecto amore.*

N. 257. Nunc ad Luminare alterum magnum, quod præeſt nocti, tenebras ac umbras fugat, accedamus. Et quis alius Luminare illud dici

SS. Patres. poteſt, niſi *Lumen mundi, orbis terrarum gloriatio; magnus veritatis præco, vas electionis, Dominicum inſtrumentum; omnium gentium nutrix, paſtor, Illuminator Beatiſſimus Paulus.* Certè quemadmodum Luna à duobus vel maximè commendatur, primùm quòd illuminet noctem, dein quòd in orbem hunc ſublunarem potentiſſimè influat, ità divinum illud lumen, non ſolùm erroris, ignorantiæ, ac infidelitatis tenebras, quas ſtygius umbrarum ac tenebrarum Princeps excitaverat, orbe propulſavit univerſo; ſed etiam adeò, in mortalium corda, ac animos influxit immenſus ejus animarum zelus, ut poſthabitis omnibus vitæ periculis, totum ſe tradiderit converſioni animarum.

1. Corinth. 9. Ac *omnibus omnia factus ſit, ut omnes Chriſto lucrifaceret.* Unde dum regiones inclytas, Provincias florentiſſimas; Regna propè omnia, in noctis ſqualore, in umbra mortis miſerè jacentia intueretur; ac è ſolutis inferni repagulis, atras impietatis caligines undique circumfuſas, incolarum mentes miſerandum in modum depaſcere, depaſtáſque in æternum calamitatis abyſſum deturbare animadverteret; mox Evangelica ſua luce, tum per ſe, tum per Epiſtolas, tum per Diſcipulos; ità omnia quaquaverſum illuſtravit, ut intra breviſſimum temporis ſpatium multis in locis impietatem, cum ſuis errorum tenebris receptui canere coëgerit.

N. 258. Teſtatur enimverò id feliciter per Macedoniam, Cyprum, Achajam, Aſiam, utrámque Dalmatiam, & totam penè Græciam, excisa

Dæmo-

Digitized by Google

Dæmonum delubra, quæ concionante D. Paulo incolæ, in alios jam tranſmutati viros, forti animo ac brachio, oblatrantibus licèt Deorum Popis funditùs everterunt. Teſtantur ſubverſæ Athenienſium aræ, quas diſputante D. Paulo in Areopago, nonnulli ad fidem converſi, animosè ſubruerunt. Teſtantur denique copioſi Romanorum confracti Dij, quos & elingves & mutos reddidit; imò in cinerem redegit admiranda Pauli potentia. Hinc meritò Romanorum Præſulum gloria D. Leo ſerm. 1. in feſto SS. Romam ab his duobus illuſtratam Luminaribus, ſic affatur: *Iſti ſunt Viri, per quos tibi Evangelium Chriſti Roma reſplenduit; & quæ eras magiſtra erroris, facta es diſcipula veritatis, & quantò eras per diabolum tenaciùs alligata, tantò per hos Apoſtolos es mirabiliùs abſoluta.* *S. Leo.*

Nec jam miror ampliùs orbem propè univerſum, ab hoc illuſtri lumine fuiſſe illuminatum, homines ex infidelitatis tenebris Pauli facundiâ ad fidei lumen adductos, cùm ipſiuſmet radios lingvæ, vocem intelligo, Dæmones ferre neutiquam potuerint, ſed ſtationes ſuas ultrò & quàm primùm deſeruerint. *Tonitru ita terribile nobis non eſt*, (ait jam ſæpiùs citatus magnus Chryſoſt. hom, 32. in epiſt. ad Rom.) *quemadmodum una vox Pauli dæmonibus, ſi enim veſtimenta ejus horruerunt, multò magis vocem; ipſa enim vinctos illos & captivos egit, hæc orbem terrarum expugnavit, hæc morbos diſſolvit, vitium expulit, veritatem ſuperinduxit, Chriſtum habuit inhabitatorem.* *D. Chryſoſt.*

Quid nunc dicam de flagrantiſſimo ejus animarum zelo, quo magis & potentiùs in hominum corda, quàm unquam Luna in humana influxit corpora? quid proferam de inextingvibili ejus ſiti, quâ impellente contempſit *pericula fluminum, pericula latronum, pericula gentium, pericula falſorum fratrum?* qua urgente *in labore & ærumna, in vigiliis multis, in ſiti & fame, in frigore & nuditate* vitam tranſegit? qua demum ſtimulante, *ter virgis cædi, perſecutionem pati, blaſphemari, & tanquam peripſema hujus mundi haberi voluit?* Eloquar an ſileam? promptum ejus omnibus ſuccurrendi animum, dum ſe ſervis fecit conſervum; Judæis Judæum, infirmis infirmum, ut eos DEO lucrifaceret ac ſvavi recrearet ſolatio. Celebret etiamnum Poëta Lucanus Imperatorum Alpha magnum Cæſarem, quòd in adeundis periculis, ínque velitationibus, & exercitûs Imperatorem, & Ducem legionarium, & De- N.259. 2. Cor. 11.

Digitized by Google

curionem, & Militem ſtationarium, & cunicularium; verbò, omnem egerit perſonam. Extollat, inquam, Heroëm hunc invictiſſimum, ac canendo iteret illud ſuum *Omnia Cæſar erat*, & nè in minimo quidem, cum ſacro Cæſare noſtro, qui *omnibus omnia factus eſt*, erit conferendus. *Ille enim tanquam Gubernator in navali prælio* (ùt pulchrè de D. Paulo ait Doct. Theodoretus apud Metaphraſten) *omnes erat confirmans, nautas adhortans, proram circumſpiciens; funes tendens, remum tractans, cœlum ſuſpiciens; ipſe denique erat Nauta & Gubernator, & omnia patiens, ut mala ſolveret aliorum.* Pro quibus, quod obſtupeſcendum eſt, etiam à Chriſto anathema fieri exoptabat; id eſt, ùt explicat D. Chryſoſt. hom. 14. in Epiſt. ad Rom: *Optabat in gehennam mitti, & judicium ſubire perpetuum pro eorum ſalute, à quibus fuerat ſæpe lapidatus.* Hunc exceſſivum prorſus animarum zelum ubi accuratiùs ponderâſſet idem S. Doctor, audet illum præferre, vel ipſi zelo Moyſis quo inflammatus petijt à DEO mori cum populo. *Moyſen etiam Paulus, ſatis eminenti virtute tranſcendit* (ait homil. 1. de laud. Pauli) *cujus inter multa præclara illud eſt faſtigium meritorum, quòd pro Judæorum ſalute, deleri elegit ex libro vitæ. Sed Moyſes cum cæteris elegit perire, Paulus pro cæteris, non enim cum pereuntibus perire voluit, ſed ut ſalvarentur alij ipſe de gloria æternitate decidere; & ipſe quidem Pharaoni, hic autem diabolo, quotidie repugnabat; & ille pro una gente, iſte pro univerſo orbe certavit, non ſudore ſed ſanguine, vice ſudoris undique profluente.*

Lucanus. *Theodoretus.* *D. Chryſoſt.* *D. Chryſoſt.*

N.260. Denique inſatiabilem ejus animum influendi in omnes, omnéſque Chriſto lucrifaciendi, vel ex illo colligite actu, quando Jeroſolymis ad mortem damnatus Cæſarem appellavit. Nam cùm Feſtus illum tradere vellet Judæis, ut ſatisfaceret eorum petitioni, Paulus elata voce dixit: *Cæſarem appello*, Act. 25. At quid agis invictiſſime Paule? Cæſarem appellas? mortem times; quis enim appellationem hanc tuam perpendens; non illicò inferat illud, te aut mortem tunc extimuiſſe, aut deſiderium ſaltèm longioris vitæ habuiſſe? Verùm abſit ab imperterrito Pauli animo, hæc inepta prorſus ſuſpitio, qui interdiu illud ſæpius ingeminavit: *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*; Item: *Ego non ſolùm alligari, ſed & mori in Jeruſalem paratus ſum.* Act. 21. Appellavit igitur à mortis ſententia, non longioris vitæ deſiderio, aut timore mor-

Act. 25. *Act. 21.*

mortis perculſus, ſed ut plures dies vivendo, plurimos, quin imò omnes Chriſto lucrifaceret. Ità D. Joan. Chryſoſt. hom. 7. de laud. Pauli præclarè ait: *Iſta faciebat Paulus, ut prædicationi inſiſteret, cúmq; multis hinc credentibus, atque multis iret coronatus ad Chriſtum, metuebat enim, nè pauper hinc atque inops multorum ſalutis abſcederet. Pauculi igitur illi videbantur, quotquot eatenus Chriſto lucrifecerat, totum mundum poſt ſe abripere & cœlo inferre optabat; ut omnibus coronatus iret ad Chriſtum.* Quod igitur Cæſarem appellaverit, erat deſiderium lucri animarum, volebat enim hic nullum relinquere, ſed omnes nullo excepto ſecum cœlo invehere. *D. Chryſoſt.*

Quare his perpenſis meritò hi duo beatiſſimi Apoſtoli; in firmamento Eccleſiæ ſunt *magna duo Luminaria*, quæ & dies & noctes, conſtanti radiorum fulgore illuminant. D. Petrus certè Luminare majus eſt diei; quia intenſiſſimam ejus charitatem, verè aquæ multæ non potuerunt extingvere. D. Paulus verò Luminare alterum noctis eſt; quia infidelitatis tenebras, peccatorum umbras, errorum caligines, evangelicâ ſua luce & diſpulit acriter, & propulſavit fortiter. Nunc *quaſnam vobis ô beatiſſimi Apoſtoli* (verba ſunt aurei Chryſoſtomi) *referemus gratias? qui tantùm pro nobis laboráſtis? memini tui Petre, & obſtupeſco; recordor tui Paule, & excedens mente opprimor lachrymis.* Scio quid faciendum, illius ad exemplum, vel hunc hodie ſincerum eliciamus cordis affectum, dicamúſque cum illo, *ſit nobis D. Pauli gladius pro corona & clavi D. Petri, pro gemmis infixis in diademate*; verbô, ſimus illorum imitatores, ſicut ipſi fuerunt JESU Chriſti. *D. Chryſoſt.*

In Feſto S. Andreæ Apoſtoli.

CONCIO II.

Unica in Cruce ſalus. S. Bernardus.

ARGUMENTUM. *Arbores hominibus in deliciis eſſe, nemo eſt qui ambigat; ſiquidem & Veteres certas Diis ſuis, quibus delectari arbitrabantur, attribuerunt. Hinc etiamnum videre eſt, quoſdam cum*

Digitized by Google

Filio prodigo, quieſcere ac ſalutem ſuam quærere ſub vite, quæ Bacchi ac Temulentiæ arbor eſt; alios deliciari cum Abimelecho & Abſalone, ſub frondoſa honoris quercu; alios ſub virenti Hedera, cum Volſæo aliiſque Aulæ ac Principum Paraſitis oblectari. Verùm cùm omnes hi, nullam nanciſcantur ſalutem; ſed ipſum interitum miſerandum incurrant. Oſtenditur in præſenti dictione, unicam ſalutem in ſanctiſſima Crucis Arbore reperiri, ac proinde optimè feciſſe D. Apoſtolum Andream, quòd in ea (quam bonam & diu deſideratam *affectuoſiſſimè complexus ſalutavit)mori decreverit.*

Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri JESU CHRISTI. *ad Galat. 6.*

N.261. NOn volucres ſolùm, ſed & homines ſuas deperire arbores, quotidiana atteſtatur experientia. At quid dico homines? cùm ipſos Deos à frondoſis exhilaratos fuiſſe arboribus nimiùm credula fabulata ſit antiquitas: dum Baccho hederam, Veneri myrtum, Apollini laurum, Palladi olivam, Herculi populum, Jovi quercum, ſuperſtitioſè conſecravit. Ea etenim arboribus ineſt vis & gratia, ut homines ſub ſuas, ſvaviſſimè alliciant umbras, allectos frondoſis baſient ramis, eáſque quandóque illis ingenerent opiniones, quibus feliciſſimos, ſub earum frondibus arbitrentur ſe eſſe inquilinos. Certè iſtiuſmodi non paucos ipſæ nobis ſacræ ſuppeditant Paginæ.

Quid obſecro Abrahamo Patriarcha erat ſanctiùs? & tamen ſua delectabatur quercu: ſub qua in ipſo fervore diei & cibos capere, & graviores curas depellere & hoſpites, imò & ipſum Dominum: Geneſ. 18. tanquam ſub ſibi chariſſima locare conſvevit, dicendo: *Re-* Geneſ. 18. *quieſcite ſub arbore.* Quid Sponsâ erat religioſius? & tamen ſub Dilecti ſui in tantum deliciabatur arbore, ut gaudio affectúque plena, il- Cant. 2. lud Sodalibus ſuis evulgare non dubitaverit: *Sub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi,* Cant. 2. Quid populo Iſraëlitico comparato cum gentibus erat unquam præſtantius? & iſte quoque, non ſolùm in ſolennitatibus tabernaculorum, ſed & aliјs anni temporibus, ſub ramis 1. Mach. 14. arborum recubare aſſveverat. Nam ut acta Machabæorum l. 1. c. 14. enarrant: *Lætatus eſt Iſraël lætitiâ magnâ; ſedit enim unuſquiſque ſub vite*

vite ſua, & ſub ficulnea ſua, & non erat qui eos terreret. Pari ratione dum oculos in Jonam; ſub umbraculo hederæ, exultantem conjicio, adverto & eundem ſe exiſtimâſſe beatiſſimum. Siquidem teſtante Scripturâ ſacrâ Jonæ c. 4. *Lætatus eſt Ionas ſuper hedera lætitiâ magnâ;* *Iona 4.* ſeu ùt explicat locum hunc D. Baſilius Seleucus orat. 12. *Spectando* *D. Baſilius.* *Ionas oblectabatur, ipſius triſtitiam minuebat flos, animúmque lætitiâ perfundebat herba tugurio circumfuſa, quæ projectum Solis radium vice muri frangebat.*

Sunt igitur arbores deliciæ hominum, ſuóſque habent raræ venuſtatis ramos, quibus mortalium corda, ſub ſua ſvaviſſimè attrahant umbroſa tentoria. Unde fit, ut non facilè aliquis ſub Sole degens reperiatur, qui non ad aliquam aſpiret arborem; qui non ad alicujus umbram veluti ad præfixum felicitatis ſcopum, & admitti cupiat, & lætari poſtulet. Proinde videre eſt quoſdam quieſcere ſub vite, alios deliciari ſub umbroſa myrto, non paucos ſub procera delectari quercu, plurimos ſub vili hederæ umbraculo, hilari lætáque mente omnino delitéſcere.

Quare cùm & hodie D. Apoſtolum Andream, ſub ſua quieſcentem arbore intuear, eáſque gloriabundi percipiam voces: *O bona crux, diu deſiderata, & concupiſcenti animo quæſita; accipe me ab hominibus, & redde me Magiſtro.* Inquiram breviter ſub qua arboris umbra, vera reperiatur hominis ſalus, veráque beatitudo, quæ ab ardoribus irati Solis Juſtitiæ, inquilinos ſuos indemnes conſervet; ut illuc & nos properantes quietem conſequamur feliciſſimam.

In Vite, cujus *vinum lætificat DEUM & homines*, Judic. 9. complures ſuam quærunt ſalutem, uſque adeò ut dementes, nullibi veriorem reperiri arbitrentur, quam ibi, ubi helluantium turba, inter ſcyphos & pocula, tritum illud inclamat ſalus! ſalus! ſed quæ ſalus in vite, cùm hæc à DEO propediem in ignem demergatur. Ezechiele teſte c. 15. *Ecce lignum vitis igni datum eſt in eſcam.* Quæ ſalus in voluptatibus & comeſſationibus, cùm *vacantes potibus, & dantes ſymbola conſumantur*, Proverb. 23. Imò juxta D. Paulum ad Galat. 5. *Quoniam qui talia agunt, regnum DEI non conſequantur?* quæ demum ſalus in ciborum ingluvie, cùm *finis illius ſit interitus?* ad Philip. c. 3. ſuóſque clientes Cyrcæo quaſi poculo dementatos porcis ſimiliores efficiat?

N. 262. *Iudic. 9.* *Ezech. 15.* *Prov. 23.* *Galat. 5.* *Philip. 3.*

Tuam enimverò teſtor ô prodige fili inviſam hactenus metamorphoſim, qui ſalutis ac beatitudinis loco, miſeram ruiſti in ſervitutem, ac ex opipara vitis cœna, in ſpurcum calamitatis cœnum, ex voluptuoſa comeſſationum umbra ad viles porcorum ſiliquas uſque deſcendiſti: annon *hæc maleſana cupiditas* (verbis utor D. Chryſologi) *te civem in peregrinum, filium in mercenarium, locupletem in egenum, liberum mutavit in ſervum? Annon junxit porcis, à Patre piiſſimo quem ſejunxit? ut ſervires cœnoſo pecori, qui pietati parere contempſiſti?* Ità eſt: vitis hæc non beatum, ſed miſerrimum reddidit hunc incautum juvenem: cúmque qui ſibi felicitatis ſcopum attingere videbatur, inſtar ſomniantis deluſum, graviſſimè fefellit. Audite amabò, non jam ſub vite ſed in medio porcorum gemebundi voces: *Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo.* Luc. 15. Quid ais ô delicate juvenis? fame peris? qui nutriebaris in croceis, nec ſatiari potes porcorum ſiliquis? qui abundabas tot ciborum ferculis, vel micâ panis deſtitueris? ergóne ſub vite quis famere poteſt? inter pendulos utrinque botros adhuc ab egeſtate premi? ô infeliciſſimum beatitudinis comprehenſorem, qui etiam ſub vite conſtitutus inſtar Tantali malè deluditur. O quàm bene cum D. Bernardo vices illius dolente exclamare, auſim. *Egregia Creatura facta eſt de grege, filius tanti Patris cibis porcorum enutritur.*

D. Chryſol. — Luc. 15. — S. Bernard.

N.263. Huc huc properate, *quorum DEUS venter eſt, quorum pulmo templum, aqualiculus altare, Sacerdos coquus eſt*, ùt loquitur Tertullianus. Figite obtutus veſtros in miſeram tanti filij immutationem, recogitate vobiſcum, an ùmbra vitis, ullam habere poſſit veræ beatitudinis notam, quæ non ſolùm hunc in ſicco reliquit, ſed & complures alios, quos ſacræ literæ commemorant, miſerè deluſit. Teſtatur enimverò id infelix ſeptem filiorum Job interitus, qui ſub vite cum ſororibus ſuis helluantes, à ruina domûs oppreſſi ſunt. Job c. 1. Teſtatur id, cruentas tot Judæorum in deſerto cædes, ſuper quos aſcendit furor Domini, dum adhuc eſcas in faucibus haberent. Teſtatur demum id (ut alia præteream) inopinatus Balthaſaris Regis Babyloniæ occaſus, qui ſub vite appenſus in ſtatera, inventus eſt minus habens, unáque vitam & regnum in manus conſignavit Medorum.

Philip. 3. — Tertullianus. — Iob. 1. — Numer. 11. — Daniel. 5.

N.264. Si nulla ſub vite ſalus eſt, poteſtne aliqua reperiri, ſub frondoſa ho-

honoris quercu, cùm plurimos auram ſub ea captare animadvertam? verùm qualis ibi beatitudo cenſeri poteſt, ubi jura omnia, profana, ſacra, humana, divina corruunt, ac violantur? Profectò vinculum illud, quo natura fratres illigavit, habetur ſacrum & inviolabile; verùm illud ſolvit, rumpit, frangit effrænis & flecti neſcia ambitio. Teſtis impius optimi Gedeonis filius Abimelech, qui ut Iſraëli imperitaret universo, occidit fratres ſuos *ſeptuaginta viros ſuper lapidem unum*. *Iudic. 9.* Præterea Filium Patri eadem natura ex communicato & transfuſo ſangvine, arctiſſimo junxit nexu, ſed & illum nexum, illum generationis nodum implexiſſimum, perfida diſſecuit ambitio; ſiquidem jam inde à ſæculis, crudeli impiáque dextra diſſolvit Abſalon; Abſalon inquam, *Bellua potiùs quàm homo, ut qui* (teſtante D. Chryſoſtomo) *ipſis naturæ inſultabat legibus*. *Geneſ. 2.* Sic uxorem cum viro unum eſſe voluit DEUS, mox à mundi incunabulis, cùm illud ederet oraculum, *erunt duo in carne una*. Verùm & illam arctiſſimam amoris unionem barbarus ambitionis enſis concidit, ac in tantum ſeparavit, ut viros in fæminas, imbellem alioquin ſexum ſævire docuerit; exemplo ſit toties, tum in ſacris, cùm in profanis paginis decantatus Judæorum Rex Herodes: qui ut regnaret ſolus, pijſſimam utì & lectiſſimam Conjugem Mariannam, per quam Judææ ſceptra obtinuit, publico in ſpectaculo, juſſit trucidari, ejúſque innoxias præcidi cervices. Denique ubinam charius amoris vinculum eſſe poteſt, quam inter Aviam & Nepotulos mediante filio procreatos? At illam quoque carnis ſangviníſque communionem evertit ambitio. Teſtis Athalia; quæ dum impotenti dominationis æſtu ſuccenſa, laxat furori fræna ferróque, & Nepotes ſuos Ochoziæ filios, Ochoziæ inquam filij ſui uterini, ſemen regium metit enſe; *4. Reg. 11.* viperâ longè inclementior: quæ ut partus ſuos in lucem edat, amittit lucem; hæc filios vitâ privat, ut in purpura ſceptróque vivat. Violat igitur effera honoris umbra juris humani vincula, leges naturæ infringit, pactáque omnia cædibus & funeribus replet: & tamen adhuc ſub hac cruenta ambitionis quercu, aliqua reſidere poteſt beatitudo? maximè cùm & ipſos clientes graviter deluſos proprio innatare ſinat cruore. Certè Abimelech fratricida peſſimus ſub hac frondoſa quercu à muliere, fragmen molæ deſuper jaciente proſternitur & effuſo cerebro miſerè exanimatur. *Iudic. 9.* Rex crudelis Herodes Joſepho teſte, ſub ca-

eadem umbra honoris à vermibus penitus conſumitur. Nequiſſima Reginarum Athalia, in ipſo Regio honoris throno conſidens, enſe percutitur ac enecatur. Quid Abſalon ipſâ belluâ deterior? quercus illi in peſſimam verſa eſt crucem, eúmque de ſe pendulum, poſteritati maledictum exhibuit: *Maledictus enim qui pendet ex ligno.*

4. Reg. 11.
2. Reg. 18.

N.265. Forſitan vires hedera juxta D. Gregorium Aulæ ac mundanæ vanitatis ſymbolum, aliquâ felicitatis decorabitur notâ, cùm videam ipſum Jonam Prophetam DEI ſub ea deliciari? At quid beatitudinis poteſt habere, tenera *unius noctis filia, quæ ſub una nocte nata eſt, & ſub una nocte perit*? Jonæ c. 4. quam ſalutem poterit conferre ſuis, quæ ab avido Fortunæ Mortíſque verme cingitur, continuò arroditur, ac breviſſimum intra tempus conſumitur? Et tamen quod obſtupeſcendum eſt, turmatim ſub hanc hederam, convolant filij hujus ſeculi; paſcuntur inſanè aurâ ac favore Principum, qui unica interdum die penitùs diſſipatur ac evaneſcit. Sciunt illud D. Ambroſij de bono mor: *In momento cuncta prætereunt, & ſæpe honor hujus ſæculi abit, antequam venit*; & ſecuri omnino fidunt mundo, fidunt vanitati, fidunt favori hominum, qui præter decipere & fallere, nil aliud nôrunt. Pro hac ſtabilienda veritate, ad te provocarem infelix Aman, quem poſt plurimos regios indeptos favores aula in patibulum promovit. Ad te recurrerem orbis Regúmque terror magne Bellizari, quem aula blandiens proprijs orbavit oculis. Imò te ſpectandum proponerem Maxime Ablavi, quem Aulicorum enſis ſub Conſtantino in fruſta diſcerpſit: niſi & noſtra tempora complures, voſíſque ſimiles Coſmophilos nobis abundè ſuppeditarent.

Jona 4.
D. Ambroſ.

N.266. Deſideratis unum è multis? accipite Thomam Volſæum; Volſæum inquam Romanæ Curiæ purpuratum Patrem, Henrici VIII. Regis Angliæ ſummum Cancellarium; quem deluſit aula, favor fefellit regius, mundus penitus deſeruit. Profectò ſi ullus ſub vili hac vanitatis hedera, varias Regum ac Principum captavit auras, captavit Volſæus; ſed etiam ſi ullus creſcentis hederæ vermem expertus eſt; expertus eſt idem Volſæus. Hic humili loco natus imò Sandero & Florimundo teſtibus: *Terræ Filius*, cùm ob penuriam Mediorum vitæ, Eccleſiaſticus factus fuiſſet, mox de virenti ſibi proſpexit hedera. Quam ubi in aula Regis Angliæ, maximè efflorеſcere, ac umbram jacere animadver-

Sanderus, & Florimundus.

Digitized by Google

vertiſſet, extemplò eo irrepſit, ac Vintonienſis Epiſcopi operâ, quem ſummè adorabat, primùm Regis Sacellanus, deinde ejuſdem Eleemoſynarius; poſtmodum in Tornacenſi Epiſcopatu Archi-Diaconus evaſit, in quo munere, cùm officioſa diu noctúque Regi præſtitiſſet obſequia, tam ſvavis gratiarum favonius eundem afflavit, ut trium Epiſcopatuum Lincolnienſis, Dunelmenſis ac Vintonienſis, quanta nomina! Epiſcopus inſigniretur. Quis hæc videns, ipſius non jam Terræ ſed Fortunæ filium proclamaret Volſæum? ut qui breviſſimo temporis ſpatio, tantâ ſub Anglicana hedera perfunderetur beatitudine? ſed *age, feſtina Volſæe* (verbis utor D. Bernardi ſimilem vanitatis aucupem compellantem) *feſtina* inquam, *multiplicare præbendas, inde ad Archi-Diaconatum evola; demum aſpira ad Epiſcopatum, nè ibi quidem requiem habiturus.* Et quî amabò requiem haberet, qui rodentem nactus eſt ſub hedera vermem? nequaquam igitur quieſcere potuit, irrequietus Volſæi animus; ſed poſtquam in Anglia, ſummum felicitatis apicem, in Archiepiſcopatu Eboracenſi, & totius Regni Cancellariatu attigiſſet: exteros Cæſarum, Regum ac Principum, ſummè ambivit favores; qui etiam tantopere eundem afflârunt, ut Pontificis Maximi gratiâ, ſacrum reciperetur in Purpuratorum Collegium, à Carolo V. Imperatore, & Franciſco II. Galliarum Rege, Regijs quotannis muneribus exornaretur. Imò tantâ lenitatis aurâ aſpergebatur à Carolo V. Imperatore, ut quotieſcunque eidem ſcriberet, in hæc verba ſe ſubſcriberet, Florimundo teſte, *Filius veſter & Cognatus Carolus.* D. Bernard.

Hanc inſolitam ſub hedera Volſæi beatitudinem, ubi ſuo tempore conſpexiſſet idem mellifluus Præſul, an nòn illico eadem quæ olim protuliſſet? *Quò progrederis miſer* Volſæe? *an ut ab altiori gradu, ſit caſus gravior? neque enim ſic paulatim decides, ſed tanquam fulgur in impetu vehementi, quaſi alter Sathan ſubitò dejicieris.* Et verò ſubitò è ſublimi corruiſſe, miſerabilis ejuſdem declarat exitus. Hic enim dum per Imperatorem Carolum deſignari petijſſet in Romanum Pontificem, ac ſpe ſuâ fraudatus fuiſſet; mox conceptam in Imperatorem iram, ubi in eundem effundere nequiviſſet, in Materteram illius Regis ſcilicet ſui Conjugem, Catharinam Hiſpanam effundere decrevit. Svadet proinde Regi ipſam tanquam demortui Fratris Uxorem omnino eſſe repudiandam; unáque ſe effecturum, ut matrimonium illud in N. 267. D. Bernard.

Digitized by Google

ipſa Curia Romana annulletur. Quod cùm Rex omnem in libidinem effuſiſſimus avidè arripuiſſet; Reginam è thalamo excuſſiſſet, ac vidiſſet propterea, non ſolùm Romanum Præſulem, excommunicationis fulmina in ſe torquere; ſed & alios Principes, utì & ſubditos proprios, factum ſuum improbare, cavillari ac deteſtari; è veſtigio ad ſe purgandum, culpam in unicum conjecit Volſæum, eúmque non ſolùm ex aula amandavit; ſed inſuper una eadémque die, & Archiepiſcopatu & officio Cancellariatûs ſpoliavit. Ergóne tam ſubito regius ille favonius, ſvaviſſimus gratiarum zephyrus, in impetuoſum mutari potuit Aquilonem? ergóne florentiſſima Volſæi hedera, in tantùm à verme potuit arrodi, ut intra diem unicam omni deperdito virore exaruerit? Verùm *ſi mundi decora*, perhibente Livio, *Fortuna unius horæ ſpatio evertere ſolet*; miror ego, ſubitò enatum illud Angliæ decus, non citiùs à verme arroſum emarcuiſſe. Cùm igitur Fortuna in rebus humanis tumultuetur; ac Clientes ſuos ſemel deſertos in præceps abire ſinat, accidit ut pauculo intervallo temporis, idem Fortunæ pullus, omnibus à Rege exueretur bonis, à Duce Northumbriæ, in maxima Nobilium corona, tanquam perduellis captivaretur, atque Londinum, meritas daturus pœnas abduceretur. Fuiſſétque abſque dubio, capite diminutus niſi ſuiipſius maluiſſet exiſtere Carnifex; ſéque exhauſto veneno (ut quidam arbitrantur) & ſecuri ſubducere, & è medio tollere. Unde dum in via moreretur, ſuum coram Duce deplorans ſtatum, in hæc ultima erupit verba; *dum incubui ùt Regi penitus inſervirem, & in DEUM peccavi, & gratiam Regis non obtinui.* Nunc mihi dicite ô verſipelles aularum incolæ, mundânæ felicitatis aucupes, auræ ac favoris Principum inſani venatores, adhúcne aliquam ſub hedera credetis latere beatitudinem? ſi creditis certè non aliam, quam hanc, quæ in altum ſuos elevat, ut lapſu graviori ruant.

Livius. *Sanderus.*

N.268. Quare cùm nec ſub dulci vite, nec ſub umbroſa quercu; imò nec ſub virenti hedera, ulla conſiſtat felicitas, accedamus ergo ad arborem illam ſpatioſam & amplam, quæ omnes omnino, complexu ſuo, & ſecurè & jucundè excipit, quæ omnium ſaluti & commodo in medio Terræ, in monte Calvariæ conſtituta patet: triumphalem inquam arborem, de qua venerabunda canit Eccleſia: *Crux fidelis inter omnes Arbor una nobilis, nulla ſilva talem profert flore fronde germine.* Cum gu-

Hymnus Ecc.

Digitized by Google

guſtu mentíſque hilaritate adeamus ibi enim unicam deprehendemus ſalutem, genuinam experiemur beatitudinem, quæ ſub umbra illius ſvaviſſimè perennabit, fructúſque proferet, non jam dulces gutturi, non jam delicias præbentes Regibus, ſed omnium poſſibilium ſvavitatum ac deliciarum medullam continentes. Et quidni ſummam contineret beatitudinem? ſiquidẽ hæc D. Chryſoſt. teſte hom. 55. in Matth: *Orbem terrarum convertit, atque ſanavit; hæc errorem abegit, veritatem reduxit, terram in cœlum reſtituit, ex hominibus Angelos effecit.* *D. Chryſoſt.*

Unde jam non miror D. Apoſtolum Andream; tanto amore erga eam flagraſſe, ut etiam tripudians in hæc veræ dilectionis eruperit verba: *O bona crux diu deſiderata ſolicitè amata, ſinè intermiſſione quæſita, & aliquando jam concupiſcenti animo præparata; accipe me ab hominibus, & redde me Magiſtro.* Non miror jam ipſum quoque Apoſtolum Paulum, eodem amore crucis æſtuantem exclamâſſe: *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri JESU Chriſti.* Certè *poterat S. Apoſtolus gloriari* (verba ſunt S. Auguſtini ſerm. 20. de verb. Apoſt.) *in ſapientia Chriſti & verum diceret, poterat in majeſtate, poterat in poteſtate, & verùm diceret, ſed dixit in cruce, ut ubi mundi Philoſophus erubuit, ibi Apoſtolus theſaurum inveniret.* Verùm ogganniet nonnemo delicatus vanitatis aſſecla & dicet; ergo crux amari poteſt? ergo crux poteſt eſſe pretioſa, & in ſe habere glorificationem, *quæ Judæis*, Divo Paulo teſte, *erat ſcandalum, gentibus ſtultitia?* At audiatis D. Bernardum, jam olim ſimilibus reſpondentem. Itâ eſt, *crux pretioſa eſt crux amari poteſt, ſemper enim lignum crucis, vitam germinat, fructificat jucunditatem, oleum juſtitiæ ſtillat, balſamum ſudat ſpiritualium chariſmatum, non eſt ſilveſtris arbor, ſed lignum vitæ apprehendentibus eam.* Sic crux illa, D. Auguſtino teſte, *nunc in fronte Regum fixa eſt, cui quondam inimici inſultaverunt.* Imò benedictum lignum eſt; ſiquidem illi qui in cruce ſunt, ùt notat D. Chryſoſtomus, ſi ſolùm extendant pedem, jam ſunt in cœlo, nam *nihil medium eſt, crux & ſtatim paradiſus.* *Abdias.* *Galat. 6.* *D. Auguſtin.* *S. Bernard.* *D. Auguſtin.* *D. Chryſoſt.*

Hanc enimverò felicitatem expertus fuit S. Andreas, qui in cruce, *nequaquam* verba ſunt S. Bernardi, *ùt exigere videtur mortalis infirmitas; facies ejus expalluit, nequaquam ſanguis ejus gelatus eſt, nec ſtetere comæ, aut vox faucibus hæſit; non contremuit corpus, nec mens* N. 269. *D. Bernard.*

turbata eſt; nec receſſit ut aſſolet intellectus. Sed ex abundantia cordis os locutum eſt; & charitas quæ fervebat in corde, quaſi ſcintillas quaſdam ardentiſſimas emittebat in voce. Præſertim tum, cùm populus eum de cruce deponere niteretur; tunc ſanè JESUM ſuum crucifixum, his
Abdias. verbis allocutum fuiſſe teſtatur Abdias: *Nè me permittas Domine JESU Chriſte, famulum tuum, qui propter nomen tuum pendeo in cruce, ſolvi; & ab Ægea homine corruptibili humiliari. Sed ſuſcipe me tu Magiſter mi Chriſte, quem dilexi, quem cognovi, quem confiteor, quem videre deſidero. Suſcipe Domine JESU ſpiritum meum in pace; quia jam tempus eſt, ut ad te veniam, deſiderans te videre. Suſcipe me Domine JESU Chriſte, Magiſter bone, & jube me de iſta cruce non deponi, niſi priùs ſpiritum meum ſuſceperis.*

Quare cùm *unica in cruce ſalus*, ruamus igitur alacriter cum D. Andrea in amplexum hujus ſalutiferæ arboris; ſedeamus ac requieſcamus ſecuri ſub hujus umbra, quam nullus vermis arrodere, nulla ſecuris proſternere, nullus ventorum turbo concutere, taceo evertere poteſt. Sit licèt quandoque gravis & amara, habet tamen, ùt expertus
S. Bernardus. perhibet D. Bernardus, *ſuam unctionem, habet oleum lætitiæ, & balſamum ſuavitatis*; quod abundè ſuis communicat ſectatoribus. Verbô, ſit noſtra hæc ſublimior Philoſophia, *ſcire* cum Apoſtolo *JESUM & hunc Crucifixum*.

In Feſto S. Jacobi Maj: Apoſt.

CONCIO III.

Quantò plus honoramur, tantò plus periclitamur.

D. Auguſtinus.

ARGUMENTUM. *Cùm etiamnum plurimi reperiantur; qui duorum filiorum Zebedæi exemplo in aulis Regum ac Principum; honoris dextras ac ſiniſtras ambiant: oſtendo in præſenti ejuſmodi ambitioſos: I. Summam exercere vanitatem: quia non ſecus ac pueri, ſuam umbram, ac papiliones, in honore fugitivo inſequuntur. II. Eos in-*

ſuper

Digitized by Google

ſuper ingens, in aulis vitæ animæq; ſubire periculum; adeò ut homo, quandoque cum Davide & Daniele tutior poſſit eſſe inter belluas, quàm inter Aulicos æmulos. Imò cùm gratia ac favor regius ſit nimiùm fallax & inconſtans; ajo tales nunquam ſecuros eſſe poſſe, ſed facillimè ab ira Principum circumventos ruere in exitium. Quod & recentioribus declaro exemplis.

Dic ut ſedeant hi duo filij mei, unus ad dextram, & alter ad ſiniſtram in regno tuo. *Matth. c. 20.*

SI mortalium indefeſſos animi conatus, ardentiſſima ſtudia, diuturnos ac ferreos propemodum labores, paulò accuratiùs perpendam, animadverto veriſſimum eſſe illud, quod Philoſophorum Princeps, Topicorum 6. diſertè pronuntiavit dicens: *Omnes honorem appetunt*. Et tametſi juxta Tullium eloquentiſſimum: *Honor ſit præmium virtutis non aurum*; reperiuntur tamen complures, qui magis honorem aureis venentur retibus, quàm arctis virtutum caſſibus, magis per aureos cataphractos, quàm per arduos ac heroicos actus fugitivum inſequantur honorem. Imò hodiéque eò humana procedit induſtria, ut non pauci, etſi impares ſint ac inſufficientes, ad portandum honorum ac dignitatum onus; cæco tamen quodam impetu ferantur ad ſceptra, inhient clavibus, inſidientur rerum gubernaculis. Sed ſimilibus, niſi cum Phaëtonte præcipitari malint, jure optimo reſponderi poſſet illud: *magna petis Phaëton.*

N. 270. *Ariſtoteles.* *Cicero.* *Ovidius.*

Eruditè ſanè ingenioſa commenta eſt antiquitas, quando ad retundendos præſumptuoſorum animos, fabuloſum Phaëtontis produxit interitũ; ut ex tam præcipiti caſu diſcerent non altùm ſapere, multò minùs res, ſupra vires arduas appetere atque aſſumere. Unde quemadmodum imprudenter egit; hic inexpertus juvenis, à Sole petendo currum & equos, & quidem illos, quos vix ipſe, tam expertus, tot annorum arbiter ac moderator erat regendo; ità longè imprudentiùs agunt illi, qui triumphales honoris ambiunt quadrigas, fallaces inanis gloriæ expetunt regere equos: ſiquidem natum eſt fieri, ut facillimè recalcitrante, ac equi inſtar fugiente mundi gloria; ſimili ſi non pejori involvantur ruina.

 Nihi-

Digitized by Google

Nihilominus & hodie ſimile quid petituri, cum matre ſua duó
N. 271. filij Zebedæi, Jacobus & Joannes, vel potiùs ſoli, juxta D. Marcum,
Matth. 20 acceſſerunt ad JESUM. Nam ubi D. Matthæus habet: *Acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans & petens aliquid ab illo,*
Marci 10. ait D. Marcus, *Accedunt ad eum Iacobus & Ioannes, dicentes: Magiſter volumus, ut quodcunque petierimus, facias nobis.* Venerunt inquam ad Servatorem noſtrum; & quia audiverunt illum tertiâ die à mortuis reſurrecturum, unáque orbi univerſo longè latéque imperaturum, aviditate quadam correpti, maximè cùm ſe præ alijs à Chriſto honorari vidiſſent, prima in aula, ſeu regno ejus expetiverunt ſubſellia. Et quia metuebant, nè forſitan & Petrus, qui pari amabatur dilectione, eos apud Dominum præveniret, audacter, determinatam honoris poſtulaverunt dignitatem, his verbis: *Da nobis, ut unus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram tuam ſedeamus in gloria tua. Videbant*
D. Chryſoſt. *enim* (confirmat dicta mea, præclarè ùt aſſolet D. Chryſoſt. homil. in Matth.) *ſeipſos honoratos præ alis, & audierant, quòd ſuper duodecim thronos ſedebitis; unde primatum ipſius cathedræ petebant accipere, & quod quidem plus honoris alijs, apud Chriſtum habebant, noverant; timebant verò Petrum ſibi præferri.* At quemadmodum juveni alta nimiùm petenti meritò à Phœbo reſponſum eſt, *magna petis Phaëton;* ità dextrè optimus Dominus his duobus Clientibus, qui juxta D. Tho-
D. Thomas. mam, *nihil ſpirituale petebant, nec intelligentiam ſuperioris regni habebant;* reſpondit dicens: *Neſcitis quid petatis,* & bene: *Nam neſciebant*
B. Rabanus. *quid peterent* (ait eruditè Doct. Rabanus) *ſiquidem ſedem gloriæ à Domino, quam nondum merebantur, inquirunt, delectabat eos culmen honoris; ſed priùs habebant exercere viam laboris.*

Quare occaſione hujus poſtulati, breviter oſtendam, quantò verſentur in periculo animæ & corporis, qui fugitivos hujus mundi honores, plùs ſolitò inſectantur, eóſque in aulis tum Principum, tum Regum; non Auſpice DEO, ſed proprio duntaxat procurante amore, adipiſcuntur, ut eorum malis abſterriti, potiùs in regno DEI, ubi manſiones multæ ſunt, per arduos virtutum actus, altiſſimum etiam perennis gloriæ conſcendere conentur apicem.

N. 272. Qui in aulis ac regijs Principum, dextram & ſiniſtram prenſant, diu noctúque indefeſſo labore, honorifica venantur officia, plurima

titu-

titulorum ac dignitatum, accumulant decora: ſummam exercere vanitatem, colligitur ex eo, quòd rem inſtar umbræ, aut fumi tranſitoriam, miniméque permanentem inſequantur. Et certè ſi hominem unum aliquem in maximo Solis æſtu, umbram propriam, conſtanti curſu perſequi videremus; nunquid non eum ridiculè ſtultum crederemus? ut qui inani labore & animam & corpus, fugitivam captando umbram in immenſum defatigaret. Præterea nunquid non pueros ſummè deridemus, quando æſtivo tempore papiliones in florido prato pileis inſequentes cernimus? ſiquidem poſt omnem adhibitum conatum, tandem feſſi, aliquam quietem capturi in terram ſeſe abjiciunt. Ità planè ſi S. Scripturæ ac communi SS. Patrum credimus ſententiæ, his perſimiles ſunt illi, qui honores, dignitates, aliáſque præeminentias, veſano quodam captant, ac inſequuntur labore: ſiquidem poſt omnes etiam indeptas dignitates, corpore & animo fracti, à morte proſternuntur; & ſerò licèt animadvertunt, eas nonniſi breviſſimo duràſſe tempore; quas tandem cordis dolore maximo deſerere, aliíſque cedere coguntur. Unde bellè D. Chryſoſtomus homil. 12. in 1. epiſt. ad Corinth: *Quomodo hoc non extrema ſtultitia eſt, hominum mente corruptorum, & temere omnia agentium gloriam quærere? ſcito ſi gloriam aucuperis, ea excides.* *D. Chryſoſt.*

Nec mirum, ſi enim *honor* humanus nil niſi *fumus* eſt, docente D. Auguſtino, lib. 1. de Civit. DEI cap. 17. quid ſtabile honorum auceps in ſubitò evaneſcente requirat? Si *honor* juxta D. Gregorium *ſpuma eſt, quæ ſuper aquam citò diſſolvitur*, quis aquis in momento dilabentibus fidat? Si demum *honor, umbra ac aura leviſſima eſt ſinè mora prætervolans* (quod eruditus aſſeruerat Philo) quis ſanæ mentis homo, huic ſe committat, ſuámque totam in ea ſpem reponat? Mirabatur quondam magnus Mediolanenſium Antiſtes D. Ambroſius, lib. 4. ſuper Lucam; quomodo Cacodæmon poſtquam Dominum in montem excelſum ſuſtuliſſet, ei *in momento* omnia regna mundi exhibere ac ob oculos ponere potuerit? dicitur namque Lucæ 4. *oſtendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis.* Nihilominus diſertè ſibi reſpondet, dum ait: *Bene in momento temporis, oſtendit illi omnia regna mundi, quia in momento illa prætereunt, & ſæpe honor hujus ſæculi abit, antequam venit. Quid enim ſæculi poteſt eſſe diuturnum, cùm ipſa diutur-* N. 273. *D. Auguſt.* *D. Gregorius.* *Philo Iudæus.* *Luca 4.* *D. Ambroſ.*

Philo Iudæus. *turna non ſint ſecula.* Deploravit id etiam jam ſuo tempore Philo Judæus, quando de ſeculis ſubitò evaneſcentibus hæc effatus eſt: *Ante Macedonum Imperium inclyta fuerat Perſarum felicitas, ſed una dies tam ingenti regno finem attulit: fuit Ægyptiorum perampla & magnifica potentia, ſed nubis in modum ejus felicitas præterijt. Quid Æthiopes? quid Carthago? quid Pontici Reges? quid Europa Aſiáque, nonne more navis, ſuſquedeque jactata marinis fluctibus, nunc adverſis ventis, nunc ſecundis uſa eſt?* hæc ille.

N.274. Vanitatem igitur maximam exercet, imò pueris ac amentibus perſimilis eſt, qui indefeſſo conatu, hæc tranſitoria appetit; qui honores hujus ſæculi, breviſſimo nonniſi durantes tempore, avidè aucupatur. Inanem denique honorum vanitatem, colligere licet vel ex hoc capite: ſi enim ipſos Reges affligat in morte, ſe fuiſſe Reges; ut conſtat ex Mendoza: de Philippo II. Hiſpaniarum Rege potentiſſimo, qui (Mendoza.) moriens exclamavit: *Nihil confert Regem eſſe, niſi quod in morte cruciet fuiſſe.* Si inquam ipſos Reges angat; quid non mœroris adferet ijs, qui per totam vitam, conſtanti auſu, veſano impetu, per fas & nefas, honoribus dignitatibus, aliíſque officijs ſeſe ingeſſerunt, quo non cordis dolore excruciabuntur, ubi in agone poſiti; animadvertent hæc omnia tanto labore conquiſita, eſſe deſerenda; nec deſerenda ſolùm, ſed ipſis quandóque infenſiſſimis hoſtibus tradenda? Accedit inſuper ad eam vanitatem, ingens in aulis, vitæ animæque periculum; nam ùt præclarè docet D. Auguſtinus lib. 1. de Civit. DEI: *Quantò plus honoramur,* (D. Auguſtin.) *tantò plus periclitamur.* Nec abs re, ſi enim ubique, *homo homini lupus,* ubique limites ſuos invidia propagat; ubique hypocriſis technas ſtruit, ubique fraudulenta cordis duplicitas, multiformes jacit pedicas & inſidias apparat, maximè id faciet in curijs, in palatijs, in aulis Regum ac Principum, ubi liberiùs vitia regnant, mores depravantur, natura confunditur. Ibi enim videre licebit, quomodo pellantur parentes à filijs, filij à parentibus excludantur; frater inſimulet fratrem, nepos circumveniat patruum; & nonnulli alij aliorum felicitatem obſcurent, pectore ſemper moliantur inſidias, nec deſiſtant à cœpto opere, donec ſua exequantur conſilia; adeò ut rariſſimum ſit Senes, & quod adhuc majori habetur pro miraculo, ſit videre Aulicos decrepitos. Unde & Seneca refert lib. 2. de ira, Senem quendam Imperatoris Auli-

Digitized by Google

Aulicum; à nonnemine fuiſſe interrogatum: *quomodo rariſſimam rem in aula conſecutus eſſet, ſcilicet ſenectutem.* *Seneca.*

Et hæc pericula potiſſimùm oriuntur ex duplici capite: 1. quòd alter alterum ſupplantet; 2. quòd gratia ac favor Principum, valde rarus, valde inſtabilis ſit. Quid enim non agant Corrivales æmuli, quando ad idem punctum honoris conſequendum à vehementibus invidiæ, arrogantiæ, & ambitionis tantopere incenduntur facibus, ut etiam vitam prodigere malint, quàm à cœpto honoris tramite ignominiosè (ſcilicet ùt illi ajunt) deſciſcere? rem exemplis declaremus.

Dicite proinde mihi, quid magnum Iſraëlitici Regni Conſiliarium Achitophel è florenti ætate, è ſublimi honorum dignitate, è prima conſilij cathedra pertraxit ad inferos? nunquid non unica unius æmuli contradictio? hæc ſanè & nil aliud. Poſtquam enim perfidè, ad partes impij tranſiviſſet Abſolonis, accidit ut dum ejecto Patre ſumma rerum potiretur Jeroſolymis Abſolon, ex eo Neo-Rex parricida conſilium peteret, num patrem in ſolitudine profugum, armata manu perſequi deberet an non? Dedit quidem mox conſilium, & inſuper tale, quod ipſi Abſoloni, cunctíſque alijs natu majoribus in Iſraël vehementer placuit; *ſiquidem omne conſilium* (ait ſacer Textus) *quod dabat in diebus illis, erat quaſi, ſi quis conſuleret DEUM.* Nihilominus quia ex quorundam inſtinctu Abſolon quoque alterum Regis Conſiliarium Chuſai Arachiten in conſilij partem evocavit factum eſt (quod ſæpiſſimè etiamnum inter Conſiliarios fieri conſvevit) ut Chuſai æmulo contradixerit dicens: *Non eſt bonum conſilium, quod dedit Achitophel hac vice;* quaſi diceret, licèt hactenus præclara è ſua Judicij penu deprompſerit conſilia, nunc tamen non tetigit rem acu, nec locutus ad Salivam. Propterea cùm conſilium ſuum repudiatum cerneret Achitophel irâ ſuccenſus ac mœrore nimiùm confectus, rem indignam ratus, Abſolonem ſuo cònſilio (quod quaſi è divino profuderat oraculo) non acquieviſſe: *ſtravit aſinum*, ùt refert S. Scriptura 2. Reg. 17. *abijt in domum ſuam, & diſpoſita domo ſuâ ſuſpendio interijt.* En quomodo aula virum ævi ſui ſapientiſſimum, à cujus ore Regum ſceptra, ac Iſraëlitici Regni gubernacula pendebant; in ſtultiſſimum virorum immutaverit? imò quantopere non dementaverit, ut qui alijs divina præbuit conſilia, ſibi nullo ſuccurrere potuit, nullo lenire animum confuſio-

N.275.

2. Reg. 16.

2. Reg. 17.

Digitized by Google

ne exulceratum; ſed adegerit miſerum, hominum deſperatorum mòre, laqueo gulam præfocare.

N.276. Talibus igitur obnoxium eſſe periculis, qui heu nimiùm blandienti fidit aulæ, ipſa quotidiana teſtatur experientia; unáque demonſtrat quandoque hominem, tutiorem poſſe vivere, etiam inter efferatas belluas, quàm inter Curialium ambitiones, Aulicorum inſidias, Politicorum machinationes. Exemplo enimverò ſit illuſtriſſimus Rex David, qui paſcens in ſolitudine ovium greges, à leonibus urſíſque cinctus, vixit illæſus, quin imò eorum domitor. In aula verò Saulis; indemnis vivere non poterat. Hunc adoleſcentem adhuc Aulicus quidam coram Rege, qui tunc in cithara pſallentem deſiderabat; ſummè commendavit & extulit, dicens: *Ecce vidi filium Iſai Bethlemitem ſcientem pſallere*; ídque nullum alium ob finem, quàm ut is in aulam evocatus, in quotidianas Aulicorum inſidias incidens, miſerè interiret. Ità aſſenſum mihi præbet doctiſſimus Lyranus, ſuper hunc locum dicens: *Hebræi ajunt, quòd fuerit iſte Doëg, & dixerit hoc ex odio, quia jam David odiebat, ut ſtaret in præſentia Saulis, & occideretur.* Vocavit igitur Davidem in aulam, quia ſcivit eum inter feras illæſum vivere poſſe, non item inter Aulicos felicem: arcere proinde cupit Davidem à leonibus, ut aulæ inſertum, citiùs morti traderet; quod & ſucceſſiſſet, ni maturè ſibi conſulens, fugiſſet aulam ac montium, ſolitudinúmque inhabitator extitiſſet.

1. Reg. 16.

Lyranus.

Sit prætereà exemplo vir deſideriorum, ſapientiſſimus Daniel, qui in aulam Darij Regis aſſumptus, reliquorum etiam Aulicorum, evadere non potuit calumnias; ſed veluti prævaricator, ac regiæ majeſtatis contemptor inſimulatus, neci fuit traditus. Nam cùm non poſſet Rex illum, ab invidentium criminationibus liberare, conjecit eum quidem, in lacum leonum, attamen unà obſignavit lapidem annulo ſuo, ne malum aliquod fieret Danieli. At ô inutile ſtudium! ô labor inanis! leonibus dilaniandum objicit, & ne quid illi mali, aut adverſi contingat ab Aulicis ſpecialiter omnino præcavet. Sed nunquid malum aliquod graviùs morte eſſe poteſt? nunquid pœna aliqua ſecurior, quàm ferocientibus tradi belluis? Nihilominus magna eſt ſapientia Regis, quæ Danielem, leonum feritatem in amorem, virtute converſurum ſperat, & timet à Curiæ miniſtris, ne ſæviùs ac inhumaniùs dila-

Digitized by Google

laceretur. Ideo quem feris invitus tradit Darius Rex, contra omnes aulæ tegit inſidias, quia ſcit faciliùs eſſe leonum ora occludere quàm fraudes Aulicorum evadere; unde bene Theodoretus in hunc locum ait: *Suſpectas habens Darius accuſatorum inſidias, lapide obſepit oſtium lacûs, ne quem illi contra Danielem machinarentur dolum; confidebat enim fore, ut DEUS, non permitteret ſacro-ſanctum ejus corpus à leonibus lædi.* Quid quæſo aptiùs ad propoſitum meum adferre poterat Doctiſſimus Theodoretus? certè credidit ac perſvaſit ſibi firmiter Rex eum inter feras morari poſſe; qui inter Aulicos vivens leonibus tradebatur. Quare meritò plùs Aulicorum dentes metuens quàm leonum, Danielem incluſum in lacu, ſua ſigilli defendere non dubitavit effigie. An non igitur tutiùs eſt, vivere inter efferatas belluas, inter indomitos urſos, crudeles leones ac pardos, quàm inter Aulicos, momento quolibet ſtruentes inſidias. *Theodoretus.*

Præterea, habeat quis etiam collegas ſuos, Aulicos cæteros, quapiam in aula (quod tamen moraliter impoſſibile eſt) habeat inquam omnes ſibi faventes; necdum tamen tutus vivet, quia adhuc ipſe favor, ipſa gratia Principis, in dies, in horas, imò in momenta eſt variabilis. Qui dubitat, adeat & conſulat ſacra eloquia, maximè acta Reginæ Eſther & videbit glorioſum ac ſuperexaltatum *Aman*, Aulicorum ac Satraparum primipilum, in miſerandum evaſiſſe Fortunæ ludibrium. Quem enim favor Regis Aſſveri exaltavit ſuper omnes Principes, ità ut & genua coram eo flecterent, eúmque adorarent; eundem ſubitò furor regius in peſſimam 50. cubitis altam extulit crucem. Conſulat præterea Hiſtoricos profanos & magno numero, ſummos etiam ſpectabit Aulicos, rarâ Principum gratiâ ſpoliatos miſerè interijſſe. Spectabit enimverò, ut Veteres taceam, nec longiùs abeam à temporibus noſtris; Grandes duos Philippi II. Hiſpaniarum Regis Aulicos ampliſſimos (ut refert Drexelius & Mariana) qui ob ſubtractam ſubitò gratiam regiam, tantopere fuêre perculſi, ut eorum unus, intra pauculas horas, amens ac ſtultus evaſerit; alter eodem adhuc die mœrore conſumptus vitam finiêrit. Spectabit inſuper in Anglia ſub Henrico VIII. miſerandum Fortunæ adverſantis exemplum. Thomam Cromvelum, cujus exitium Sanderus, Florimundus, aliíque ponderoſis deſcripſerunt verbis. Cromvelum inquam ſpectabit, quem ambi- N.277. *Eſth. 7.* *P. Drexelius.*

tio aulæ inſertum, ſuper alios extulit, ira autem Principis ex improviſo deturbatum, miſerè ſuſtulit. Hic exiguis planè natus Parentibus, ut exurgeret, aulam petijt, & primùm quidem regijs ab Henrico Rege præfectus fuit ſcrinijs; deinde eidem factus à ſecretis, ità in animum ejus adulando influxerat, ut eum Rex per varios honorum gradus, quàm celerrimè deduceret; vix enim creatus fuit Eques auratus & ſimul Baro; jam etiam Eſſexiæ Comes fuit ſalutatus, imò quod mireris, non multùm poſt ob procuratum Regi matrimonium cum Anna Wilhelmi, Cliviæ Ducis ſorore; magnus Regni Camerarius, & ſigilli ſecreti cuſtos, renuntiatus fuit. Quia autem Rex advertit eum juratum eſſe Catholicorum hoſtem, ſibíque ad omnem prorſus nutum obſequentiſſimum novo eundem exornavit honoris titulo, conſtituendo illum Generalem totius Angliæ, in Spiritualibus Vicarium; dedítque poteſtatem amplam, in Epiſcopos, Abbates, totúmque Angliæ Clerum. En quò terræ filius, in aula Henrici comitante fortunâ, ſtimulante ambitione non progreſſus ſit? en hominem à ſcrinijs, ad ſumma uſque honorum ſubſellia exaltatum. Verùm cùm *maxima etiam mundi decora*, teſte Livio, *unius horæ ſpatio fortuna evertere ſoleat*; accidit quoque, ut hic fortunæ pullus, quò ampliùs fuit exaltatus, eò ampliùs in præceps rueret: nam cùm inſcio Rege ſuo, nomine regni fœdus iniiſſet cum Germanis Principibus contra Carolum V. Imperatorem Maximum; ac is apud Regem per Legatum queſtus fuiſſet, irâ percitus Henricus, eum mox in conſilium evocat, accedentem lætum ac ſtipatum plurimis clientibus jubet Thomam Havardum regni Mareſchallum ei occurrere, ac abſque mora in carcerem abducere. Exequitur imperata Havardus, & Cromuelum aulam jam ingredientem ſiſtit, virguláque quam manu tenebat, leviter percuſſum in carcerem abducit; dicens: quia proditione Rempublicam ferè perdidiſſes, Regis nomine te comprehendo, jubeóque ut me ſequaris. Obmutuit prorſus, facundus aliàs Cromvelus, ac antecedentem in carcerem ſecutus eſt Mareſchallum. Ex quo paulò pôſt inauditus, ad publicum forum productus, tanquam Regis ac regni perduellis concrematus eſt. Sic igitur aula incautum hunc regij favoris aucupem conjecit in rogum, edidit in Lucem.

Florimund.

Livius.

N.278. Meliùs proinde fecit mortalium manſvetiſſimus Moyſes quando repu-

repudiatâ aulâ filiæ Phararonis (quæ eum aquis extractum in filium adoptaverat) *maluit affligi cum populo DEI, quàm temporalis peccati* (id eſt, ùt explicat hunc locum Pauli Theophilactus) *quàm regiarum deliciarum ac honorum, habere jucunditatem.* Maluit inquam in deſerto agere paſtorem ovium, & cum reliquis Iſraëlitis oneribus gravari, quàm in aula Reginæ, non tam Aulicorum anteſignani, quàm filij adoptivi ſuſtinere perſonam. Meliùs item fecit Potitianus Afer, magnus Conſtantis Imperatoris Aulicus, ejúſque primus à conſilijs, qui poſtquam cum tribus alijs ſocijs, ùt memorat D. Auguſtinus lib. 8. Confeſſ. cap. 6. relaxationis causâ in eremum proceſſiſſet, ibíque in caſam cujuſdam Eremitæ, vitam Magni Antonij legentis incidiſſet, adeò ex lectione illius modica (perpendens honorum vanitatem) internè mutatus eſt, ut ſubitò divini amoris æſtu inflammatus, ſocium his allocutus ſit verbis: *Dic quæſo amice, omnibus iſtis laboribus noſtris, quò ambimus pervenire? quid quærimus? majórne eſſe poterit ſpes noſtra in palatio, quàm ut amici Imperatoris ſimus? & ibi quid non fragile, quid non plerumque periculis plenum? & quamdiu iſtud erit? amicus autem DEI eſſe, ſi voluero, ecce nunc fio.* Meliùs demum fecerunt Divi Apoſtoli Jacobus & Joannes, qui perſpecta rerum vanitate, non jam ampliùs dextram & ſiniſtram in regno terreſtri expetierunt; ſed potiùs poſtmodum, per actus heroicos plurimos, per aſpera ac adverſa, imò & per ipſam ſangvinis profuſionem, meruerunt dextram & ſiniſtram in perenni cœlorum gloria.

Hebr. 11. *Theophilact.* *D. Auguſtin.*

Quapropter ſi his non obſtantibus, adhuc aliquorum pedes, pruriunt ad aulas, ad curias, ad capeſſendam dextram & ſiniſtram Principum; hi videant ne dum aulam, quæ juxta doctiſſimum Origenem: *munitiſſimum vitiorum caſtellum eſt*, ſubintrant, pedem ampliùs referre nequeant; imò ne illud Proverbiorum cap. 3. de illis verificetur, *qui ingrediuntur non revertentur, nec apprehendent ſemitas vitæ.*

Origenes. *Proverb. 3.*

Digitized by Google

In Feſto S. Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ.

CONCIO IV.

Ioan. 21. *Diſcipulus, quem diligebat JESUS.*

ARGUMENTUM. *Sententiam S. Thomæ Villanovani, quâ ait Chriſtum Dominum Ioanni ſuo perquam dilecto, amoris affectum potiſſimùm in his tribus exhibuiſſe:* In ſecretorum revelatione, pretioſorum commiſſione, beneficiorum exhibitione; *paulò ampliùs declaraturus; oſtendo 1. eum præ aliis Apoſtolis fuiſſe maximè dilectum à Chriſto, quia ei ſumma contulit beneficia & officia, ſcilicet. Apoſtoli, Evangeliſtæ, Prophetæ &c. dignitatem. 2. Quia ei rem pretioſiſſimam, nimirum Matrem ſibi omnium in terris chariſſimam commiſit. 3. Demum, quia revelavit ei cordis ſui ſecretiſſima; videlicet quæ Perſonam propriam, quæ Eccleſiam, ac quæ cœlum ipſum concernebant.* *S. Tho. Vill.*

Petrus vidit illum Diſcipulum, quem diligebat JESUS. *Ioan. c. 21.*

N.279. QUis non ſingularem D. Joannis Evangeliſtæ modeſtiam & ſuſpiciat, & veneretur? quòd cùm ipſe, tot titulis ac prærogativis eſſet clarus, tamen in enarratione ſua Evangelica ſe non aliter nominet, quàm *Diſcipulum, quem diligebat JESUS. Valde ponderandum eſſe*, ait D. Thomas Villanovanus ſerm. de Sancto, *quòd Joannes Evangeliſta, cùm tot titulis & cognominibus clarus eſſet in ſuo Evangelio, non Apoſtolum, non Evangeliſtam, non Prophetam, non Virginem, aut alio quolibet dignitatis cognomento, ſed Diſcipulum, quem diligebat JESUS, frequenter ſe ſoleat nominare.* Certè nominare ſe potuiſſet conſobrinum Chriſti, & bene dixiſſet; fuit etenim ſecundùm carnem ei junctus amicitia, ait D. Thomas, Lyranus &c. Potuiſſet ſe nominare *S. Tho. Vill.*

Pro-

Prophetam Evangelicum, ut qui non ſolùm præſentia, ſed & futura conſcripſit in ſua Pathmo. Potuiſſet ſe nominare Martyrem, ut qui Romæ ante Portam Latinam à Cæſare Domitiano, in lebetem plenum ferventis olei, picis & ſulphuris conjectus, vinci non potuit. Potuiſſet denique ſe nominare, Doctorem Gentium, Eccleſiarum Epiſcopum, ut qui plures in Aſia erexit, erectas verbo & exemplo ſtabilivit; & tamen nullo alio uti voluit titulo, quàm *Diſcipuli, quem diligebat JESUS.* Nec immeritò, ſciverat enim in hoc elogio, omnia ſumma & magnifica eſſe concluſa; proinde bene de illo ait D. Thomas Villan: *Exiſtimabat vir ſapiens omnium gratiarum, hanc præcipuam & maximam reputandam eſſe, quòd à DEO dilectus ſit; neque poſſe ampliori, aut digniori titulo quenquam decorari.* Ideo & D. Chryſoſt: ubi verbis extuliſſet hanc dignitatem *Diſcipuli quem diligebat JESUS*, mox adjecit; *quid enim huic beatitudini poteſt eſſe par.* *S. Tho. Villa.* *D. Chryſoſt.*

Nihilominus ſi ſumma dignitas, ſummúſque in terris titulus eſt; eſſe *Diſcipulum quem diligebat JESUS*, quomodo obſecro D. Joannes, ſibi ſoli potuit hunc titulum attribuere, cùm viderit Chriſtum & alios Diſcipulos dilexiſſe? Profectò non erràſſet D. Petrus Apoſtolorum Princeps, ſi & ſeipſum in Epiſtola ſua vocâſſet *Diſcipulum, quem diligebat JESUS*, ut cui Dominus præ omnibus, ſuam unicè dilectam tradidit Eccleſiam. Non erràſſet D. Jacobus, frater major natu S. Joannis, ſi & ipſe hunc titulum uſurpâſſet, ut quem Dominus ſuorum quoque arcanorum voluit eſſe conſcium. Non erràſſet denique, vel Sanctus Thomas, ſi ſe *Diſcipulum quoque, quem diligebat JESUS*, propalâſſet, ſiquidem Dominus ipſi ſoli ſe ſpecialiter palpandum præbuit; ipſi ſoli copiam fecit attrectandi & rimandi profundiùs ſua vulnera. Verùm licèt hi aliíque Apoſtoli etiam gaudere potuiſſent hoc titulo: *Tamen D. Ioannes erat Diſcipulus ille* (ait D. Chryſoſt. hom. 32. in Joan.) *quem maximè diligebat JESUS*; & ideo præ omnibus alijs jure meritò hunc titulum ſibi vendicavit. N. 280. *D. Chryſoſt.*

Certum quidem erat Chriſtum Dominum conſtanti planè & ſolido Petrum dilexiſſe amore, ut cujus præfervidum quoque erga ſe conſpexit amorem; conſtanti itidem in finem uſque dilexiſſe & Diſcipulos cæteros, adeò *ut inter ipſos contentio fieret, quis eorum videretur eſſe major.* Luc. 22. Siquidem quilibet exiſtimabat ſe vel maximè à *Luc. 22.*

Chri-

Digitized by Google

Chriſto amari. His tamen non obſtantibus, unum Joannem ſupra omnes & præ omnibus tenerrimo planè complexus eſt amore, quia in eo præ omnibus quoque erant majores cauſæ amoris. *Maximè quod tantam,* verba ſunt Euthymij, *à puero curam habuerit puritatis, ut ne turpem quidem cogitationem unquam in cor ſuum aſcendere permiſerit.* Hinc illi amores! Quare cùm D. Joannes *propriè* fuerit *Diſcipulus, quem diligebat JESUS,* oſtendam ex D. Thoma Villan. Chriſtum, Dilecto votorum ſuorum omnem affectum exhibuiſſe, potiſſimùm in his tribus: *In ſecretorum revelatione, pretioſorum commiſſione; beneficiorum & familiaritatis exhibitione.*

Euthymius. *S. Tho. Villa.*

N.281. Non ſinè cauſa veteres Ægyptios & Chaldæos ſuis in Hieroglyphicis (quod etiamnum pictoribus in more eſt) Amorem nudum expreſſiſſe video. Siquidem per nuditatem illam indicare volebant, profuſam ejus liberalitatem, quâ ſe exſpoliando dilectos ſibi arctiſſimè conſtringit. Nec immeritò, ſiquidem Ariſtotele teſte in Rhetor. li. 2. *Amare alterum, nihil aliud eſt, quàm illi bene velle ejus gratiâ.* Unde cùm Chriſtus dilectum ſibi Diſcipulum Joannem præ omnibus alijs tenerrimè ac affectuoſiſſimè amaverit, decuit, ut ſe quodammodo ejus gratiâ exſpoliaret, cum amante Jonatha, eíque liberaliſſimè dona & gratias conferret. Proinde etiam teſte D. Præſule Villanovano: *Nihil omnino omiſit Chriſtus, quod dilecto ſuo Ioanni non donaret; omnium quippe dignitatum titulos, omnes gratias & honores, quos per alios ſua domûs famulos & officiales ſparſim diviſit, in hoc uno pleniùs acervavit.* Profectò qui ambigeret, conſulat novi Teſtamenti acta, & advertet Chriſtum nulli Apoſtolorum tanta beneficia, & amicitiæ ſigna exhibuiſſe, tantóſque honores, ac unico ſuo Joanni. Poſtquam enim corpus primitivæ ſuæ Eccleſiæ in varia membra, ac miniſteria diſtinxiſſet, additis gratijs Spiritûs Sancti, prout clarè eloquitur D. Paulus 1. ad Corinth. 12. dicens: *Quoſdam quidem poſuit DEUS in Eccleſia, primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes.* Ecce unico ſuo Joanni, omnes haſce dignitatum, & prærogativarum eminentias benigniſſimè contulit. Poſuit enim eum, primùm inter Apoſtolos, & quidem ex tribus primarijs unum. Secundò aſſumpſit eum inter Prophetas, dum verba prophetiæ ſuæ Apocalypticæ eum, *juſſit palàm facere ſervis ſuis.* Apoc. 1.

Ariſtoteles. *S. Tho. Villa.* *1. Cor. 12.* *Apocal. 1.*

Ter-

Tertiò non ſolùm eum aggregavit, ſed etiam prætulit Doctoribus & Evangeliſtis, *dum ſecundùm intelligentiam ſpiritualem*, teſte D. Auguſtino Tract. 36. in Joan: *Aquilæ comparatus, altiùs multóque ſublimiùs aliis tribus erexit prædicationem ſuam, & non ſolùm ſuper terram, & ſuper omnem ambitum aëris & cœli, ſed ſuper omnem etiam exercitum Angelorum, omnémque conſtitutionem inviſibilium poteſtatum, & pervenit ad eum, per quem facta ſunt omnia dicendo: In principio erat Verbum.* Denique eidem & liberaliſſimè attribuit, virtutes, gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera lingvarum; quæ in variis terrarum partibus, maximè in aſſignata ſibi à Chriſto Aſia, copioſiſſimè in ipſo reſplenduerunt. Bene proinde de ipſo dixit D. Thomas Villano: *Quicquid in Eccleſia dignitatis & gratiæ fuit, id totum Apoſtolus perfectiſſimè poſſedit.* *D. Auguſtin.* *S. Tho. Villa.*

Quis nunc enarret cætera benevolentiæ ſigna, quæ JESUS dilecto ſuo exhibuit? certè ubi JESUS, ibi dilectum adeſſe Joannem neceſſe erat; ubi magnificum quid & gloriâ ſuâ dignum moliebatur Dominus, ibi abeſſe Joannem quaſi piaculum erat. Hinc in itineribus aliiſque locis, adeò ejus ſtipabat latera Joannes, acſi ſinè hoc Dilecto Chriſtus eſſe non poſſe videretur. Teſtatur enimverò id ſublimis Thaborei montis vertex, ubi cum Petro & Jacobo gratioſus inſpector aderat transfiguratæ ejus Humanitatis. Matth. 17. Teſtatur luctuoſa Archiſynagogi domus, ubi rurſum cum Petro & Jacobo, mirabili interfuit reſuſcitationi puellæ duodennis. Verbô teſtatur, alia ut omittam, cœnaculum illud grande ſtratum in ultima cœna, ubi amor vel maximè ruptis quaſi omnibus repagulis, ſe palàm manifeſtando exhibuit: dum Dilectum ſuum ſuper pectus ſinit recumbere. Nam, *erat recumbens unus ex Diſcipulis ejus in ſinu JESU, quem diligebat JESUS,* ait ipſe de ſe cap. 13. Quod ultimum dum accuratiùs perpendo, animadverto clarè Chriſtum non potuiſſe, majus quodammodo veræ dilectionis ſignum eidem exhibere, quàm exhibuerit permittendo eum jacere ſuper pectus ſuum divinum. N. 282. *Matth. 17.* *Matth. 9.* *Ioan. 13.*

Magna ſanè oſtendit quondam amoris indicia Dominus; dilecto Præcurſori ſuo Joanni Baptiſtæ; ut quem in utero matris, præſentiâ ſuâ in feſtinante per montana Virgine ſanctificavit. Plurimis dein honorum titulis, coram univerſa Judæorum plebe exornavit, vocando

Digitized by Google

Matth. 11. eum *Angelum, pluſquam Prophetam, Lucernam ardentem & lucentem*, Matth. 11. Et tamen quod mireris, ad pectus uſque Domini ſacratiſſimum cum Joanne Evangeliſta penitus non pervenit; ſed ſatis ſupérque ei videbatur, ſi poſſet ſolùm ejus baſiare manus, & pedum calceamenta ſtringere, de quibus ajebat:
Lucæ 3. *non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamentorum ejus*. Pari ratione, non immodico amoris affectu ferebatur Dominus, in pœnitentem & diligentem ſe Mariam Magdalenam; ſed & ipſam nonniſi ad pedes admiſit, poſt mortem verò & hoc
Ioan. 20. ei ſuſtulit, dum diceret: *Mulier noli me tangere*. Demum grande amoris ſignum exhibuiſſe D. Thomæ, dum ſua ei præbuit & tangenda & inſpicienda vulnera, nemo diffitebitur; verùm majus quid præſtitit Divo Joanni, dum eum recumbentem in pectore ſuo, fecit Virum ſecun-
S. Tho. Villa. dùm cor, ſecundùm pectus ſuum. *Illud ſanè omnium ſupremum & maximum erat*, ait D. Thomas Villanov. *quòd coram omnibus in cœna ultima ſupra pectus Domini recumbere auſus ſit*; *O miram audaciam*! libet cum eodem exclamare, *non audet Baptiſta ſacrum Domini verticem contingere; Magdalena cum timore & tremore pedes tangit; Thomas niſi juſſus manum non mittit ad latus; Joannes Dilectus, non juſſus, non petitâ veniâ, confidenter recumbit ſuper Domini pectus. Amor fecit hoc, eſt*

N. 283. *enim ſupra modum audax dilectio*. Ubi & illud notatu dignum accidit, quòd poſtquam Chriſtus ad omnes dixiſſet: *unus ex vobis tradet*
Ioan. 13. *me*, Joan. 13. omnes mox Diſcipuli hæſitantes & turbati, ad unicum recumbentem in Chriſti pectore Joannem recurrerunt, ut interrogaret Dominum, *quis eſſet de quo dicit*, Joan. 13. *Ecce tacent cuncti A-*
S. Petr. Dam. ſer. de S. Ioa. *poſtoli*, ait D. Petrus Dam. *tacet & Petrus cœli clavicularius, tacet lingua quæ facta clavis cœlorum, cœlum ſimul & terram ligat & ſolvit, tandem Ioannis patrocinium ab omnibus quæritur.* Quod & eis interrogando Dominum præſtitit: *quia de ampliori dilectionis prærogativa confidebat.*

Ariſtoteles. Præterea cùm *Amor ſit inventionis cauſa*, ùt docet Ariſtoteles, ac nova ſemper & nova excogitet, quæ in gratiam ſui faciat amati; video & in hoc amorem divinum non ceſſiſſe humano, ſed Diſcipulo ſuo, quem diligebat JESUS, abundè idipſum præſtitiſſe, dum novam præ omnibus alijs eidem contulit honoris excellentiam. Nam poſteaquam in fatali Golgothæo monte cruci affixus ſenſiſſet jam ultimam inſtare mor-

mortis horam, in qua *de hoc mundo tranſiturus erat ad Patrem*, voluit priùs voluntatem ſuam, quaſi teſtamento quodam exceptam, omnibus pauculis verbis inſinuare. Unde ùt benè annotavit D. Thom. Vill: *Diſpoſuit Patri ſpiritum, Eccleſiæ corpus, peccatoribus ſanguinem, regnum latroni, militibus veſtes, Petro Eccleſiam, Apoſtolis Paraclitum, electis chariſmata liberaliter diſtribuit.* Cùm autem dilectum ſuum Joannem, ex omnibus diſcipulis, unicum cruci adſtare vidiſſet, ſtimulante haud-dubiè intrinſecus amore divino præcordia, eidem ſpeciale quiddam contulit; nam ùt idem exiſtimat D. Thomas: *Converſus ad Diſcipulum hæc amoris plena protulit verba, & quid tibi ô Dilecte legabo?* quaſi diceret: audiſti dilecte votorum meorum, quomodo Petro Eccleſiam, Eccleſiæ corpus, peccatoribus ſangvinem, alijs alia legaverim; quid nunc & tu à me expectas? qui fugientibus cæteris ſolus mihi in hiſce mortis anguſtijs ades ſolatio? ſcio quid tibi diſpoſuerim: *Ecce Mater tua*, Joan. 19. *hæc omnium quæ poſſideo chariſſima & pretioſiſſima gemma eſt, hanc tibi trado, hanc tibi dono.* S. Tho. Villa. Ioan. 19.

O felicem iterúmque felicem Diſcipulum! cui tam præſtans, tam ſingulare omnibúſque numeris exquiſitum amoris ceſſit legatum; videlicet Mater ipſiuſmet Incarnati DEI! *Ecce quomodo honorat Diſcipulum ſuum JESUS* (poſſum dicere cum Theophilacto) *fratrem illum faciens*, eíque ùt amico intimo chariſſima quæque tradens. Hinc maniſeſtè ſequitur; ſi Virgo Sanctiſſima *totus eſt gratiæ theſaurus*, ùt eam nominavit S. Gregorius Thaumat: feliciſſimus ſanè fuerit theſaurarius D. Joannes; utpote cui tam pretioſus & inæſtimabilis theſaurus à DEO, præ omnibus alijs concreditus eſt; ſi eadem Virgo gl[illegible]ſiſſima, teſte S. Proclo, *Eccleſiæ diadema eſt*, fuerit rurſum D. Joannes ejuſdem fideliſſimus Conſervator & Cuſtos. Si denique perhibente S. Sophronio; admirabilis hæc Mater fuit *delicium SSS. Trinitatis*, quis negabit & D. Joannem gratioſiſſimum fuiſſe inexhauſti hujus delicij participem? maximè cùm unà cum hoc legato acceperit *à Domino*, filialem prorſus erga ſanctiſſimam Matrem affectum; *Nam vices Filij naturalis, Filius adoptivus accepit*, ait Arnoldus Carnot: *& transfunditur in miniſtrum filialis affectus.* N. 284. Theophilact. S. Greg. Thau. S. Proclus. S. Sophron. Arn. Carnot.

Narrat Caſſiodorus de Gothorum Rege Theodorico, cùm ſuperbam planè & faſtuoſam Romanæ Urbis magnificentiam ſummámque

que Romani Cæſaris, ſuper omnes dignitatem conſideràſſet, eum mox
Caſsiodorus. in hæc verba prorupiſſe: *Nemo ampliùs videtur erigi, quàm cui Roma potuit committi.* Verùm cùm terreſtris illa Roma etſi Domina Gentium, nullo prorſus modo poſſit venire in comparationem cum MA-
S. Bernardin. RIA, quæ teſte D. Bernardino ſerm. 61. *Omnem hujus mundi meruit principatum & regnum*; longè meliori modo, idipſum de Virgine & Joanne dicere poſſum, quod Theodoricus de Roma. *Nemo ampliùs videtur erigi, quàm cui MARIA potuit committi.* Quare meritò & D. Joannes in commiſſione hac, prælatus fuit omnibus Diſcipulis, etiam D. Petro, cui tamen Chriſtus commiſit Eccleſiam. Pulchrè ſanè
S. Pet. Dam. hac de re loquitur D. Petrus Damian. ſerm. 1. de S. Joan: *Commiſit Dominus Petro claves Eccleſiæ! voluit autem Joanni matris cuſtodiam delegare; quæ excellentiori modo mater eſt quàm Eccleſia: utraque quidem mater eſt, mater MARIA, mater Eccleſia, ſed MARIA mater Chriſti, Eccleſia mater populi Chriſtiani.* Unde dum Joanni commiſſa eſt mater Chriſti, ampliùs quid ei commiſſum fuit quàm Petro; & licet Dominus Petro præter Eccleſiam, etiam tanquam claviculario cœli promiſerit claves cœli, dicens: *tibi dabo claves regni cœlorum*; tamen & dilectum ſuum Joannem fecit clavicularium, longè eminentioris cœli:
S. Pet. Dam. *Cœlum cùm ſit MARIA,* ait idem S. Doctor, *etiam Ioannem Dominus clavicularium cœli conſtituit, cùm Genitricis ſuæ eum decrevit eſſe Cuſtodem. Meritò igitur admiratione plenus eſt Ioannes, qui & cœli claves habet, & Chriſti calicem bibit, & ſupra pectus Domini multa cum fiducia recubuit.*

N. 285. Demum ſi inter amicos maximum amoris indicium eſt ſecretorum revelatio, dum unus alteri, intima etiam arcana cordis pandit, animadverto & hanc amicitiæ notam non defuiſſe inter Dominum &
S. Tho. Villa. *Diſcipulum, quem diligebat JESUS.* Siquidem verè ùt teſtatur D. Thomas Villan: *Chriſtus revelavit ei ſecreta Perſonæ, ſecreta regni, ſecreta domûs.* Et primò quidem revelavit ei ſecreta particularia, circa ſuam Perſonam Divinam, dum ſuper omnes Apoſtolos & Evangeliſtas, cognitione altiùs evectus, cognovit illud ipſum VERBUM in tempore incarnatum, fuiſſe ab æterno cum DEO, & DEUM fuiſſe VERBUM. Secundò revelavit ei ſecreta regni ſui cœleſtis, dum ſpiritum ejus in
Apocal. 21. cœlum tranſtulit, eíque *oſtendit Civitatem ſanctam Ieruſalem, habentem claritatem DEI.* Apocal. 21. Tertiò denique revelavit ei ſecreta do-

domûs, id eſt Eccleſiæ ſuæ militantis, uſque ad conſummationem ſæculi varias viciſſitudines; dum in Inſula Pathmo ei complures hac de re exhibuit viſiones, per Angelum explicatas. Et has omnes ſecretorum revelationes originem ſumpſiſſe ab eo, quod in pectore Domini recubuerit: teſtatur id & D. Thomas, *erant in pectore JESU omnes theſauri ſapientiæ Domini & ſcientiæ abſconditi, ideo ex illo cœleſti gazophilacio ſummam attraxit, & ex illo, velut perenni vitæ fonte, manantia flumina divinæ doctrinæ hauſit.* Unde quemadmodum Aquila volatu ſuo, ſuperat omnes alites, ità doctrina ex ejus pectore Chriſti hauſta ſuperavit omnes doctrinas & Apoſtolorum & Evangeliſtarum. Siquidem *in ſpeculanda ſummæ Divinitatis eſſentia præcedit Prophetas, ſupergreditur Patriarchas, ſuperat Apoſtolos.* ait diſertè de S. Joanne Divus Damaſcenus. *S. Tho. Villa.* *S. Damaſce.*

Et certè, *etſi D. Petrus* (verba ſunt doct. Origenis homil. 2. ex varijs) *Chriſtum DEUM & Hominem jam factum cognoſcens & dicens: Tu es Chriſtus Filius DEI vivi, altiſſimè volavit, ſed Ioannes altiùs illo, qui eundem Chriſtum de DEO ante omnia tempora genitum intellexit dicens, In principio erat VERBUM.* Similiter, *etſi Paulus, tanquam Vas electionis, raptus ſit uſque ad tertium cœlum, tamen verba quæ ibidem audivit, non licuit homini loqui. At Ioannes intimæ veritatis inſpector,* ait idem Origenes, *ultra omne cœlum in paradiſo paradiſorum, hoc eſt, in cauſa omnium, audivit unum VERBUM, per quod facta ſunt omnia, & licuit ei illud VERBUM dicere, hominibúſque prædicare.* Ampliùs cum S. Proclo orat. 15. obſervo Divum ſcilicet Joannem, cognitione ſuâ Angelos ipſos ſuperâſſe. Nam, *Evangeliſta Seraphinis ipſis inventus eſt ſublimior, quandoquidem illi coruſco concuſſi fulgore, facies velant ſuas; at hic ex gratia ſpectans, tum generationem, tum ſubſtantiam expreſſit Divinam.* Meritò igitur D. Joannes Diſcipulum ſe nominavit, *quem diligebat JESUS;* & cui diligendo tanta præſtitit beneficia. N.286. *Origenes.* *S. Proclus.*

Quare cùm Chriſtus dilectum ſuum Joannem, præter cauſas alias, etiam propter hanc tam tenerè amaverit, quia viciſſim ſe vidit ab eo ardenter amari. Optarem, ut ſi quis deſiderat, ſimiliter ab amabili corde JESU diligi, amet & ipſe increatum illum Amorem; amet viſcera illa charitatis, & miſericordiæ DEI, quæ totum genus humanum in ſe tam amabiliter complectuntur; verbô, exequatur illud, quod ſuis

Digitized by Google

D. Chryſol. dicere conſveverat D. Chryſologus: *Ama DEUM tuum, & ama totus, quia dignus eſt à te diligi; cùm enim eſſet DEUS tuus, factus eſt tibi ſerviens, ut tu ejus fieres, & ei ſervire non erubeſceres.* Hoc inquam faciat, & certus eſſe poterit de reciproco amore DEI; ſiquidem diligentibus ſe, clarè illud promiſit apud D. Joannem cap. 14. *Ego diligam eum, & manifeſtabo meipſum.* Ioan. 14.

In Feſto S. Thomæ Apoſtoli.

Concio V.

In converſatione prava, maxima nobis mala hauriuntur. D. Baſilius.

Argumentum. *Thomas ab Apoſtolorum collegio ſeparatus, & cum Judæis converſatus, juxta DD. Gregorium & Bernardum, non ſolùm amabili reſurgentis Domini viſione privatur; ſed etiam peccatum incurrit in fide. Hinc in præſenti dictione oſtendo: etſi fieri poſſit, ut quis cum gratia divina habitare poſſit in medio nationis pravæ, in ſocietatem perverſorum, quemadmodum illæſi habitârunt Noë, Loth, & Epiſcopi Philippenſium; nihilominus tamen cuilibet juſto ac innocenti, cavendum eſſe ejuſmodi conſortium, quia plenum eſt periculis ac ſummè contagioſum. Patet id in Eva, Salomone, Thoma Apoſtolo, aliiſque quorum lapſus in medium adduco.*

Non erat cum eis, quando venit JESUS. *Ioan 20.*

N. 287. *Vener. Beda.* Q*Vid facient tabulæ, quando Eccleſiæ tremunt Columnæ? quid virgula deſerti patietur, quando Cedrus paradiſi concutitur?* Dicam clariùs: ſi Viri ſanctitate illuſtres, Sathanæ illaqueantur pedicis, ac peccato turpiſſimè ſuccumbunt, quomodo non homines fragiles, gratiarum ac virtutum habitibus deſtituti, proni in ſcelera ruent? Sapiens Architectus Chriſtus, imò ipſa ſapientia Patris, in terris Eccleſiam, quam Divus Paulus

1. ad

Digitized by Google

1. ad Timoth. 3. appellat *Domum DEI*, ædificaturus, non jam *excîdit columnas ſeptem*, ſed elegit ac conſtituit duodecim; qui ſpiritualis hujus ædificij, non tam exornarent quàm ſuſtinerent molem. Et tamen Columnæ hæ, quia necdum ſatis fundatæ, ac ſtabilitæ erant, *ſuper angularem lapidem, ſuper fundamentum, quod eſt Chriſtus JESUS.* 1. ad Corinth. 3. accidit ut labefactatæ graviter nutaverint. Certè ſolida, utpote è petra exciſa, erat columna Petrus, verùm Chriſtum ter negando turpiſſimè nutavit. Ecce inquit D. Auguſtinus, *Columna firmiſſima Petrus, ad unius auræ impulſum, tota contremuit; ad vocem imbellis ancillulæ tota corruit.* Firma erat columna Philippus, ſed æquè nutavit in fide, dum diceret Joan. 14. *Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis. Aliam ſubſtantiam Patris, aliam Filij exiſtimans.* teſte D. Hilario. Procera columna erat Andreas, ſed ſimiliter nutavit diffidendo, dum paucos panes à Chriſto acceptatos, tot millia hominum, nequaquam ſatiare poſſe exiſtimabat. Fortis demum columna erat D. Thomas, ſed & ipſe uſque adeò in fide nutavit, ut graviſſimo infidelitatis peccato ſeſe obſtrinxerit, teſtante D. Auguſt. ſer. 159. de temp. *Dum Thomas curioſus exiſtit in vulnere, mortem incurrit in fide.*

1. Tim. 3. 1. Cor. 3. D. Auguſt. Ioan. 14. D. Hilarius. D. Auguſtin.

Audierat namque Chriſtum reſurrexiſſe à Magdalena & à mulieribus; ſed his tanquam fœminis, putabat nullam ſe poſſe adhibere fidem, teſtimonium acceperat à Petro, à duobus Diſcipulis Emauntinis; imò à reliquis decem Apoſtolis, ſed hos à phantaſmate quopiam dementatos fuiſſe credebat, quare pertinaciâ ad infidelitatem accedente factum eſt, ut cervicosè alios Diſcipulos imprudentiæ ac levitatis arguens diceret: *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, non credam.* Verùm undenam, amabò, tanta in dilecto Chriſti Diſcipulo nata eſt incredulitas? ut credentibus unóque ore dicentibus Apoſtolis: *vidimus Dominum;* ipſe unicus animo obſtinato contradixerit? Si S. Cyrillum Alexand. conſulam, reſpondebit mihi, lib. 12. in Joan. cap. 17. ac dicet Thomam in infidelitatem eſſe prolapſum, eò quòd, *ingenti animi dolore fuerit affectus, ob non viſum Dominum, quem tamen alij Diſcipuli viderunt. Et ſic ex mentis quadam perturbatione, negaverit ſe crediturum Reſurrectionem.* Si D. Bernardi exquiram ſenſum; unicam hanc cum D. Gregorio aſſignabit infidelitatis cauſam, dicétque ideo Apoſtolum factum N.288.

Ioan. 20. S. Cyrill. Alex.

eſſe

eſſe incredulum, *quia non fuit cum eis quando venit JESUS*; quia à credentium ſe abſtraxit conſortio; ac alijs incredulis, conſolationis cauſa, ſeſe aſſociavit Judæis. *Nam falleris Thoma*, inquit D. Bernardus ſerm. de Aſcenſ. *falleris, ſi videre cupis Dominum, ab Apoſtolorum Collegio ſepartus; non amat veritas angulos; non ei diverſoria placent, in medio ſtat, id eſt diſciplina communi, communi vita, communibus ſtudiis delectatur. Uſquequo miſer diverticula captas? & conſolationes propriæ voluntatis tanto labore quæritas? tanto rubore mendicas?*

D. Bernard.

Cùm igitur ſeparatio à bonis S. Thomam privaverit viſione reſurgentis & converſatio cum incredulis, eundem in tetras infidelitatis immerſerit tenebras; oſtendam præſenti dictione, miſerandam eorum ruinam; exitialem eorum interitum, qui conſortia malorum amant; & à bonis ſegregati, colloquijs, ac familiaritate heu nimiùm delectantur reproborum.

N.289. Converſatio cum impijs etiam in medio nationis pravæ, interdum tantùm abeſt, ut juſto noceat, quin imò plurimùm proſit, ac efficiat, ut eundem DEUS optimus, maximis cumulet beneficijs ac gratijs. Declarat id *Noë vir juſtus atque perfectus in generationibus ſuis*; qui in medio ſcelerum, tanquam in flammarum incendio conſtitutus, illæſam conſervavit innocentiæ integritatem, eíque nec in animo, mundi malignantis, obfuit malitia. Unde bene D. Ambroſius: *Juſtum Noë, non obumbravit aliorum offenſio; ſiquidem ipſe ad totius generis humani, reſervabatur ſeminarium.* Et Chryſoſtomus in hunc locum: *Inter tot peccatores, ſcintillam virtutis ſervavit; & ſicut illi malis operibus, miſericordem DEUM, ad indignationem provocaverunt; ſic ipſe virtute pollens invenitur coram DEO.*

Geneſ. 6.

D. Ambroſ.

D. Chryſoſt.

Confirmatur idipſum exemplo Patriarchæ Loth, de quo ſacra memorat Scriptura Gen. c. 13. *Habitavit Loth in Sodomis.* Hic licèt cingeretur à laſciviente populo, vallaretur à peccatis, à ſceleratorum exemplis quotidie irritaretur ad ſcelera; nihilominus tamen iniquitatibus non ſuccubuit, ſed de ijſdem victor triumphavit. *Videte juſtum* (inquit D. Chryſoſt: virtutem Lothi perpendens) *juſtum inquam cum muliere & pueris & famulis in civitate degentem, & inter tam malos converſantem, quaſi ſcintillam lucentem, & non ſolùm non extingui, ſed & quotidie lucem clariorem emittere.* Hinç & Magnus Gregorius lib. 1. moral.

Geneſ. 13.

D. Chryſoſt.

Digitized by Google

moral. cap. 1. de eodem ait: *Dicitur, habitavit Loth in Sodomis, ut hoc ejus laudibus proficiat; quod bonus inter malos fuerit. Nec enim valde laudabile eſt, bonum eſſe cum bonis, ſed bonum eſſe cum malis, ſicut enim gravioris eſt culpa inter bonos, bonum non eſſe: ita immenſi eſt præmij, bonum etiam inter malos extitiſſe.* hæc D. Gregorius. *S. Gregorius.*

Præterea & Philippenſium Epiſcopos, inter malos & ſceleratos, à peccatis immunes habitâſſe, clarè atteſtatur D. Paulus ad Philipp. c. 2. *Philipp. 2.* dum dicit: *In medio nationis pravæ ac perverſæ; inter quos lucetis, ſicut luminaria in mundo.* Sic & Angelum ſeu Epiſcopum Pergamenſem innoxium in perverſorum extitiſſe conſortio, fatetur is qui *Primi & Noviſſimi* cupit appellari nomine: *Scio*, inquit ille, *ubi habitas, ubi ſedes eſt* *Apocal. 2.* *Sathanæ, & tenes nomen meum, & non negâſti fidem meam.* Imò & Sponſa ipſa inter cæteras laudes, & hanc à Sponſo ſuo, audire merebatur, quòd inter peccatores innocens ac virtutibus plena vixiſſet, *ſicut* *Cant. 2.* *lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Converſatio igitur cum malis, quandoque nihil obeſt juſtis, ſed multorum inſuper exiſtit meritorum cauſa, ùt enumerata fatentur exempla. Nihilominus tamen quia commercium ejuſmodi plenum eſt periculis, & ùt expertus fatetur D. Auguſt. lib. 2. confeſſ: *Res ſummè contagioſa eſt*: cavendum *D. Auguſt.* ſummopere erit juſto, ne malorum blanditijs ineſcatus in tranſverſum abripiatur. Nam quod Noë, Loth, ac pauculi alij, in medio peccatorum incendio, cùm reliquis non æſtuaverint; multóque minùs conflagraverint, non accidit ex eo, quod juſti & innocentes fuerint, ſed quod ſpeciali ac efficaci gratia imbuti, in timore DEI perſtiterint. Colligi enim id poteſt ex verbis ſacræ Scripturæ, quæ Noë virum juſtum laudat dicendo Gen. c. 6. *ambulavit cum DEO*; hebræus legit: *Geneſ. 6.* *fuit gratioſus coram DEO*; Chaldæus vertit: *in timore DEI ambulavit.* Ex quibus conſtat, non ſolùm innocentiam, ſed timorem Domini gratiæ junctum, hos illæſos à peccatis præſervâſſe. *Timor enim Domini*, *D. Auguſtin.* (ùt præclarè ait D Auguſt. ſerm. 10. de verb. Apl.) *eſt quidem quaſi cuſtos & pædagogus Legis, expellit peccatum, multa dona invehit, & facit ut animæ evadant de pœnis inferni.*

Ineptiſſimè proinde agunt illi, innocentes ſint licèt, juſti ſint licèt, qui miſcentur malis, conſortia malorum adamant, & vel ſemel colloquia reproborum, in his vel illis ſuſpectis ædibus exquirunt: ſiqui- N. 290.

dem primum etiam alloquium, imò verbulum; incautum adorietur, ac per aures in cor illapſum, animam ejus miſerè deprædabitur. *Nam natura rerum ſic habet*, ait D. Chryſoſtomus, *ut quoties bonus malo jungitur, non ex bono malus melioretur, ſed ex malo bonus contaminetur.* Et quomodo non contaminaretur is, qui in tali verſatur ſocietate, quæ non ſolùm divina caret benedictione; ſed ob peccata peſſimam annexam habet maledictionem. Quoniam ùt notat Albinus ſup. Geneſ. *Impius majori maledictione dignus habetur, adeò ut ubicunque exiſtat; mox eum ſubſequatur maledictio, & bonus propter hunc cœleſti omnino privetur benedictione.* Pulchrè ſanè ad propoſitum meum facit quæſtio illa, quam movent S. Scripturæ Interpretes, dum quærunt in caput 1. Geneſis; quare optimus DEUS, quando quinta die creavit piſces in mari, & volucres in aëre, largâ eos proſecutus ſit benedictione dicendo: *Creſcite & multiplicamini.* Quando verò ſexto die produxit animalia terreſtria, jumenta ac reptilia, his ſuam ſanctam denegaverit benedictionem? Verùm huic abundè ſatisfacit Gloſſa interlinearis, dum ait: *Ideò fortè animalibus ſextæ diei non benedixit DEUS, quia inter ea erat & ſerpens; cui poſt paululum erat maledicturus.* En quomodo unicus perverſus ſerpens inter alia jumenta, quæ tamen DEUS vidit eſſe bona, immixtus, illis nocuerit; cauſáque fuerit, nè ut volatilia cœli, aut piſces maris benedicerentur. Cùm verò mentionem fecerim, maledicti illius ſerpentis, meminiſſe juvabit & Evæ Matris viventium. Dicite mihi proinde, quid genus humanum innocentiſſimum alioqui, tótque gratiarum ornamentis decoratum, in exitiale omnium miſeriarum barathrum demerſit? an non unicâ incautæ mulieris cum callido ſerpente converſatio? hæc ſanè & nihil aliud. Teſtatur enimverò id aureus Chryſoſtomus hom. in 3. cap. Geneſ. *Ante diabolicum conſilium, mulier pulchritudinem arboris videmt; ſed timebat mandatum DEI, & ſubſecuturum ſupplicium; poſtquam autem cum mala beſtia converſata eſt, cibum ſumpſit, deditque viro.* Certè fugiſſet Eva ſerpentis alloquia, aut ſaltèm obturâſſet digitis aures ſuas, ne blandientis belluæ perciperet voces, nunquam & ſe & poſteros, in tantum induxiſſet diſcrimen: *Tacere & fugere debuerat mulier*, ait Lipomanus, *ſerpentis colloquium, & marito protinus indicare.* Quod quia non fecit, ſed blandienti blandita fuit; unicum verbulum, *nequaquam*, eandem

D. Chryſoſt. *Albinus.* *Geneſ. 1.* *Gloſſa interl.* *D. Chryſoſt.* *Lipomanus.*

Digitized by Google

dem & nos mori coëgit. Unde meritò D. Bernardus exclamat: *O nequam, nequam ſerpens! ubi eſt tuum nequaquam, ecce omnes morimur.* D. Bernard.

N.291. Proinde, cùm perverſorum Societas omnibus verè noxia ſit, DEUS optimus, ſummè in veteri teſtamento populo ſuo electo, ejuſmodi converſationem interdixit. Hinc Exodi 24. ſeriò præcepit, dicens: *Cave ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ tibi erunt in ruinam.* Similiter Deuteron. 7. ijſdem ituris ad terram gentium hæc ſanxit: *Non inibis cum illis fœdus, neque ſociabis cum eis conjugia, quia ſeducent filium tuum, ne ſequatur me, & magis ſerviat Dijs alienis.* Imò cùm jam ſub Regibus cingerentur ab Idumæis, Sidonijs, Ammonitis & Hetæis, eadem ipſis denuò graviſſimè inculcavit, dicendo: *Non ingrediemini ad eas, certiſſimè enim avertent corda veſtra, ut ſequamini Deos alienos.* Unde cum invictiſſimus David, ob invidiam Saulis patria extorris, cum viris quaſi quadringentis, ſe recepiſſet in urbem Maſpha, Regis Moabitarum: Confeſtim DEUS eundem per Prophetam Gad admonuit, ut in terram Juda cum ſuis pedem referret, ne fors Commilitonum aliqui, Societatem cum Moabitis contrahentes, à lege deficerent: & impijs Idololatris jungerentur. Aſſentitur mihi doctiſſimus Lyranus, dum in expoſitione ejuſdem 22. capitis ſic loquitur: *Monuit Davidem recedere de loco, ubi ſecuriùs erat corporaliter inter Idololatras, periculoſiùs tamen ſpiritualiter; nam aliqui de ſocietate David ad Idololatriam declinare potuiſſent; ſi ibi diutiùs permanſiſſent.* Siquidem natum fieri eſt, ut à malis facilè corrumpantur boni; quod præclarè, ùt aſſolet D. Baſilius hac declarat ſimilitudine: *Quemadmodum in peſtilentibus locis ſenſim attractus aër, latentem corporibus morbum injicit; ſic item in prava conſuetudine, ac converſatione, maxima mala nobis hauriuntur.* Quæ in tantùm hominibus obſunt, ut innocentiſſimi etiam miſerrimè depraventur.

Exodi. 24. Deuter. 7. 3. Reg. 11. 1. Reg. 22. Lyranus. D. Baſilius.

N.292. Teſtis profectò eſſe poteſt, vel ipſe Regum ſapientiſſimus Salomon, *cujus ſapientia* (verba ſunt eloquentiſſimi Ambroſij) *totis celebrabatur ſeculis.* Factus tamen eſt inſipiens, quia nimiùm amavit ſocietatem perverſam. Hæc etiam quò pertraxerit DEO cæteroquin dilectum, & in quæ mentis præcipitia miſerum adegerit, pudet ah! pudet enarrare. Siquidem *mira Salomonis excellentia*, ùt notat Gloſſa ordin:

D. Ambroſ. Gloſſa ord.

din: *in mirum ſubverſionem, in flendam voraginem immutata eſt.* Adeò ut ex periculoſa hac mulierum converſatione ſapientiſſimus ſtultiſſimus evaſerit. Et quod magis adhuc obſtupeſcendum eſt, ad idola blanditijs concubinarum allectus thura ijſdem ſacrilegè obtulerit. Unde graviſſimè hæc de Salomonis ſcelere profatur, ſanctiſſimus Præſul Gregorius lib. 12. moral. c. 13. *Salomon immoderato uſu, atque aſſiduitate mulierum ad hoc perductus eſt, ut templum idolis fabricaret, & qui priùs DEI templum conſtruxerat, aſſiduitate libidinis etiam perfidia ſubſtratus, idolis conſtruere templa non timuit; ſicque factum ut aſſidua carnis petulantia, uſque ad mentis perfidiam perveniret.* Teſtis præterea eſſe poteſt ſummus in terris Chriſti Vicarius D. Petrus, æquè ſapientiſſimus; ex quo ſi quæram, quid eum ad tantum pertraxerit ſcelus, ut Magiſtrum optimum ſe non nôſſe, etiam interpoſito juramento aſſeruerit, an non dicet putidam unam ancillam, & quidem oſtiariam, in cujus converſationem ſe aliquantùm immiſit ſibi malum hoc causâſſe? cauſavit enimverò & quidem: *Non bona oſtiaria* (verbis utor S. Maximi hom. 2. de latro.) *quæ Petrum ideo in domum Sacerdotis incluſit, ut à fide Salvatoris excludat.* Teſtis demum & eſſe poteſt ipſe S. Thomas, qui dum Apoſtolorum ſpernit ſocietatem, & ab his ſe ſegregat, & apud incredulos diverticula quærit, non ſolùm amabili illa viſione privatur; ſed inſuper graviſſimo perfidiæ ſcelere ſeſe obſtringit.

D. Gregor.

S. Maximus.

N.293. Et tamen his non obſtantibus, quod irriguis etiam lacrymis deplorandum eſt vix aliqua hiſce temporibus; in converſationibus adhibetur cautela: promiſcuè enim boni, miſcentur malis, & mali miſcentur bonis; imò turmatim jam has, jam illas ſpurciſſimam etiam Veneris mephitim redolentes frequentant domos; quaſi verò adeò efficaci præmuniti eſſent gratia, ut omnino in peccata prolabi non poſſint. Sciunt commercium iſtiuſmodi fortiſſimos proſtrâſſe Samſones, virus hoc ſapientiſſimos dementâſſe Salomones, peſtem hanc SS. Petros, Thomas, alióſque afflâſſe ac infeciſſe, & tamen ea ultrò appellunt; non oblata ut canes indagant; inibíque talia colloquia, talia facinora inſtituunt, quæ vindicibus de cœlo flammis, milléque fulminibus eſſent caſtiganda. Nihil autem magis dolendum eſt, quàm quòd de cœlo dignæ, DEO dilectæ, ac innocentiſſimæ prorſus animæ; à ſimili malitio-

Digitized by Google

litoſo aliquo ſcurra, ſeu blanditijs, ſeu technis circumveniantur, ac miſerè depraventur. Reperiuntur ſæpe adoleſcentes, qui neſciunt, quid ſit inter dextram & ſiniſtram ſuam, & tamen ex unica cum depravatis converſatione; ex unico colloquio impudico, ex unico geſtu aut nutu immodeſto tantopere depravantur, ut ſenſim ac pedetentim in majora prolabantur ſcelera. Et qui ante unam diem vel alteram, imò ante pauculas horas erant *habitaculum Spiritûs Sancti; evadant tugurium diaboli; & qui incedebant ùt columbæ* (verba ſunt S. Ambroſij de virgine lapſa) *lateant in tenebris ſicut ſtelliones, qui fulgebant ùt aurum propter virginitatis honorem; viliores fiant luto platearum, qui fuerant ſtellæ radiantes in manu DEI, veluti de alto ruentes cælo convertantur in carbones.* Et quis has tam ſubitas cauſat metamorphoſes? ah *inimicus homo hoc facit?* unicum quandoque ſcabioſum diaboli inſtrumentum, innocentes ejuſmodi animas, ſanctiſſimo Chriſti ſangvine dealbatas in ſtygiam ſcelerum, mergit ac præcipitat ſentinam. *D. Ambroſ.*

Placet dicta hæc authentico quopiam Juvenis depravati confirmare exemplo; authentico inquam, quia mihi bene notus erat, meúſque quondam in ſcholis inferioribus condiſcipulus. Hic perilluſtri familia oriundus, cùm non ſolùm eximia corporis forma, ſed quod longè præſtantius eſt in nobile, præclariſſimis & moribus & virtutibus eſſet inſtructus, imò ipſa innocentia, ex vultu reluceret, omnium oculos animóſque in ſe convertit, adeò ut eundem cæteri obſervarent, im[illegible]sè deligerent, ſibíque illum ad imitandum, vivum pietatis ſtatuerent exemplar. Verùm cùm virtuti ſemper inſidietur dæmon, accidit ut in familiaritatem illius, alius quiſpiam, nobilis quidem, ſed profligatæ vitæ adoleſcens ſe inſinuaverit: hic primùm per indifferentes ſermones, ſvavémque modum agendi, adeò incautum ſibi devinxit, ut illum propemodum in manibus haberet, ac quocunque vellet poſſet ſeductum inducere; quod cum advertiſſent illi, qui eidem invigilabant, omnibus modis conati ſunt juvenem à pernicioſa illa conſvetudine eximere: quia verò quotidie eidem fuerunt, tum hortando, tum increpando moleſti, aliunde autem à peſſimo deceptore edoctus, ſpurcas voluptatis deguſtâſſet illecebras; ſtatuit ut liberiùs ijs frui poſſet, ſtudijs valedicere; ac ad aulam cujuſdam Comitis, invitis licet Tutoribus ſe conferre, & quidem cum ſceleſtiſſimo ſuo ſeductore. Ubi N. 294. *Praga 1645.*

Digitized by Google

cùm omnem [illegible]ſit exuiſſet pudorem, omnem profligâſſet pudicitiam; tanta ſcelera quotidie perpetravit, ut non jam innocens ſed ſceleſtiſſimus videretur. Nihilominus vitam in hiſce ſordibus, vix uno tranſegit anno infelix juvenis, nam cùm vice quadam, cum ſeductore ſuo tanquam ſibi fideliſſimo, Dominicâ Paſſionis à matutino tempore, uſque in veſperam, apud proſtitutam mulierculam helluaretur: tanta inter eos ſubitò exorta ſunt jurgia, tantæ excitatæ rixæ, ut ſeductor odio ac furore plenus extemplò receſſerit, ac injuriam, utì putabat ſibi illatam, non niſi ferro vindicaturum ſe ſpoponderit. Interea miſer Juvenis abſente commilitone, omnia ſalva eſſe exiſtimans, ultimùm vino madens aggreditur flagitium, quod ubi perpetravit, ſui omnino ſecurus domum ſe conferre parabat; ſed vix è domo illa maledicta egreſſus fuit, víxque pedes ægrè conſiſtentes extulit, ecce adeſt offenſus ſeductor, qui eum ſollicitè præſtolabatur, aggreditur ebrium, adactóque in viſcera ferro, miſerum proſternit, ac tribus illatis vulneribus in momento crudeliter exanimavit. En exitialem depravati Juvenis interitum, quem unicum colloquium, unicus perverſus ſocius, ex fœdo libidinis incendio, ad ſempiternos fors detruſit ardores.

Quare hujus aliorúmque exemplo, ſi necdum ſapere diſcitis, per me licet ſequamini hunc infelicem juvenem; cavete tamen ne in eundem æternitatis rogum detruſi, ſerò illud occinatis: utinam! maledictum illum ſocium nullo unquam alloquio dignatus fuiſſem, utinam! in hanc vel illam domum, nullum pedem intuliſſem; utinam! perſonam hanc vel illam nullo oculo aſpexiſſem! Quod ne eveniat *fugite, fugite*, verba ſunt S. Jeremiæ Proph. c. 51. *de medio Babylonis*, de medio converſationis pravæ, *& ſalvet unuſquiſque animam ſuam.* Jerem. 51.

In Feſto SS. Philippi & Jacobi Apoſtolorum.

Concio VI.

Philippus & Jacobus inſtar palmæ effloruerunt.

Joan. de S. Gemin.

Argu-

Digitized by Google

ARGUMENTUM. *Mos ab antiquo jam receptus etiamnum in uſu conſervatur, ùt Calendis Maji virentes arbores in lætitiæ ſignum, ante portarum limina collocentur. Hunc & ego, meliori tamen modo, ut obſervem morem, præſens mihi perſuaſit dies: dum ex florido Maji Palmeto, omnibus ante cordis januas colloco binas, pulchras, fructiferas palmas, ſcilicet DD. Apoſtolos Philippum & Jacobum, qui verè* ùt Palmæ effloruerunt. *Ut quiſque in horum conſideratione, ſtudeat quoque eſſe Arbor bona, Palma fructifem, id eſt, bona opera exerceat, ne aliquando velut infructifera illa ficulnea, Lucæ 13. & Matth. 21. à Domino maledicatur, & in ignem abjiciatur.*

Juſtus ùt Palma florebit. *Pſalmo* 91.

JUcundam enimvero vernantis terræ intueor faciem; N.295.
prata candidis flavíſque exornata floſculis, quaſi toti-dem ſtellulis, ſtellati inſtar cœli fulgurant, virentes in agris fluctuant ſegetes, amœnæ veris rident deliciæ, ſuperbæ denique hortorum areolæ ſuis luxuriant in floribus, omnémque hilaritatis exhibent aſpectum. Solus interim menſis Majus non modo retroactæ antiquitati, ſed & noſtris ſæculis habetur funeſtus, tetricus, trux ac minarum plenus. Veteres certè menſe hoc (Plinio teſte) nulla inſtituebant conjugia, lugubri ſe veſtiebant amictu, deplorabant mortuos, parentabant defunctis. Nobis verò idem menſis, non tam ex vernantibus florum copijs floridus, quam ex multis ſignatus crucibus videtur cruciatus. Nam ſi mentis conjiciam oculos, vel in diem menſis primam; terret, imò propemodum conturbant hominem Crux aſpera & nodoſus Fullonis fuſtis, quorum hic magnum Solymæ Præſulem D. Jacobum excerebravit, altera verò D. Philippum & ſublimem in aëra levavit, & crudeliter enecuit. Sic ſi diem ſequentem, quæ aliàs ſecunda eſt, paulò attentiùs obſervem, eam non ſecundam, ſed ab innumeris magni Athanaſij (in quem orbis uterque conſpirare viſus eſt) perſecutionibus, quaſi totidem notatam crucibus intueor funeſtam. Similiter nec dies tertia ſua caret Cruce, ſiquidem ipſam graviſſimam Servatoris noſtri Crucem veluti denuò inventam, omnibus mortalibus ad imitandum ſeriò oſtentat. Verbò, quarta, quinta, ſexta, ſeptima, tacendo de-

Digitized by Google

de ſequentibus alijs, tot habet cruces, quot profuſus D. Monica numeravit lacrymas, quot guttas olei continuit lebes dilectum JESU decocturus Diſcipulum; in quot demum corporis fruſta, invictus ille Poloniæ Præſul D. Stanislaus ab improbo Rege, diſſectus & conciſus fuit.

Verùm abſit ut menſem, quem Vates ac Hiſtoriographi, *menſem hilaritatis, Floræ prodromum, jucunditatis arbitrum* agnoſcunt, fatalem ac funeſtum compellem, & licet plurimis ſignatus videatur crucibus, tamen non tam his, quàm virentibus palmarum copijs exornatus, mirum in modum coruſcat. *Crux etenim* (ùt rectè obſervat D. Cyprianus ſerm. de Paſſ. Dom.) *Palma eſt portendens triumphum de diabolo, & de poteſtatibus, ac nequitijs ſpiritualibus victoriam.* Quare ex omnibus menſibus, maximè virens, floridus, germinans, omníſque amœnitatis parens meritò dicendus eſt, ut qui tam copioſas numerat cruces ſeu palmas.

S. Cyprianus.

Unde cùm hodie & apud nos more ſit receptum, ut amici amicis in lætitiæ ſignum virentes offerant arbores, eáſque ad portarum limina collocent; ut tranſeuntium oculos ac nares delectent. Offeram & ego auditoribus meis in ſignum benevolentiæ binas eáſque primarias è palmeto Maji palmas fructuoſiſſimas; ſcilicet hos ipſos, *qui ùt palmæ effloruerunt.* DD. Philippum & Jacobum, ut non tam oculi corporis intuendo recreentur, quàm mentis acies ad imitandum, ſeriò ac efficaciter provocetur.

N. 296. Si pulcherrimas palmarum proprietates, menti meæ objiciam, quas non tam naturæ indagatores Ariſtoteles, Plinius, aliíque, ſed & ipſi SS. Patres accuratè conſignârunt; adverto eas ſpeciali, præ omnibus alijs arboribus eſſe donatas prærogativâ. Nam ubi primùm è terra conſurgunt, mox in principio perfectam habent craſſitiem, quæ deinceps inter creſcendum, nunquam ampliatur, ſed eadem manet in latitudine. Ità verbis planè diſertis, uterque D. Gregorius eaſdem deſcribit; Niſſenus certè hæc de illis ait: *Sola palma perfectâ craſſitudine è terra ſurgit & creſcit. Cúmque in altum progrediens proceritatis ſuſcipit augmentum, nullam in craſſitudine accipit acceſſionem. Hæc inſuper à prima rectitudine nunquam deficit, quin ita in ſua rectitudine ſervanda fortis eſt & obdurata, ut nec magno oppreſſa pondere, tantillùm ab ea deflectat.*

S. Greg. Niſſ.

ſtat. Romanus verò Præſul in expoſ. Pſalmi 91. lib. 10. moral. c. 25.
his verbis Palmæ introduxit proprietates: *Omnis arbor in ſuo robore* *D. Greg. Ma.*
juxta terram vaſta ſubſiſtit, ſed creſcendo ſuperiùs anguſtatur; Palma
verò minor ab imis inchoat, & juxta ramos ac fructus, ampliori robore
exurgit, & quæ tenuis ab imis proficit, vaſtior ad ſumma ſuccreſcit. Ni-
hil autem in Palmis eſt amabiliùs, viſúque jucundiùs, quàm quòd hie-
me & æſtate continuò ſuum ſervent virorem, & nunquam careant fru-
ctu. Imò quantò annoſiores ſunt, tantò ſunt fructuoſiores: *Palma* *Ven. Beda.*
enim (ùt Venerabilis Beda atteſtatur) *ſemper in ſummo pulchritudinem*
& ſuavitatem oſtenduht fructuum.

Propterea licèt homines ſæpiſſimè tum in Sacra Scriptura, **N. 297.**
cùm alibi comparentur arboribus, tamen vel maximè quamcunque
animam palmis debere eſſe ſimilem exoptat DEUS Optimus. Patet id
è Canticis, ubi Sponſus cœleſtis Sponſam ſuam laudaturus à ſtatura,
eam comparavit Palmæ: *Statura tua*, inquit Cant. 7. *aſſimilata eſt Pal-* *Cantic. 7.*
mæ. Hinc non immeritò quærit Joannes à S. Geminiano apud Niſſe-
num, quare Divinus Sponſus eam palmæ potiùs, quàm alteri cuivis ar-
bori comparârit; reſpondet verò peraptè ſibi ſerm. 33. *Reliquis arbori-* *Ioan. à S. Ge.*
bus non aſſimilat, quia cùm eæ proficiunt ætate, ſterileſcunt, paucioréſque
ferunt fructus, quò plures numerant annos; Palma è diverſo quantò an-
noſior, tantò eſt fructuoſior, creſcitque cum annis fertilitas. Unde jam in-
telligimus myſterium; eæ animæ probantur DEO, & palmam referunt,
quæ palmæ in fructibus ſeu operibus ſunt perquam ſimiles. Quare & ipſe
regius Pſaltes, ubi palmarum naturam penitiùs rimatus fuiſſet, non
quemcunque hominem, ſed hominem juſtum eiſdem conferendum
judicavit: *Juſtus*, inquit Pſal. 91. *ùt palma florebit*; florebit, inquam, *Pſalm. 91.*
non virebit, quia, ùt ait D. Auguſtinus, *florere plus eſt, quàm virere*;
adeò ut quemadmodum flores adferunt fructum, ſic juſtus, non tam *D. Auguſtin.*
virere, quàm florere debet in fructibus, in operibus, in virtutibus.

Et tales verè floridas ac fructiferas Palmas fuiſſe hodiernos duos
glorioſiſſimos Chriſti Apoſtolos DD. Philippum & Jacobum, affirmat
eorum vita, quæ magno atteſtante Gregorio; *velut palma inferiùs de-* *D. Gregor.*
ſpecta, ſuperiùs fructibus pulchra; in imò quaſi multis corticibus obvolvi-
tur, dum innumeris tribulationibus anguſtatur. In ſummo verò quaſi
pulchræ viriditatis foliis, amplitudine retributionis expanditur. Et quid-

ni hi SS. Apoſtoli floridiſſimæ Palmæ fuerint, qui tot annorum exantlatis laboribus, uberes de ſe pendulos oſtentârunt fructus? An non D. Philippus annoſa fuerit Palma, qui viginti annorum ſpatio & ampliùs per Aſiam Scythiámque totam, Evangelici Præconis officio, magna cum gloria fructúque perfunctus; demum Hierapoli Phrygiæ Urbe, adversùs Stygias decertans poteſtates, velut Palma concuſſa & preſſa, ſed non oppreſſa glorioſè ſubſtitit? An non & D. Jacobus, cognomine tametſi minor; re verò magnus imò maximus fructuoſæ aſſimiletur palmæ, ut qui integris triginta annis Jeroſolymitanæ præfuit Eccleſiæ, tanto ſuorum cum emolumento, ut ipſi prægrandes variarum virtutum fructus, etiam Judæorum perſtrinxerint oculos, qui ejus ſanctitatis famâ exciti, non tantùm manus, ſed & veſtes quoque ſvaviari, certatim contenderunt; ac huic ſoli Sancta Sanctorum ingrediendi *Ioſephus.* poteſtatem fecerunt. Joſephus certè quamvis hebræus Auctor tamen gravis ſcribit; everſam à Tito & Veſpaſiano Jeruſalem, vindices exigente pœnas DEO, quòd Jacobum Chriſti fratrem, Virum juſtiſſimum juxta ac pijſſimum omnium judicio habitum, de medio ſuſtuliſſent.

N. 298. Palmis igitur qui comparatur, fructibus onuſtus, virtutibus ac bonis operibus plenus ſit, neceſſe eſt. Unde cùm his anima noſtra ſo- *D. Gregorius.* lummodo exornari, ac condecorari poſſit, juxta illud Divi Gregorij 16. moral: *Sicut veſtimentum corpus, ita bona opera contegunt animam*; meritò DEUS ſingulis præcepit, non tantùm *facere dignos fructus pœ-* *Ioan. 4.* *nitentiæ*, Matth. 3. ſed etiam *congregare fructus in vitam æternam*, Joan. 4. Hinc bene D. Auguſt. in epiſt. ad Gal. *Bona opera facienda* *D. Auguſtin.* *ſunt*, inquit, *quia id juſtitia requirit*; itaque requirit, ut non ferentibus fructum, & excidium, & ignem minetur æternum; nam *omnis arbor* *Matth. 7.* (maximè verò Palma, cui ſtatura noſtra, ſeu incrementum in bonis operibus aſſimilatur) *quæ non facit fructum, excidetur, & in ignem mittetur*. Matth. 7. Horridum enimverò fulmen, quod ipſas animæ medullas pervadere poteſt; ſiquidem ſit licèt arbor pulcherrimis exornata folijs, ſit virentibus inſtructa frondibus, ſi tamen optatum non fert fructum, alias inter non tolerabitur, ſed quemadmodum illa pro- *Daniel. 4.* cera Nabuchodonoſoris arbor, Daniel. 4. excidetur. Et ne quis exiſtimet decretoriam illam Servatoris noſtri ſententiam, non tam de hominibus, quàm de arboribus eſſe latam, audiat is D. Gregorium homil:

ſu-

Digitized by Google

ſuper hunc locum: *Arbor eſt univerſum genus humanum, non faciens* D. Gregor. *fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur, quia paratum gehennæ concremationem invenit, qui hic boni operis fructum facere contemnit.* Placet rem parabola à Chriſto data adumbrare.

Stabat D. Luca teſte cap. 13. in vinea fructifera, loco pingvi, ficulnea amæna virens, nec à ſterili tranſplantata ficu; quam triennio integro, vineæ cultor, nec induſtriæ aut labori parcens, præ alijs putando excoluerat. Ad hanc acceſſit vineæ Dominus; *Venit*, inquit S. Scriptura, *quærens fructum in illa, & non invenit*; quare juſta indignatione Luc. 13. motus dixit ad cultorem vineæ, *ecce anni tres, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac & non invenio, ſuccide ergo illam, ut quid etiam terram occupat*; auſterum ſanè decretum, quod mitigare, vel ipſa virens pulchritudo arboris non potuiſſet, niſi vineæ cultor interceſſorem egiſſet, dicendo: *Domine dimitte illam & hoc anno. Ficus hac* (D. Au- D. Auguſtin. guſtino docente de verbis Dom.) *eſt genus humanum, primus enim homo qui peccavit, foliis ficulneæ nuditatem ſuam velavit. Jllud ſi fructum bonæ operationis* (verba ſunt Magni Gregorij) *non exhibet, velut infru-* D. Gregor. *ctuoſa arbor terram occupat, quia in eo loco, in quo eſt, aliis operandi occaſionem negat.* Hinc cuilibet homini tres aſſignantur anni, ſeu ùt explicat D. Thomas in caten. PP. *Ternæ attribuuntur ætates, puerilis, vi-* D. Thomas. *rilis, ſenilis, ut intra has ſtatui convenientes proferat fructus, quos ubi proferre negligit, exciſus illic cadet, unde jam reſurgere per pœnitentiam non valebit.*

Quod ficulneæ huic, ob cultoris interceſſionem non potuit ob- N.299. venire, obvenit ficulneæ illi, quæ à Chriſto maledicta fuit. Ibat benedictus Dominus, ùt ait D. Matthæus c. 21. D. Marcus verò c. 11. die altera, poſt peractum in monte oliveti triumphum è Bethania in civi- Matth. 21. tatem Jeruſalem, & quod mirabile eſt, tempore matutino eſurijt. Marc. 11. Cùm autem vidiſſet *à longè ficum habentem folia, venit, ſi quid fortè inveniret in illa, & cùm veniſſet, nihil invenit præter folia.* Quare mutato mox vultu amabili, in ſeveriorem, elata voce, fulminis inſtar, concuſſit ficum illam, & æterna ſterilitate damnavit dicens: *nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum*, vel ùt alter Evangeliſta memorat, *jam non ampliùs in æternum ex te quiſquam fructum manducet.* Et ecce rem obſtupeſcendam, vix maledictionis finierat verba Dominus, & con-

continuò arefacta eſt ficulnea, perdidit humidiſſima aliàs arbor omnem ſuum ſuccum, folia in momento defluxerunt; ac inſtar ligni aridi in conſpectu mirantium ſubſtitit Diſcipulorum. *Sed quid peccavit ficus*, exclamare libet cum D. Athanaſio, *quòd eam Chriſtus arefecit?* punit eam Dominus illo tempore, quo necdum ficus protrudere debuerat groſſos ſuos, nam ut de induſtria addidit D. Marcus, *non enim erat tempus ficorum*. Quærit ſimiliter & D. Thomas, dicendo: *Si eſuriebat, cur de alio comedere non quærebat?* Sed de ficu fructus ante tempus tribuere non valente? urget idipſum & doctiſſimus Origenes, dum ait: *An non ad miſeradum pronum Dominum, foliorum viror ac futura fertilitas placare debebat?* at actum erat; *Maledicitur ficus* (ait D. Chryſoſtomus hom. 23. in Matthæum) *ut edoceret quanta pœnâ homo dignus ſit, qui modo cùm tempus ſit bene operandi fructus non ferat; Quod Chriſtus Dominus eſurit in homine illud eſt, ut faciat voluntatem Patris ſui, qui in cœlis eſt. Infructuoſas arbores Dominus in vinea ſua permanere non patitur, ſicut ipſe in Evangelio ſuo teſtatur, ſuccide eam, ut quid enim terram occupat. Eſto itaque homo, arbuſculæ tuæ valde diligens cultor, ut in ea arida quæcunque ſunt, abſcindantur; quæ infructuoſa ſunt, amputentur, quæ fructuoſa ſunt, excolantur.*

D. Athanaſ. *D. Thomas.* *Origenes.* *D. Chryſoſt.*

N. 300. Verùm ſi manſuetus cæteroquin Dominus, potentiam ſuam in creatura hac exercere voluit, eámque punire, quòd ante tempus non tulerit fructus; quid non aget cum arboribus illis, quæ tempore conſtituto ſterileſcunt, nullúmque ferunt fructum? quam non exercebit potentiam vel in Palmam, quæ ob fertilitatem nimiam, ſemper abundat fructibus: ſi aliquam, his deſtitutam deprehendiſſet? profectò non tantum dixiſſet, nunquam ex te naſcatur fructus, ſed ſubjunxiſſet protinus illud, ſuccidite illam, mittatur in ignem & quidem æternum. Et quod bene notandum, quàm ſæpe non animarum noſtrarum Zelator manſuetiſſimus JESUS accedit ad animam noſtram, cujus ſtatura aſſimilata eſt Palmæ, & pari ratione anhelat ſatiari de fructibus? quàm ſæpe non ſtimulante zelo præcordia, quærit ſub arborum noſtrarum frondibus, fructus deſiderabiles, ac dulces gutturi ſuo, ſed quod deplorandum eſt, ſæpe nihil invenit niſi merum foliorum virorem; & utinam quandoque & hunc adhuc inveniret! ſiquidem tales ſubinde invenit palmas, quarum virorem venerea decoxit pruina, vel peſtilens

am-

Digitized by Google

ambitionis, ſuperbiæque areſecit ventus; vel denique aprini furoris invidiæque dilacerârunt dentes. Unde quid mirum ſi ſuam mox exerat potentiam Dominus, & arborem talem horribili illâ verborum fulminet energiâ: *Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum.* Aut: *Succidite arborem, utquid etiam terram occupat*; & quidem illam, in qua aliæ plantatæ arbores, fructum ferrent, non tantùm centeſimum imò & milleſimum. *Matth. 21.*

Hanc maledictionem quid aliud ſubſequi poteſt, niſi tremenda illa executio, niſi ut exareſcat ficulnea, marceſcat pulcherrima aliàs Palma, illuſtris demum anima pretioſo Chriſti cruore toties irrigata, contabeſcat, & in igneum inferni titionem, miſerè convertatur. Mirabantur quondam SS. Vates David & Iſaias, quomodo tam ſubitò impij, qui ſtando eminebant ſuper omnes cedros Libani; excedebant omnes quercus Baſan; ſubitò evanuerint nullúmque priſtinæ ſtationis veſtigium reliquerint? *Vidi*, inquit David Pſal. 36. *impium ſuperexaltatum, & elevatum ſicut cedros Libani, & tranſivi, & ecce non erat; & quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus.* Sed deſine mirari ſanctiſſimè Vatum, ille enimverò de quo dixiſti Pſalmo 28. *Confringet Dominus cedros Libani.* Ille inſuper qui apud Iſaiam quoque dixit: *Dabo in ſolitudinem cedrum, ſuccidam excelſa cedrorum, comminuam eos ut pulverem*; ille inquam Dominus fortis & potens, ſteriles has arbores evulſit ac radicitùs extirpavit. *Pſal. 36.* *Iſai. 37. 41.*

E contrario autem cùm fructifera palma, vel maximè recreet ac refocillet cor amabile dilectiſſimi JESU noſtri, imò eundem Dominum tantopere alliciat, ut abſque mora ad eam accedat; evenit ut & ſub umbra illius ſuaviſſimè requieſcat, & de fructibus ejus dulciſſimis abundè ſaturetur. Patet id è 7. cap. Cantic. ubi in arborem Sponſæ cujus ſtaturam aſſimilaverat palmæ, ingenti animi ſui cum voluptate conſcendere decreverat, dicens: *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus ejus.* N. 301. *Cant. 7.*

Quare cùm ejuſmodi umbroſæ, florentes ac fructiferæ palmæ fuerint DD. Philippus & Jacobus; hilares à me oblatas ſuſcipite, eáſque non tam ante portarum limina, quàm ante cordis veſtri oſtium collocantes; irretorta mentis acie, jugiter conſiderate, ut earum exemplo anima veſtra effloreſcat ùt palma: dicere volo; cùm ex operi-

Digitized by Google

bus bonis nobilitetur, ac exornetur cujuslibet anima: videat ut his non ſinat palmam ſuam deſtitutam: *Faciat proinde fructum* (clamat D. Ambroſius) *qui poteſt gratiæ; & qui debet pœnitentia; adeſt Dominus, qui fructum requirat, fœcundos vivificet, ſteriles reprehendat.* Unde & verbis concludo D. Thomæ: *Tu ſi non vis damnari in judicio, arbor ſterilis eſſe caveto: ſed potiùs pauperi Chriſto fructum pietatis, quo indiget offerre, nè omittas.*

D. Ambroſ. *D. Thomas.*

In Feſto S. Bartholomæi Ap.

Concio VII.

Vocat JESUS ad ſe omnes, & pauci ſunt, qui obediant. Caſſianus.

ARGUMENTUM. *Ex occaſione vocationis DEI, quâ vocavit Diſcipulos ſuos paucos, & inter eos D. Bartholomæum: quæſtionem inſtituo, cur tam pauci vocantem ſequantur DEUM? Quia verò animadverto vocem blandientis mundi, potiſſimùm Vocatos retardare: oſtendo igitur ejus frades dolos & fallacias, quibus miſeros ſuos decipere conſuevit Amaſios, idque tragico Filij Prodigi exemplo. Ut omnes ad ejus incantantis vocem aures ſuas fortiter obturent; & ſolam ac unicam vocem Domini in cor ſuum promptè recipiant.*

Vocavit Diſcipulos ſuos. *Lucæ 6.*

N. 302. Felicem iterúmque felicem illum dixerim, quem JESUS vocat, multùm amabilis. At feliciſſimum omnium, quem ad promptè hilaritérque obediendum, ejuſdem Vocantis excitat vox: ſiquidem Filius DEI, gloriæ hæres, cohæres verò Chriſti gratioſè efficitur. Nam *quos prædeſtinavit*, inquit D. Apoſtolus ad Romanos c. 8. *Hos & vocavit, hos & juſtificavit, quos autem juſtificavit, hos & glorificavit.* Et nè deeſſet in orbe hæc vox clamans & excitans corda ho-

Rom. 8.

Digitized by Google

hominum; mox à mundi incunabulis edidit ſonum ſuum, *in ſummis excelſiſſque verticibus, ſupra viam, in mediis ſemitis ſtans, juxta portas civitatis, in ipſis foribus loquebatur dicens: O viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum.* Prov. 8. At parum omnino profecit; paucula enim è tot millibus mortalium, ad ſequendum excitavit corda. Obſtupeſcendum proinde eſt: vocat DEUS fulgura, eáque mittit, & nullo excepto, *revertentia dicunt, adſumus.* Job. 38. *Vocat aquas maris,* Amos 5. & voci ejus è veſtigio obtemperant. Vocat demum ipſas efferatas terræ belluas & ſuas ad audiendum erigunt aures; Hominem verò vocat, & homo contemnit, loquitur eidem ad cor, & cordis ſui obturat aures. *Prov. 8.* *Job. 38.* *Amos 5.*

Sanè in diebus Noë loquebatur carni, *quæ corrumperat viam ſuam*, at omnes neglectâ hac voce, *edebant & bibebant, uxores ducebant, & dabantur ad nuptias, uſque in diem, qua intraret Noë in arcam.* Luc. 17. Similiter clamabat per ora Prophetarum: *Relinquite vias peſſimas, revertimini ad me in toto corde veſtro*, & æquè contempſerunt Vocantem. *Nam vocavi*, ait per Iſaiam c. 65. *& non reſpondiſtis mihi, locutus ſum & non audiſtis.* Pauculi demum ante adventum in terras Domini, reperiebantur Jobi, qui ſincero dicerent corde: *Vocabis me, & ego reſpondebo tibi.* Job. c. 14. Unde incarnata Patris Sapientia in orbem hunc ſublunarem delapſa, fortiorem edidit vocem, intenſiorem in compitis, foro, plateis protruſit ſonum, ut vel ſic vocanti reſponderent homines. At quid effecit? clamabat in foro, ubi tot Scribæ, Phariſæi, Negotiatores erant, & ex omnibus unicum Matthæum è telonio excivit. Clamabat in urbibus, ubi frequentiſſimi Nobiles & Proceres, & ex ijs unicum Bartholomæum (ſi tamen Nobilis fuit) conſecutus eſt, nam ùt quorundam fert ſententia Bartholomæus è nobili imò regio Ptolomæi oriundus erat ſanguine colligunt id ex nomine בר & פתלמי bar Ptolomai, quod ſignificat filium Ptolomæi. *Luc. 17.* *Iſai. 65.* *Job. 14.*

N. 303.
Verùm quid hujus rei cauſa eſt, quòd vocantem homines non audiant DEUM? quod penetrativam ejus Verbi Incarnati, non percipiant vocem? maximè cùm blando prorſus illicio, omnes ad ſe invitet, dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Scio ſanè, ſcio! quid vocem hanc divinam infringat, quid ſonum retundat, quo minùs in cor hominis penetret, illúdque ad audi- *Matth. 11.*

cen-

endum extimulet. Vox eſt vox mundi, vox carnis & dæmonis, quæ
D. Auguſt. tantopere humanum præoccupat cor, ut clamore ſuo omnem aditum,
voci divinæ præcludat. Clamat namque mundus: *Venite ad me omnes, & ego deficio.* Et, obſtupeſcite cœli! accurrunt plurimi, ut cum eo deficiant. Clamat caro, *venite ad me omnes, & ego inficio*; & non pauci reperiuntur, imò turmatim convolant, qui inficiantur. Clamat denique vaferrimus Dæmon: *venite ad me omnes, & ego interficio*; & iſte plurimas ad vocem ſuam nanciſcitur animas, quas jugulet æternúmque ſeducat. Hinc bene magnus Auguſtinus: *Clamat mundus, qui deficit & complures attrahit; clamat JESUS, qui reficit, & paucos reperit.* Quare occaſione Vocationis Dominicæ, quâ *vocavit Diſcipulos ſuos*, inter quos & D. Bartholomæum; detegam fraudes blandientis mundi, quibus mortales circumvenit, ut omnis qui ſapit crudelem hanc Syrenem fugiat & Ulyſſis inſtar, ad illius incantantis vocem aures fortiter obturet.

N. 304. Magnum triumphantis Eccleſiæ decus D. Auguſtinus, poſtquam mundi hujus fallacias, dolos, technas ac fraudes, vel in ſeipſo exercitas pœnitens conſideraſſet, demum ſeriò cordis dolore adactus, in hæc
D. Auguſtin. erupit verba: *Fructus mundi ruina eſt*: nec abs re; quicquid enim clientibus ſuis elargitur, nihil tribuit ſtabile, nihil perenne, ſed omnia, ruinoſa, fluxa, caduca, quæ momento unico quandoque prætereunt. Et licèt dilectos ſuos, veſtiat ſerico, tegat purpurâ, coronet diademate, ditet opibus innumeris, tamen vel ſic verſipellis maximè decipit; timuit & expertus eſt hunc blandientem Antigonus Rex, quando admiranti fortunam ſuam mulierculæ reſpondit: *O mulier ſi ſcires, quantum mali ſub hac faſcia, ſub purpura iſta lateat, nec humi jacentem tolleres.*

Unde dum in ſua evocat caſtra mortales, quid quæſo eis boni præſtare poteſt? cùm ipſe nihil poſſideat ſtabile, ſed indies, magis, magíſque in rüinam deferatur, ejúſque gloria tranſeat, velut flos fæni, imò D. Chryſoſtomo teſte: *velut bulla ſuper aquas diſrumpatur, veluti*
D. Chryſoſt. *fumus in aëre diſſolvatur.* Quid inquam fugitivus hic amatoribus ſuis boni præſtare poteſt? num divitiarum præbere abundantiam? fateor, conferet quidem pecuniarum theſauros, ſed alijs ablatos, dum enim unum ditare deſiderat, alios priùs ſpoliare perfidus neceſſe habet.

Po-

Digitized by Google

Poſtea illa ipſa pecunia non eſt durabilis, ſed ſummè inſtabilis; quod ipſum luculenter ejus indicat figura. Nam dicite obſecro, quâ formâ hactenus, moneta ſeu pecunia procuſa fuit? nonne ſphærica, rotunda, orbiculari? & quo myſterio id factum? nonne ad oſtendendam ejus inſtabilitatem? cùm enim quadratum conſtantiæ ſymbolum ſit, & inconſtantiæ rotundum, ſubjungit S. Præſul Auguſtinus; *non immeritò ipſa pecunia rotunda ſignatur, quia non ſtat, rotatur proinde rotunda pecunia, & ab uno Domino ad alium continuò devolvitur.* Confirmat id ipſum & Divus Baſilius explicans illud: *Divitiæ ſi affluant. Admirare hanc vocem,* ait, *ſi affluant: fluxa eſt divitiarum natura, poſſidentes torrente citiùs præterit atque deſerit, alios alio modo apta mutare Dominos.* Igitur ſi divitias conferat mundus, magis cruciat quàm delectat, ſiquidem eaſdem prout alijs abſtulit, & his quos ditavit, poſt paululùm auferet.

D. Auguſt.

D. Baſilius.

Præterea idem fallax mundus, ſuis dare poteſt purpuras, chlamydes, periſcelides, diademata: ſplendida enimverò, Principum inſignia, ſed quæ deficiant ùt vermes, in momento dilabantur ùt aquæ. Cùm enim purpura ex aquis veniat ſuámque trahat originem meritò ejus felicitas dilabetur quaſi aqua. Unde D. Ambroſius lib. 5. hexam. fluxam purpuratorum gloriam perpendens disertè hæc de ea effatus eſt: *Aquarum eſt quod in Regibus adoratur, aquarum eſt ſpecies illa quæ fulget.* Adeò ut ipſa purpura, quam mundus donat, palàm oſtendat, nihil eſſe magis fluxum & caducum regijs opibus, ac idcirco ſtultus ſit quiſquis ijs fidat. Similiter & ipſæ chlamydes è ſerico contextæ, eandem indicant ſtabilitatem; quæ cùm proveniat, ex viſceribus vermium, ſignificant eoſdem quos veſtiunt, non minùs eſſe vermes, caducos imbecilles, ac illos unde prodierunt. Demum clientibus ſuis mundus poteſt conferre, honores inclytos, eóſque efficere Reges: at parcite, falſum eſt, non veros efficit Reges, ſed tantum *quaſi Reges*, ut qui ſpumâ citiùs, ſuper aquam evaneſcant. Teſtatur id Solymæus Vates, Oſeas c. 10. dum Samaritanorum Regum deſcribit vanitatem: *Tranſire fecit,* inquit, *Samaria Reges ſuos, quaſi ſpumam, ſuper faciem aquæ.* O brevem! ô fugacem, ô inanem prorſus Regum felicitatem! conſiderate quæſo parumper verba Prophetæ Samaria fortiſſimas decem tribus Iſraëlis complectens; ubi potentiſſimos togâ ſagóque inclytos N. 305.

D. Ambroſ.

Oſeæ 10.

Digitized by Google

nacta fuiſſet Reges, eorum pompam tranſire, evaneſcere fecit tanquam ſpumam, quæ aquis ſupernatat, & breviſſimo temporis ſpatio diſſipatur. Hinc S. Rupertus Præſul Tuitienſis; dum hanc Prophetæ ſimilitudinem exenterat, aliâ quidem, nec tamen minùs propria ſimi-
S. Rupertus. litudine priorem explanat. *Sicut*, inquit, *in fervente olla, ſuperiùs aquæ in ſpumam, bulláſque erumpunt, ipſæq́, bullæ ebullientes colliduntur, & alijs emergentibus, aliæ crepant & diſſiliunt; ita Samaria jugi igne diſcordiæ ferventes Reges, alios ſuper alios creavit, & uſque ad decem vices percuſſit.* Tales igitur mundus creat Reges, qui quaſi ſpumæ ſuper aquas evaneſcunt.

N. 306. Accedit inſuper, quòd dilectos ſuos, quos evocat, ſub hiſce vanitatibus graviſſimè affligat; eorumq; corda exulceret, animos conſtanti metu ac ſolicitudine extimulet. Nam Vates regius ubi eos miſerrimo huic Domino ſubjectos vidiſſet; labores eorum his verbis expreſ-
Pſal. 11. ſit, Pſalmo 11. *Impij in circuitu ambulant.* At quid voluit ſibi per hoc quando dixit, impij in circuitu ambulant? Audiamus omiſſis alijs mellifluum Clarevallenſium Abbatem D. Bernardum, ſerm. 12. ſuper
D. Bernard. Pſalmos dicentem: *Impij in circuitu ambulant, quia proficiſcuntur & non proficiunt, ſiquidem inſtar bovis triturantis alligantur ad rotam, & diebus ac noctibus à crudeli hoc Domino aguntur in circulum, qui poſt ferreos etiam ſervitutis labores vix fœnum, vix ſiliquas mercedis loco dare poteſt.* Miſerrimus namque eſt, ut qui in aula ſua, præter egeſtatem, dolorem, habeat nihil. Certè dum in publicum prodit Anteambulones ejus pompæ ſunt, eſuries, fames, nuditas, penuria. *Egeſtas enim*
Iob 41. *ante faciem ejus præcedit*, ait Job c. 41. vel ùt vertit ex Hebræo Aquila, *eſuries ante eum currit velociſſimè*! Quid igitur jam mirum, quòd homines maximis promiſſis allectos decipiat? & divitiarum, aut honorum loco ad extremam redigat paupertatem?

Ad tuam provoco ærumnarum congeriem Prodige Fili, qui Patri obedire non ſuſtinens, ad vocem incantatricis hujus Syrenis & paternam domum deſeruiſti, & noxia pereuntis ſæculi fruitus es libertate. Dic obſecro, quid te ad cœnoſam illam detruſit calamitatem, ut fame propemodum enectus perires? an non peſſimum fallentis mundi illicium, quo tibi divitias, honores voluptates obtrudebat, ex abundanti Patris tui domo deturbavit? deturbavit enimverò hæc blandiens peſtis,

ſtis, quæ pro divitijs famem, pro voluptatibus lutulentum cænum, pro honore ſummam contulit ignominiam. Proinde ruinam hujus miſerrimi filij ac verè perditi, paulò attentiùs conſideremus. Hic ubi mundi vocantis ſequi decreviſſet vocem: *Congregatis omnibus* (ait D. Lucas cap. 15.) *Adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam.* At quæ eſt hæc regio longinqua? reſpondet acutè & breviter, ùt aſſolet D. Chryſologus: *Eſt regio diſſimilitudinis, quæ eum ex homine mutavit in beſtiam.* Siquidem ibi *diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè:* hoc eſt, laxaverat fræna cupiditatibus ſuis, noctes inter ſpurcas voluptatum tranſegerat illecebras; dies inter pocula helluando, commeſſando, ſeſéque ingurgitando propudioſè conſumpſerat: Imò *nullum pratum omiſerat, quod non pertranſiret luxuria ejus.* Ubique inter compotantium ſalutes ſigna ſuæ reliquerat lætitiæ.

Luc. 15.

D. Chryſol.

Sap. 2.

N. 307. Verùm cùm nihil ſit perenne in orbe hoc ſublunari, evenit: ut fallax mundus more ſuo, promiſſum ulteriùs eidem non ſuppeditaverit peculium. Et tamen cùm *egere* cæpiſſet quanta dementia! non ſolùm non reſipuit, ſed deceptori ſuo fortiùs adhuc adhæſit. *Adhæſit*, inquit Scriptura, *uni Civium regionis illius.* Et quid clienti ſuo præſtitit tam inſignis patronus? maximè cùm *egere* conſpexiſſet delicatulum, ſibíque ſummè devotum? hauddubiè aliquomodo ſaltèm ſteterit promiſſis? eíque vel mediocres contulerit honores, quibus à ſe egeſtatem propellere potuiſſet? Sed attendite: *Miſit illum in villam ſuam*, ait ſacer Hiſtoricus: forſan ut inibi œconomum, aut familiæ inſpectorem ageret? non. Sed quod obſtupeſcendum eſt! *ut paſceret porcos. Ecce quid in ſæculo agat miſerè illuſus juvenis* (verba ſunt melliflui Præſulis Bernardi) *lutulenti gregis teritur & atteritur excurſu; nobili proſapia oriundus, fame luridus, veſte ſordidus, miniſterio contemptus porcarium agit.* At ô ſcelerate nequam! ô proditor munde peſſime! ſiccine ſtas promiſſis, ſiccine honorum beneficijs, tibi obſtringis devotos? ut dum regnorum polliceris gubernacula porcorum efficis gubernatores? At quid mirum, *Proditor enim cùm ſit mundus; proditoris ubique fungitur officio.* Unde bene D. Auguſtinus ſerm. 31. ad Fratres his verbis eundem alloquitur: *O munde proditor, cuncta bona promittis, ſed cuncta mala profers, promittis vitam, ſed donas mortem, promittis gaudium, ſed largiris mærorem.* Sic igitur *Filium illum tulit è gremio Patris*, *ejecit*

D. Bernard.

D. Auguſtin.

D. Chryſolog.

ejecit domo, exemit patriâ, ſpoliavit famâ, exuit caſtitate.

Nihilominus in villa hac præbuitne ſaltèm, vel neceſſaria eidem ad ſuſtentandam vitam? verùm nec panem quidem illi præbuit; imò vix porcorum ſiliquas. *Cupiebat enim,* ait Evangeliſta, *implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas comedebant porci, & nemo illi dabat. Quàm crudele miniſterium!* exclamat meritò D. Chryſol. ſerm. de Prodigo, *quia neque convivit porcis, qui vivit porcis.* Nec mirum hoc alicui videatur: *Vitricus namque cùm ſit mundus* (ait D. Ephrem) *alienis filiis non parcit, ſed ſiliquas Draco præbet.* En igitur mundanæ proſperitatis ludibrium in Filio prodigo expreſſum, qui dum frequentiſſima in civitate morari dedignatur, nobilium fratrum faſtidit conſortia, modò exul obbruteſcit inter viliſſimorum pecorum greges, adeò ut nec mica panis, ventrem ejus à fame contractum recreare potuerit.

D. Chryſolog.

D. Ephrem.

N.308. Sic ergo ſuos præmiat clientes mundus, ut ijs in neceſſitate conſtitutis, nec panem offerat, niſi fors *panem doloris, panem lachrymarum, panem mendacij;* qui ad initium dulcis eſt, poſtea amarus. De hoc ſymbolicè ait Salomon: *Suavis eſt homini panis mendacij, & poſtea implebitur os ejus calculo,* vel ùt legit regia Complutenſis; *Dulcis eſt homini panis mendax, & poſtea implebitur os ejus ſilicibus.* Quis verò ſit ille panis mendax aptè ad propoſitum meum, hunc declarat Hugo Card. in hoc loco: *Panis mendacij,* inquit, *eſt felicitas temporalis, quæ ſe panem eſſe mentitur, cùm non ſit, ſed ſiliqua pecorum, quæ non ſatiant, ſed inflant, cui iſte panis ſuavis eſt, implebitur os ejus calculo; id eſt, amaritudine pœnitentiæ vel gehennæ.* Confirmat idipſum & D. Gregorius: *Panis iſte,* ait, *aliud in ore ſapit, aliud in utero, quia tranſitoriæ delectationis lætitia, dulcis eſt, ſed amareſcit in utero.* Propterea amariſſimè deplorandi ſunt filij hujus ſæculi, qui tametſi mundus fallat, dolores inferat, egeſtatem ſuperinducat, adhuc tamen eundem amant, illiúſque ad vocem quaſi ad datum claſſicum accurrunt; deplorandi inquam ſunt: *Siquidem turbatur mundus,* ait D. Auguſtinus, *& amatur ab illis mundus, formoſo quomodo adhærerent, ſi ſic amplectuntur fœdum? flores ejus quomodo colligerent, qui à ſpinis ejus ſuam non revocant manum. Non volunt relinquere mundum, & mundus tamen relinquit eos.*

Proverb. 20.

Hugo Card.

S. Gregorius.

D. Auguſtin.

N.309. Hi profectò ſunt ſimiles ſtultis illis apud Sapientem c. 2. qui nullum non pratum, ſpurcâ ſua libidine fœdârunt, ipſóque roſarum marcore

core ad carpendas roſas, ſeſe invicem feſtivè prorſus & hilariter invitârunt, dicentes: *Coronemus nos roſis, antequam marceſcant.* Quæ ſtultitia! quæ veſania! *antequam marceſcant.* Sciunt probè roſas marceſcere, & tamen eiſdem coronari expetunt. *Ipſa memoria vitæ brevioris* (ait in hunc locum D. Bernardus) *remedium magis quàm incentivum debuerit eſſe peccati; & tamen creaturâ uti celeriter, prata pertranſire, caput roſis ſubitò marceſcentibus conſpergere deſiderabant.* Unde bene ſeveriori ſtylo in eos invehitur eruditus Tertullianus: *Itáne coronatis caput ſedem mentis & intellectûs, caducis hiſce terrenarum rerum floribus? mentis deſpectu conterendis:* Quanta inſuper miſeria! cernitis flores marceſcere, & ijſdem vultis capita coronare? Sed hæc eſt humanæ conditionis cæcitas; ut etiam illud quod ad momentum durat incautos delectet; eóque miſeros inducat, ut in pedicas mundi prolapſi, ſævam ejus crudelitatis tyrannidem, ſerò licèt experiantur, ac cum iſdem impijs lamentabile illud ſibi occinere carmen cogantur. *Ergo erravimus à via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis - - - & in malignitate noſtra conſumpti ſumus.* Sapient. c. 5.

Sapient. 2. *D. Bernard.* *Tertullianus.* *Sapient. 5.*

Quare ut Concionis hujus coronidem imponam, ad vos me converto AA. cùm *enim mundus tranſeat & concupiſcentia ejus*, ipſiúſque illecebræ, juxta D. Auguſtinum, *aſperitatem habent veram, jucunditatem falſam, certum dolorem, incertam voluptatem*, rejicite magnis animis, peſſimæ hujus incantatricis, invitamenta, repudiate fucatas hujus ſæculi voces; & cùm juxta Jobum cap. 33. *ſemel loquatur DEUS*, id eſt, ſemel vocet DEUS, *& ſecundò idipſum non repetat*, auſcultate obſecro vocem Domini, & cum Samuele animo prompto, corde patulo, ingeminate illud: *Loquere Domine, quia audit ſervus tuus.* Et eveniet ut DEUS, qui neminem fallit, nec fallere poteſt, perennem tribuat proſperitatem, veras eáſque nunquam intermorituras in regno ſuo largiatur illecebras: de quo jam olim æſtu diviniore percitus exclamavit D. Auguſtinus: *O regnum beatitudinis ſempiternæ; ubi juventus nunquam ſeneſcit, ubi decor nunquam palleſcit, ubi amor nunquam tepeſcit, ubi ſanitas nunquam marceſcit, ubi vita terminum neſcit.*

D. Auguſtin. *Iob. 33.* *1. Reg. 3.* *D. Auguſtin.*

Digitized by Google

In Feſto S. Matthæi Apoſtoli.

CONCIO VIII.

Homo alatus D. Matthæus. Victor Antioch.

ARGUMENTUM. *Dictum memorabile Eccleſiaſtici, de* Homine marcido, *quem* Oculus DEI *reſpexit, erexit, & exaltavit, applico Divo Apoſtolo Matthæo, quem ſimiliter amabilis oculus JESU Chriſti, reſpexit, &* Hominem alatum, *id eſt, velociter obedientem effecit. Unde oſtendo I. quomodo ſpiritualiter marcidus, ſeu æger fuerit in anima, concupiſcentiarum febribus exæſtuans. II. Quomodo viſio Chriſti eum reſpexerit in bono, erexerit, & exaltaverit. III. Quomodo multi in eo mirati ſint ſubitaneam ejus converſionem, vitæq; ſanctitatem; qui tamen antea avarus extitit Telonarius.*

Vidit Hominem ſedentem in telonio. *Matth.* 9.

N.310. AUreum eloquentiæ flumen D. Joannes Chryſoſtomus homil. 13. in Geneſ. veri Hominis naturam ac proprietates deſcripturus, omni hominum memoriâ, dignam hanc protulit ſententiam; *Is tantum homo eſt quando virtutem colit.* Hujúſque ſui effati, rationem reddit: *Speciem enim habere hominis, & oculos, & nares, & os, & genas, & cætera membra, hominem nequaquam eſſe oſtendunt.* Siquidem videmus & ijſdem membris dotatas eſſe beſtias. Virtus verò ſi adſit, & hominem verum exhibet, & eum à cæteris diſtinguit animantibus è contrario autem, ſi ea homini deſit, ejúſque loco vitium adſit, non Hominem, ſed in figura & ſpecie hominis belluam quampiam repræſentat. Unde perquam eruditè Philo Judæus, vel unica injuſtitiæ labe aſperſum, hominem eſſe pernegavit. *Nemo injuſtus eſt homo* (inquit lib. de Abraham) *ſed potiùs beſtia humanâ formâ prædita.*

D. Chryſoſt.

Philo Judæus.

Quod ſi ità eſt, Hominémque virtus, & non ſpecies externa conſtituit, quomodo amabò D. Matthæus ad telonium conſiſtens, Publicanus,

canus, avarus, raptor, vocari poteſt Homo? *Vidit* (inquit ipſe cap. 9.) *hominem ſedentem in telonio.* Certè ſi perhibente Philone, *Nemo injuſtus eſt homo*, quomodo vocari poterit Telonarius hic, Homo, cùm eum non virtus, ſed vitium, non juſtitia ſed injuſtitia, ſedentem ad telonium exhibuerit? nam eum D. Ambroſius nominare non dubitat *Raptorem alienorum*; D. Paſchaſius, *Magiſtrum rapinæ*; D. Juſtinianus, *turpis lucri negotiis intentum.* Verùm huic quæſtioni præclarè ùt aſſolet, reſpondet D. Rupertus Præſul Tuitienſis in Explan. Evang. exiſtimans eum non priùs vocatum fuiſſe Hominem, quàm ubi à Chriſto JESU viſus fuiſſet, adeò ut ipſa gratioſa Chriſti viſio eum verum hominem effecerit, verámque hominis ſpeciem reddiderit. *Nam quia vidit illum filius Hominis*, inquit, *reddidit imaginem ejus, & formata eſt in ipſo facies hominis, & ſic vidit Hominem ſedentem in telonio*; nec diſſentit D. Chryſologus, dum converſionem ejus huic efficaci omnino adſcripſit viſioni: *Vidit illum DEUS*, ait ſerm. 28. *ut ille videret DEUM, vidit illum Dominus, ut ille latebras pecuniæ non videret ampliùs.* Quod quia poſt viſionem, mox in animo habuit meritò appellatus eſt homo, ut cui vera hominis facies reddita fuit.

Matth. 9. *SS PP.* N. 311. *S. Rupertus.* *D. Chryſolog.*

Hominem igitur verum vidit & effecit amabilis Chriſti oculus, & quidem *Hominem illum*, ait Barradius noſter tom. 2. lib. 5. cap. 22. *quem Ezechiel prædixerat, videbat enim jam tum in Publicano illo primum ſuum Evangeliſtam, primum ſuorum geſtorum ſcriptorem.* Adeò ut planè ad amuſſim, verificatum ſit in illo, quod Eccleſiaſticus cap. 11. de Homine quopiam converſo enarrat. *Eſt Homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate, & oculus DEI reſpexit illum in bono, & erexit illum ab humilitate ipſius, & exaltavit caput ejus, & mirati ſunt in illo multi.* Quod etiam quomodo evenerit D. Matthæo, quomodo ex homine marcido in verum hominem, per oculum DEI evaſerit, præſens declarabit ſermo.

P. Barradius. *Eccli. 11.*

Si miſerandum prorſus D. Matthæi conſiderem ſtatum, in quo ante gratioſam Chriſti detinebatur vocationem, jure optimo de eo dicere poſſum, *erat homo marcidus egens recuperatione, plùs deficiens virtute*, vel ùt hebræa habet lectio, *erat homo æger indigens auxilio, viribus deſtitutus.* Et ſanè tantâ anima ejus affligebatur ægritudine ut vitia, potiſſimùm verò injuſtitia, & avaritia, omnes animæ ejus poten-N. 312.

ten-

tentias captivatas detinerent: nec ſinerent eas aliquid boni operari, unde etiam in Telonio *ſedit*, & non *ſtetit* (quod bene obſervandum eſt) aut *obambulavit*, quia penitus ab ijs opprimebatur: *Sedebat uti-*
D Chryſolog. *que* (ait D. Chryſologus ſerm. 29.) *quia ſtare non poterat, pondere cupiditatis oppreſſus, & ipsâ totus conſcientiâ fraudis incurvus.* Adeò ut longè deteriori modo affligeretur, illo miſerabili Paralitico, qui trigin-
Ioan. 5. ta octo annis ad piſcinam probaticam decubuerat. Nam *deteriùs ſedebat in telonio Publicanus iſte, quàm Paralyticus jacebat in lecto*, ait idem S. Chryſologus ſerm. 30. rationémque aſſignat hanc: *quia ille carnis patiebatur paralyſin, iſte mentis, ille jacebat captus carne, ſedebat corpore & animo iſte captivus.* Nec mirum id alicui videatur, ſiquidem avaritia, quæ ſolet homines calidiſſimæ febris ad inſtar torquere; ita illum quoque torſit & inflammavit, ut nil aliud cogitaret, quàm quomodo alios deciperet, aliena raperet. *Sedebat*, inquit rurſum ad
D. Chryſolog. propoſitum meum D. Chryſologus, *ùt Magiſter rapinæ, juxta fornacem avaritiæ, æſtuabat concupiſcentiarum caloribus, nec ſtans ut vinceret, nec abiens ut evaderet, ſed ſedens ùt princeps rapinæ, miniſtrorum prædam diriperet.* Unde factum quemadmodum miſer ille Paralyticus ab omnibus deſertus, ſæpiùs illud ingeminare poterat, quod Chriſto Domino dixit: *Hominem non habeo*, ſic & D. Matthæus, ſpiritali illa ægri-
Ioan. 5. tudine preſſus dicere poterat; *Hominem non habeo*, qui me ab ipſa liberet: ſiquidem *turpis lucri negotiis erat intentus* (ait de eo S. Juſtinia-
S. Laur. Iuſt. nus ſerm. de Sancto) *alienus à fide & à Sanctorum ſegregatus conſortio.* Verè igitur tum temporis, erat *Homo æger, indigens auxilio, viribus deſtitutus.*

Nihilominus ſicut Paralyticus ille, poſt moroſam illam corporis
N. 313. ſui infirmitatem, tandem Filium Hominis nactus eſt, qui eum extemplò, abacta paralyſi ſanitati priſtinæ reſtituit, ita & D. Matthæus ejuſdem Filij Hominis, gratioſam expertus eſt opem, quâ ipſum vidit ſedentem in telonio, & quidem efficaciter vidit & erexit, adeò ut & illud de ipſo dici queat, *oculus DEI reſpexit illum in bono, & erexit eum.*
S. Rupertus. Hinc bene D. Rupertus lib. 6. in Matth. ſcripſit: *Vidit hunc hominem Chriſtus, & efficaciter vidit oculis gratiarum, qui ſecundùm Apocalypſim S. Ioannis ſeptem in capite unius agni ſunt.* Hi ſanè benigniſſimi oculi, tantâ efficaciâ illum intuiti ſunt, ut eum, qui in fornace turpis

ava-

Digitized by Google

avaritiæ penitus induruerat, amoris igne de ſe erumpente feliciſſimè liquefecerint. *Nam durus erat in ſe Matthæus* (ait D. Gregor. in præf. ante Evang. Matth.) *ſed igne amoris Chriſti liquefactus eſt*; itáque liquefactus eſt, ut ad primam eámque unicam vocem, de telonio ſurrexerit ac Dominum vocantem abſque mora, relictis omnibus ſecutus fuerit: *Surgens ſecutus eſt eum*, ipſe de ſe ait c. 9. Hanc promptam ac celerem, dum menti meæ objicio obedientiam, optimè cum D. Victore Antiocheno, eum nominare poſſum, *Hominem alatum*. Ut qui accuratè obſervans illud Davidicum Pſ. 94. *Hodie ſi vocem Domini audieritis nolite obdurare corda veſtra*; cor ſuum non tantùm non obduravit, ſed amoris igne liquefactum, volare quodammodo fecit in voluntatem divinam. Et hoc facto longè ſuperavit, ſacrum Iſraëlitici Populi Vatem Eliſæum.

D. Gregor. *Matth 9.* *S. Victor. An.* *Pſal 94.*

Hic enim à magno ferventiſſimóque Prophetarum Elia ad ſequendum ſe evocatus, non ſtatim ſe ad injunctum contulit officium, ſed priùs paucula expetijt: *Oſculer oro* (inquit ad Eliam 3. Reg. c. 13.) *Patrem meum & Matrem meam, & ſic ſequar te.* At *Homo alatus* Divus Matthæus, audita voce Chriſti: *Sequere me*, tantùm abeſt, ut petiverit valedicere notis & amicis, quin & relictis pecuniarum ſaccis, è veſtigio omnibus ſe expolians rebus, *ſurgens ſecutus ſit JESUM.* Bene proinde de eo ait Abulenſis, quæſt 45. in Matth. *Matthæus noluit hoc petere quod Eliſæus; tanta enim erat mutatio facta in corde ejus, quòd hæc omnia contempſerit, ita ut nec exiſtimaret dignum eſſe advertere ad illa, ut diſponeret de eis.* Confirmat id ipſum ſed nervoſiùs Venerab. Beda: *Tantâ enim*, ait, *cupiditate ſequendi Dominum ductus eſt, ut nullum prorſus vitæ hujus reſpectum vel cogitationem ſibimet reſervaverit; non ſolùm lucra reliquit vectigalium, ſed & periculum contempſit, quod evenire poterat à Principibus ſæculi, quia vectigalium rationes incompoſitas reliquit.*

3. Reg. 13. *Toſtatus Abu.* *Ven. Beda.*

Jure meritò igitur Chriſtus, videns tantam in corde ejus mutationem, ac cupiditatem ſe ſequendi, eum ad Apoſtolicum uſque honoris evexit culmen, illúdque in ipſo verificari fecit, *& exaltavit caput ejus.* Hoc ipſum disertè mihi atteſtatur D. Petrus Dam. ſerm. 1. de Sancto: *De telonio cumulandæ pecuniæ in cathedram transfertur Apoſtolicam, & qui priùs exigendi vectigalis fungebatur officio, conſtitutus* N.314.

S. Pet. Dam.

eſt fidei, divitiarúmque cœleſtium miniſtrare theſauros. Ubi etiam non ſolùm Apoſtolicâ dignitate exornatus fuit, ſed inſuper quemadmodum olim Moyſes omnibus Prophetis ob ſapientiam, divináque ſcripta, quæ poſteritati commendavit, prælatus erat, ità & D Matthæus præeminentiam ſuam nactus eſt inter Evangeliſtas; *Beatus Matthæus*
S. Pet. Dam. (approbat dicta mea D. Petr. Dam. ſerm. 3. de S.) *fuit velut alter Moyſes, ſicut enim Moyſes Prophetis non abſurdè præponitur, & omnibus qui ſcripſerunt aliquid in veteri teſtamento, ita B. Evangeliſta Matthæus jure præcellit, qui ſcripſiſſe reperiuntur in novo*; hujúſque ſui effati rationem ſubnectit: *Sicut enim is naſcentis mundi texit originem, ſic iſte tanquam ſpiritualis cujuſdam mundi orientem ſcribit Eccleſiæ nativitatem.* Hinc etiam evangelica ejus hiſtoria, quam hebræo compoſuit ſermone tanto in pretio erat apud reliquos SS. Apoſtolos, ut eam ſibi deſcriptam (quod feciſſe legitur D. Barnabas) in varias mundi partes ſecum
S. Antonin. aſportaverint; ac D. Antonino perhibente, *per illius impoſitionem ægrotis plurimis priſtinam contulerint ſanitatem.*

Poſtquam itaque ſacer Eccleſiaſticus, mirabilem illam *Hominis*
N. 315. *marcidi* enarrâſſet converſionem, & ſtupendam exaltationem; tandem hæc paucula addidit: *Et mirati ſunt in eo multi.* At id ipſum quoque de Divo noſtro Apoſtolo & meliori quidem modo dici poteſt; *mirati ſunt in eo multi.* Siquidem avocatus à telonio, & in Societatem JESU aſſumptus, admirandam prorſus duxit vitam, quæ variarum virtutum ſplendore, eximióque ſanctitatis fulgore illuſtrata, omnium propemodum oculos feriebat, atque in admirationem deducebat. Et ſanè quis non admiretur etiam hunc hominem? ſiquidem ille qui à juventute vitijs operam dedit, qui nil aliud novit, quàm fraudes, dolos ſtruere, alienáque rapere, tamen unica viſione ac voce Chriſti immutatus in virum talem ac tantum evaſit, ut zelo divino ſuccenſus, totum mundum peragrare, gloriámque DEI propagare, unicè in votis habuerit. Hinc quemadmodum animalia illa Ezechielis Prophetæ (maximè illud quod hominis ſpeciem præ ſe ferebat, & D. Evangeliſtam Matthæum deſignabat) ignita planè & ferventiſſima erant juxta illud Prophe-
Ezech. 1. tæ cap. 1. *Aſpectus eorum quaſi carbonum ignis.* Ita video ipſum quoque D. Apoſtolum, divini amoris igne inflammatum, potentiſſimè exar-
Lopezius. ſiſſe; ſiquidem ùt loquitur eruditus Epiſcopus Lopezius: *fulſit & ſcin-*
til-

Digitized by Google

tillas miſit ardentes, tam ore dicendo, quàm ſcribendo Evangelium.

Proinde quòd ampliſſimæ Ægypti regiones ad Chriſtum converſæ, quòd univerſa propè Æthiopia fidei lumine illuſtrata, quòd plurima hominum millia ex inferni faucibus erepta, cœlo tranſcripta ſint, unico, poſt DEUM Divo Matthæo attribuendum eſt, qui ijs in regionibus per complures annos, in fame & ſiti, in frigore & nnditate, in laboribus plurimis indefeſſus perſtitit, eáſque demum ſangvine proprio irrigavit; *nam pluſquam ſeptuaginta hominum millia* (ait de ipſo S. Antoninus in vita) *ad Chriſtum convertit totámque Ægyptum & Æthiopiam ad fidem Chriſti perduxit.* Has ipſas ampliſſimas regiones, potiſſimùm verò Æthiopiam Chriſto conſecratam, dum attentiùs conſidero, adverto eam perbellè dicere poſſe illud ex Canticorum capite 3. *Nigra ſum ſed formoſa*, nigra inquam ex natura, formoſa ex converſione, *ſiquidem verè eam D. Matthæus de ultimis terræ finibus, ad Eccleſiæ ſanctæ ſocietatem prædicando convertit*, ùt loquitur Vener. Beda, *ablutámque formoſam reddidit; nigredine vitiorum illam exuit, & ornatu virtutum decoravit.* *S. Antonin.* *Cant. 3.* *Ven. Beda.*

Maximè verò ſummam devenit in admirationem, glorioſus hic noſter Apoſtolus Matthæus, quòd non ſolùm inter prædicandum, vitia Regum ac populorum liberrimè carpſerit ad inſtar ferventiſſimi Eliæ; qui Achabo Regi populóque dixerat, *uſquequo claudicatis in utramque partem* ? ſed inſuper velut alter imperterritus novi Teſtamenti Elias D. Joannes Baptiſta, Hirtacum Æthiopiæ Regem publicè redarguerit, etiam cum periculo propriæ amittendæ vitæ. Nam ſicut olim Prophetarum maximus D. Joannes, ut tueretur matrimonium, quod interceſſerat inter Philippum & Herodiadem, palàm coram omnibus adulterum Regem Herodem coarguit dicens: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*; ità & D. Matthæus, ut tueretur virginitatem, regiæ, Dεóque ſacratæ Virginis Iphigeniæ, quam Hirtacus inceſtuosè prorſus deperibat; imperterritè ſeſe ei oppoſuit, ac pervicacem in propoſito Regem, his verbis affatus eſt: *Cùm ſcias ô Rex Iphigeniam Chriſto Regi dedicatam Sponſam; quomodo poteris tu Regis potentioris te ſponſam rapere?* D. Anton. p. 1. t. 6. c. 3. Unde & factum, ſicut S. Joanni Baptiſtæ, capite luendum fuit, dum *Herodes miſſo ſpiculatore, præcepit afferri caput ejus in diſco*, Marc. 6. Ita pari ratione accidit D. Mat- N. 316. *3. Reg. 18.* *Marc. 6.* *S. Antonin.* *Marc. 6.*

Digitized by Google

thæo, cui Rex ad ipſas aras ſacrificanti vitam auferri juſſit. *Nam poſt* Pet. de Natal. *miſſarum ſolennia*, ait Petrus de Natal. lib. 8. *Rex ſpiculatorem miſit, qui à tergo miſſo gladio eum interfecit & martyrem DEO conſecravit.*

N.317. Verùm non abijt impunè Regum hic crudeliſſimus, ſiquidem paulò pòſt velut alter impius Herodes, vindicem DEI dextram perſenſit. Nam poſtquam omnem moviſſet lapidem, ut ſacram eámque regiam fratris filiam ad ſuum pertraheret conſenſum, nec quidquam, adhibitis etiam præſtigijs effeciſſet; inhumanum prorſus Tyrannus hic aggreſſus eſt facinus, jubendo domum ejus cum omnibus DEO ſacratis Virginibus incendi. S. Antonin. *Cùm enim* (ait S. Antoninus loco citato) *Hirtacus nec per magos Iphigeniam ad conſenſum, inclinare valeret; totam domum ejus nocte, copioſo igne vallavit, ut ipſam cum reliquis Virginibus concremaret.* Verùm DEUS optimus, Sanctis his ſuis celerrimè, quemadmodum olim tribus Pueris in fornace babylonica ſubvenit. Dan. 3. Sicut enim ibi *effundebatur flamma ignis*, Daniel. 3. *& incendit quos reperit juxta fornacem de Chaldæis*, eos verò, *non tetigit omnino ignis.* Ità jubente DEO D. Matthæus Virginibus ſacris ſubveniens; *Omnem illum* S. Antonin. *ignem* (ùt rurſum teſtatur D. Antoninus) *à domo Iphigeniæ excuſſit, & ad palatium Regis procedere juſſit, qui omnia ſua conſumpſit.* Ipſum verò ſceleratum eouſque adegit Tyrannum; ut ſibi è veſtigio violentas intulerit manus, ſuúſque extiterit patratorum ſcelerum vindex ac carnifex.

S. Pet. Dam. Cùm igitur atteſtante D. Petro Dam: *inter omnes planè Sanctos, qui cœleſti gloriæ de triumphato mundo victoriæ titulos intulerunt; Sanctus Matthæus videatur inſignis & quendam inter eos dignitatis obtinere primatum*; habent quo ſe ſolentur etiam maximi, & in malo plurimùm inveterati peccatores, ſiquidem ſi is, qui fuit *raptor alienorum magiſter rapinæ, pondere cupiditatis ac avaritiæ oppreſſus*, veniam nihilominus meruit ſuorum peccatorum; poterunt & veniam mereri, eorundem ſcelerum patratores, modò tamen etiam imitentur in converſione ipſum D. Matthæum; vocantem ſequantur DEUM & è veſtigio ſurgant à ſceleribus ſuis nunquam ad eadem redituri. Unde bene S. Pet. Dam. omnes omnino monet idem purpuratus Præſul dicendo: *Sequamur hunc Ducem ad vitam, hujus ſalutiferum imitemur exemplum, qui mox vocantis ſe Salvatoris, ut audivit imperium non cunctatus eſt.* Hunc igi-

Digitized by Google

igitur ſequamur: & ſi vocem Domini ad pœnitentiam vocantis audierimus, non obturemus corda noſtra, ſed velociter eidem obtemperemus pœnitentiam agendo: & ſic fiet, ut cum eodem glorioſo Sanctiſſimóque Apoſtolo ad æterna recipiamur tabernacula.

In Feſto SS. Simonis & Judæ Apoſtolorum.

CONCIO IX.

Diligere inimicos noſtræ Chriſtianitatis Sum̃a eſt.
S. Ambroſius.

ARGUMENTUM. *Sicut ſtrenuos quondam Machabæos, Simonem & Judam, non tam armorum tractandorum peritia, quàm ipſa animorum concordia, ac mutua charitas felices ac claros reddidit; ita & SS. Apoſtolos Simonem & Judam, Chriſtiana charitas & inimicorum dilectio vel maximè glorioſos in terris fecit. Proinde quomodo inimicos dilexerint, malum ab eis averterint, ac vitam ipſam pro eorum incolumitate poſuerint; præſens exhibet Concio, ut quilibet Chriſtianus eorum ad exemplum, hanc charitatem habere conetur.*

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. *Ioan. 15.*

SI mihi in mentem revocem glorioſa Machabæorum acta, eorúmque Heroës ſtrenuos quos D. Hieronymus nominare non dubitat, *fortiſſimos uti & ſanctiſſimos Legis Divinæ defenſores*; animadverto hos inter plurimùm eminuiſſe duos illos magni Mathathiæ filios ac fratres inclytos, *Simonem & Judam*; qui laboribus prope continuis indefeſſi, gloriam DEI propagabant, populum ſibi commiſſum aſſiduè propugnabant; hoſtes denique ingruentes cladibus penè innumeris atterebant. Unde vel ipſe Pater Mathathias ex hoc ſæculo migraturus, Seniores populi, ſibi adſtantes ultimò alloquens;

N.318.

D. Hieron.

Digitized by Google

1. Mach. 2. hæc de ipſis faſſus eſt, lib. 1. Machab. c. 2. *Ecce Simon frater veſter, ſcio quòd vir conſilij eſt, ipſum audite ſemper, & ipſe erit vobis Pater, & Judas fortis viribus, ſit vobis Princeps militiæ, & ipſe aget bellum populi.*

Quod & præclarè admodum, cum ingenti totius populi ſolatio factitârunt: Simon certè non ſolùm bonis conſilijs & fervidis adhortationibus populo aderat, hoſtéſque confundebat, ſed etiam quod vel maximè eum glorioſum reddidit, adeò Aſſyrios alióſque hoſtes pugnando attrivit, ac internecione delevit, ut ultrà in conſpectum ejus venire non præſumpſerint: *Simon commiſit prælia multa* (ait ſacer

1. Mach. 7. Hiſtoricus 1. Machab. c. 7.) *& contritæ ſunt gentes à facie ejus.* Judas verò haud minori præditus erat virtute hic enim, ut cordis ſui imperterriti robur adamantinum in conflictibus, aliíſque prælijs declararet; naturam leonis induit, omnia adverſariorum molimina devaſtans, ac in nihilum propemodum redigens: idcirco clarè de eo ſacræ me-

1. Mach. 3. morant Paginæ: *Judas ſimilis factus eſt leoni in operibus ſuis, & ſicut catulus leonis rugiens in venatione.*

N. 319. Nihilominus etſi fortiſſimi hi Machabæi, ob præclara ſua acta plurimùm deprædicandi ſint, ſummam tamen merentur laudem, vel ex eo, quòd tot fratres & amici poſt obitum optimi parentis ſui in maxima concordia & charitate, vinculo pacis arctiſſimè colligati; pacificè omnino vixerint, nec ulla zeloſior animorum æmulatio eos ad capeſſendos honores incitaverit. Nam perhibente S. Scripturâ poſtquam Judas à patre propoſitus, à Senioribus & populo in Principem acceptatus fuit, tantùm abeſt ut cæteri (quod ſæpius aliàs inter fratres fieri conſvevit) indignati ſint fratres, maximè quòd junior præponeretur ſeniori, ſcilicet Simoni primogenito, quin & eidem mox conſi-

1. Mach. 3. lio & auxilio ſtrenuè adfuerint. *Adjuvabant enim eum,* ait textus, *omnes fratres ejus, & univerſi qui ſe conjunxerant patri ejus.* Pulchram enimverò, ſumméque memorabilem in fratribus concordiam!

Verùm tametſi virtus bellica glorioſos, maximéque admirandos, fortiſſimos hoſce Heroës reddiderit, nihilominus tamen exiſtimo, eos vix in comparationem venire poſſe, cum noſtris ejuſdem nominis novi Teſtamenti, glorioſis duobus Heroibus *Simone & Judâ; qui à Sal-*

B. Rabanus *vatore eruditi* (teſte B. Rabano Mauro) *idonei facti ſunt ad agendum bellum Chriſtiani Populi*; ſiquidem & hi bella geſſerunt, non adversùs

æqua-

Digitized by Google

æquales ſibi homines, quemadmodum Machabæi, ſed adversùs poteſtates & principatus tenebrarum, adversùs nequiſſimos utì & infenſiſſimos inferni prædones, qui orbem propè univerſum, ſub idolomaniæ jugum compulerant. Proinde quàm præclarè etiam fortiſſimi illi utì & ſanctiſſimi Legis gratiæ defenſores ac Chriſti Apoſtoli *Simon & Judas* ſpirituale hoc bellum geſſerint, teſtatur Meſopotamia, Ægyptus ac latè patens Perſia, ubi tantos fecêre progreſſus, ut brevi tempore, multa animarum millia ex denſis idololatriæ tenebris, erebíque faucibus eripuerint, ſuavíque Chriſti jugo feliciſſimè ſubjecerint. Præterea quod maximè in eis obſervatum eſt, ſicut Machabæi inter ſeſe vinculo pacis conſtricti, vera flagrabant charitate; ita & hi duo glorioſi Apoſtoli, non ſolùm præcepto Chriſti Domini; *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem*, ſatisfacientes ſeſe mutuò dilexerunt; ſed inſuper (quod ſummè dilaudandum eſt) alios quoque etiam inimiciſſimos ſibi, eadem charitate proſecuti ſunt. Quod quàm accuratè præſtiterint, præſens exponet dictio. *Ioan.* 15.

N. 320. Magnum Eccleſiæ Lumen D. Auguſtinus, genuinas veri Chriſtiani proprietates ponderans, exiſtimavit unam ex primarijs, ac unicum ſignum diſtinctivum fidelis Chriſtiani ab infideli eſſe, charitatem proximi; *Dilectio character eſt Diſcipulorum Chriſti*, ait lib. confeſſ. c. 13. Nec abs re, ſiquidem & ipſe Filius DEI à Diſcipulis ſuis, totáque Chriſtianitate, nil ita requiſivit ac amorem proximi; ex operibus fraternæ charitatis, volebat quemlibet ſuorum dignoſci; *in hoc cognoſcent omnes*, ait Diſcipulis ſuis in ultima cœna valedicens, Joan. 13. *quia Diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Unde ne & imposterum ulli Chriſtianorum, dubitatio quæpiam, ſuper hac re obreperet, voluit omnes ſuos ad ſervandam charitatem, claro & expreſſo præcepto obligare: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem*, ait Joa. 15. Hinc factum quòd Apoſtoli, utì & primi Chriſtiani, præcepto huic ſatisfacientes, tanta erga ſe invicem, mox flagraverint charitate, ut cor unum ac anima una eſſe crederentur, ac propterea ipſos gentiles ſummam compulerunt in admirationem, dum fraterna charitate flagrantes, mori pro ſe invicem ardentiſſimè expetierunt. Quare admirabundi etiam, ùt teſtatur Tertullianus, ſeſe ijdem allocuti ſunt dicentes: *Videte quomodo Chriſtiani ſe mutuò diligant, ut alter pro altero mori pa-*

D. Auguſtin. *Ioan.* 13. *Ioan.* 15. *Tertullianus.*

paratus ſit. Qua de cauſa ipſe quoque prænominatus Tertullianus, hanc præclaram charitatis notam in quolibet Chriſtiano requirebat: *Chriſtianus*, ajebat, *nullius debet eſſe hoſtis, ſed omnes diligere*; rationémque ex D. Paulo ſubnexuit, *quoniam ſumus invicem membra*; quaſi diceret: ſicut manus hominis non invidet pedi quòd ambulet, aut alias ſibi proprias functiones exerceat, ſed gaudet; imò ſi lædatur mox ſuccurrit ac eidem opitulatur; ita & Chriſtianus quicunque tanquam verum membrum Chriſti, non debet alteri membro invidere, ſed eidem ſi opus ſit ac neceſſitas tulerit promptiſſimè in omnibus ſuccurrere. Propterea etiam Chriſtus Dominus dum præceptum de diligendo proximo omnibus impoſuit, vocavit illud *novum*, ut tantò accuratiùs ab omnibus obſervaretur. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos*. ait Joan. c. 13. *Ioan. 13.*

N.321. Verùm ô benigniſſime Domine (ut te verbis alloquar D. Cyrilli) *quomodo mandatum iſtud novum eſt, quod in veteri Lege conſtitutum eſt?* nunquid non Levitici cap. 19. claris hiſce verbis, omnibus fraternam præcepiſti dilectionem, *diliges proximum tuum ſicut teipſum?* Si quilibet jam tum proximum ſuum non aliter ac ſeipſum diligere debuit, quomodo obſecro id ipſum vocâſti mandatum novum dicens: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem?* Huic quæſtioni præclarè ſatisfacit D. Thomas in caput 13. Joan. exiſtimans mandatum verè novum fuiſſe, quia modo planè novo fraternam omnibus præcepit charitatem. *Mandatum novum appellatur, quia novo modo præcepit dilectionem.* Id eſt, diligi voluit proximum, non dilectione illa, qua diligebant eum Phariſæi turgidi, qui amicos ſolummodo & notos diligebant, inimicos verò & alienigenas odio proſequebantur, ſed dilectione illa qua Chriſtus ipſe proximum ſuum dilexit; idcirco & addidit: *ſicut ego dilexi vos*, quaſi diceret; ſicut ego abſque perſonarum acceptione, tam bene dilexi Joannem, quàm Judam Iſcariotem, tam bene amicos quàm inimicos, ita & vos invicem diligere debetis abſque diſcrimine, tam amicos quàm inimicos. *Præceptum enim meum præcipuum & ſummarium, quod vobis ſtudioſiſſimè committo, obſervandum eſt; ut proximos veſtros propter me ex animo diligatis, nec linguâ tantùm, aut ficta ſimulatione, ſed opere & veritate.* Et quidem ipſos etiam inimicos infenſiſſimos; quod etſi in veteri Lege non tam accuratè obſervatum

D. Cyrillus. *D. Thomas.* *Titelman.*

eſt,

Digitized by Google

eſt, obſervari tamen debet in nova quàm accuratiſſimè, *cujus charaEter imò ſumma eſt*, D. Ambroſio teſte ſerm. 10. *Diligere inimicos*, ait, *noſtræ Chriſtianitatis ſumma eſt, in eáque ſimiles parenti DEO efficimur.* *D. Ambroſ.*

Et hoc Chriſtianitatis charactere, vel maximè inſigniti fuêre, duo hi glorioſi Chriſti Apoſtoli Simon & Judas, qui primùm in mutua dilectione tantopere profecerunt, ut poſtquam ambo in Perſia conveniſſent, non ampliùs ut quondam ab æmulatione incitati quærebant, *quis eorum videretur eſſe major*, Luc. 22. ſed vinculo fraternæ charitatis colligati abſque ulla æmulatione, pari labore ac conatu converſioni animarum operoſiſſimè incubuerunt, Domini præceptum obſervantes: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Darius ſanè Perſarum Monarcha potentiſſimus, bello quondam petitus, & penè oppreſſus ab Alexandro Magno, dum cum eodem paciſci, regnúmque ſuum cæteroquin ampliſſimum dividere vellet: hæc paucula Curtio teſte, pro reſponſo accepit: *Nec cœlum duos Soles, nec regnum Perſarum duos Reges capere poteſt.* Verùm dum mutuam, eámque flagrantiſſimam horum duorum SS. Apoſtolorum conſidero charitatem; video idem ampliſſimum Perſarum regnum, duos Soles, duo ſcilicet Luminaria magna, de quibus ipſe Chriſtus dixit Matth. 5. *Vos eſtis lux mundi*, capere facillimè potuiſſe; ſiquidem diligentes ſe invicem, conjunctis viribus, aſſignatum ſibi regnum Chriſtianis præceptis imbuere, ſuaviq́ue Chriſti jugo, concorditer ſubjicere moliebantur. *Luc. 22.* *Curtius.* *Matth. 5.*

N.322. Potiſſimùm verò eluxit eorum charitas in diligendo inimicos, quos à malis, mortéque ipſa non ſemel ſed ſæpius præſervabant; quod ut authentico comprobem exemplo, provoco ad ſanctam inculpatámque eorum vitam, quam ſumma cum fide præter alios D. Antoninus conſcripſit. Hic parte 1. c. 6. de eorum ardentiſſima charitate, quâ ipſos hoſtes proſequebantur hæc ferè enarrat. Perſarum Princeps Waradach, totus idolomanica imbutus ſuperſtitione, vice quadam reſcire cupiens, ex Deorum ſuorum ſimulacris an Indorum gens, quibus cum per complures annos bellaverat, eo anno pacem petituri, aut conſueta arma ſibi illaturi eſſent; convocavit idcirco, magno numero Popas, alióſque regni ſui ſacrificulos; ac inter hos SS. Apoſtolos *Simonem & Judam*, de quorum ſanctitate ac miraculis multa inaudierat. His utriſque deſiderium ſuum aperuit certum præſtolaturus reſpon- *S. Antonin.*

ſum. Popæ mox Principi obſequentes, delubra adeunt, ſtygios ſuos conſulunt Deos ac quaſi ipſam veritatem ab ipſis expreſſiſſent; Principi audacter referunt, Indos nequaquam pacem petituros; ſed bellum ídque gravius quàm ante ipſi moturos; proſpiceret proinde ſibi de milite, armis, nervóque belli, ut advenientes hoſtes profligare ac internecioni dare queat. Hæc audiens Princeps convertit ſe ad SS. Apoſtolos, ab ijſque requirit reſponſum; at hi Spiritu S. repleti, peracta ad DEUM oratione unanimiter Principi bellum diſſuadent, aſſerúntque pauculos intra dies, Legatos Indorum adfuturos, qui pacem debita cum ſubmiſſione ab eo petant.

Quod quàm primùm audivêre Popæ, irâ inflammati in Apoſtolos (ut quos ſemper ſibi ſuíſque Dijs ſentirent adverſarios) petunt mox à Principe, niſi iram ſuorum immortalium Deorum experiri vellet, ut confeſtim hos alienigenas tanquam boni publici hoſtes ac perturbatores, vinculis conſtrictos in carcerem compingat, eóſque tam dio inediâ torqueat, quàm diu non verificetur illud, quod de Legatorum adventu adpromiſerant. Placuit Principi Poparum poſtulatio, abripiuntur itaque in carcerem SS. Apoſtoli ibidem moraturi, uſque dum præfati adveniant Legati, verùm vix uno alteróve die cârcerem incoluerunt; ecce ex improviſo advenerunt inſigni cum legatione Indi, qui pacem impetraturi juxta SS. Apoſtolorum vaticinium, & munera regia, & ſubmiſſionem debitam Principi obtulerunt. Hæc Princeps magno ſuo cum gaudio videns, unáque malitiam Poparum, Sanctis Apoſtolis invidentium ponderans; è veſtigio præcepit, ut Apoſtoli magni DEI honorificè è carcere educerentur; Popæ verò è contrario tanquam veritatis criminatores ac innocentiæ oppreſſores vivi flammis concremarentur.

N. 323. Interea dum ad necem undique perquiruntur ſacrificuli; Apoſtoli autem jam vinculis liberati, latam in adverſarios ſententiam intellexerunt, tantum abeſt, ut de nece ipſis inferenda, mundanorum hominum more lætarentur, quin etiam mox ab interna charitatis flamma excitati illud præceptum Domini obſervantes: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos.* Matth. 5. abſque mora Principem adierunt, mortem pro eis deprecaturi. Et cùm is in ſua perſiſteret ſententia, eóſque omnino, velut impoſtores occiſos vellet; Sancti

Matth. 5.

Apo-

Apoſtoli vehementiùs rogando inſtiterunt dicentes: *Nos non ad occidendum homines, ſed ad vivificandum miſſi ſumus.* O ardentem nimiùm! divinóque prorſus amore inflammatam horum SS. Apoſtolorum charitatem! quæ haud dubiè originem ac incrementum ſumpſit, ab illa Filij DEI charitate, quæ propalàm dicere auſa eſt apud D. Joannem cap. 10. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Quis igitur nunc non advertit, quàm præclarè hi duo SS. Apoſtoli novum illud Chriſti præceptum adimpleverint, dum pro vita ſuorum adverſariorum, tam ſolicitos ſeſe exhibuerunt interceſſores, *certè cùm Rex eos vellet occidere*, ait S. Bonaventura ſerm. in hoc feſto, *Apoſtoli noluerunt, ſed dixerunt, non miſſi ſumus hos perdere ſed ſalvare.* Et meritò, eorum mortem Chriſtiana impedivit charitas; ſiquidem *illa* D. Bernardo teſte Epiſt. 12. *reſpicit ſolùm rationem proximi, non odij cauſam contemplatur.*

Ioan. 10.

S. Bonavent.

D. Bernard.

Summè deprædicatur à S. Scripturæ Interpretibus Regum manſuetiſſimus David, quòd etiam infenſiſſimis ſibi hoſtibus noverit ex animo indulgere. Unde magnum illud Hiſpaniæ decus Toſtatus Abulenſis perpendens heroicum illud Davidis facinus, quòd morti proximus, mentionem faciens, Semei hominis nequiſſimi, non præceperit Salomoni, ut eum propter ſcelera pro meritò plecteret; hæc in laudem ejus adfert in lib. Regum: *Poterat David jubere Semei occidi per Salomonem, non tanquam repetitorem injuriarum, ſed tanquam judicem punientem delicta; verùm non fecit.* Ei videlicet ex corde ignoſcens. At longè meliùs id noſtris Sanctis applicandum cenſeo Apoſtolis: *Poterant enim & illi jubere Popas occidi per Principem, non tanquam repetitorem injuriarum, ſed tanquam judicem, punientem delicta, verùm non fecerunt.* Imò quod eos omni laude dignos reddidit, *cùm Rex eos occidere vellet, Apoſtoli noluerunt, dicentes nos non ad occidendum homines, ſed ad vivificandum miſſi ſumus.*

Toſtat. Abul.

S. Bonavent.

N. 324. Nunc ex hoc tam illuſtri charitatis exemplo, ad aliud multò excellentiùs gradum faciamus; & cùm vel ipſamet veritate æterna teſte, *majorem hâc dilectionem nemo habet, quàm ut quis animam ſuam ponat pro amicis ſuis.* Joan. 15. Clarè animadvertemus & hanc charitatis excellentiam, vel maximè habuiſſe noſtros duos SS. Apoſtolos: ſiquidem ipſi vitam ac animam ſuam non tam pro amicis, eíſque quos Chri-

Ioan. 15.

Digitized by Google

JESU per Evangelium genuerant imperterritè poſuerunt, quàm, quod obſtupeſcendum eſt! pro ipſis etiam inſenſiſſimis inimicis. De ſtrenuo illo Machabæorum Heroë Juda legitur, lib. 1. c. 9. cùm ab ingenti Aſſyriorum exercitu circumdatus ad confligendum ab eorum Duce perurgeretur è contrario verò ab amicis, unanimi conſilio retraheretur, ac ad ſubducendum ſe incitaretur eum perquàm animosè
1. Mach. 9. ipſis reſpondiſſe: *Abſit rem iſtam facere, ut fugiamus ab eis, & ſi appropinquavit tempus noſtrum, moriamur in virtute, propter fratres noſtros & non inferamus crimen gloriæ noſtræ.* Quod & opere generosè complevit, dum leoninè prorſus cum pauculis ſuis, adversùs quàm plurimos pugnando, in acie pro fratribus æternam laudem conſecutus occubuit. At longè excellentiùs id ipſum præſtitêre SS. Apoſtoli, qui non tam pro amicis, quàm pro ipſis inimicis vitam cum ſangvine ſuo profuderunt. Rem hanc graphicè enarrat D. Antoninus loco cit.

Poſtquàm enim inſani Deorum ſacrificuli, ultrà ferre non poſſent SS. Apoſtolorum feliciſſimos in convertendis animabus progreſſus; impiâ conſpiratione facta, ſeptuaginta eorum convenerunt, ut ex improviſo Viros Sanctos adorirentur, ac plagis copiosè impoſitis eos morti traderent. Quare etiam abſque ulla interpoſita mora, crudeli huic operi ſeſe accinxerunt, ſecuros, nihilque talia opinantes Sanctos aggrediuntur Apoſtolos, eóſque ad necem, furioſo planè cum impetu protraxerunt. Verùm manifeſto hocce in diſcrimine poſitis Apoſtolis adfuit ex templo è cœlis Angelus, qui proſtratâ furioſâ turbâ, ac vindictam de impijs ſumere volens; eis optionem his verbis propoſuit:
S. Antoninus. *Aut repentinum horum interitum eligite, aut veſtrum martyrium.* At ſancti Apoſtoli in charitatis ſchola eruditi, Chriſti exemplo confirmati, non eorum quem merebantur, ſed proprium animo imperterrito, elegerunt interitum, Angelúmque rogaverunt, ut interfectoribus ſuis omnino parceret. Unde Angelo recedente, viribus ſuis reſtituti ſacrificuli, denuò cum rabie Sanctos aggrediuntur ac proſtratos crudeliter
N. 325. trucidârunt. Hanc glorioſam charitatéque plenam SS. Apoſtolorum mortem, ubi paululum attentiùs conſidero non immeritò id ipſum de
D. Chryſoſt. eis dicere poſſum, quod D. Chryſoſtomus dixit de S. Paulo inimicos diligente: *Nemo ita ac Simon & Judas amavit inimicos -- quantò enim ampliùs efferebantur inimici, tantò magis eorum miſerebantur inſaniam.*

Nec

Nec abs re, ſiquidem vel ipſa eorum nomina, ſatis ſupérque id ipſum indicant, quid enim amabò ſignificat *zelotes*, quo nomine S. Simonem compellavit Chriſtus Luc. 6. quàm zeloſum ac in charitate præfervidum Virum? Quid *Thadeus*, ſeu potiùs ut ex Græco vertit D. Hieronimus, *Lebbæus*, quam *catulum leonis* cujus ferventem naturam S. Judas imitatus, non amicos ſolùm, ſed & inimicos ardentiſſimè dilexit; juxta præceptum Domini: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* *Luc. 6.* *D. Hieron.*

Quare cùm verus Diſcipulorum Chriſti character, ac noſtræ Chriſtianitatis Summa ſit dilectio tam amicorum quàm inimicorum. Sequitur ſi Chriſtiani nomine inſigniri volumus, ſi Apoſtolorum imitatores eſſe cupimus; ut non illos duntaxat diligamus, qui nobis aliquid boni præſtiterunt, ſed etiam illos qui plurimùm mali, ſiquidem *vera charitas ſolùm reſpicit rationem proximi non odij cauſam contemplatur.* Et hanc ut in corde noſtro continuò foveamus; ſi nos non excitat glorioſum SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ exemplum, qui vel ipſum ſangvinem pro inimicorum incolumitate profuderunt: excitet nos vel unicum memorabile dictum D. Auguſtini, qui omnibus vera charitate inſignitis perennes cœleſtis gloriæ appromittit delicias: *Qui enim talem charitatem habet* (ait ſerm. 68. de temp.) *ut amicos & inimicos diligat, illius cæleſtis Jeruſalem portas apertas merebitur intrare. Qui autem non vult habere hanc charitatem, ex omni parte portas clauſas inveniet.* *D. Bernard.* *D. Auguſtin.*

In Feſto S. Mathiæ Apoſtoli.

CONCIO X.

In manibus tuis ſortes noſtræ. Pſal. 30.

ARGUMENTUM. *Quàm verùm ſit illud Propheta Iſaia:* DEUS omnibus nobis mittit ſortes; *vel unica D. Mathia declarat electio, ubi fauſtiſſima* ſors cecidit ſuper Mathiam, & annumeratus eſt cum undecim. *Hinc cùm DEUS optimus per ſortes ſuas, alios evocet*

 in

in ſortem Sanctorum, *alios in* ſortem impiorum; *oſtendo in præſenti non omnem ſortem, quæ cadit ſuper impium, eum mox reprobare, quemadmodum accidit Achabo, Manaſſi, & Niniuitis; ſed ſolùm illam, quæ cadit ſuper Peccatorem impœnitentem, qualis erat Saul, Antiochus, aliique.*

Sors cecidit ſuper Mathiam. *Actor. c. 1.*

N. 326. SI tum veterum, tum recentiorum omni authoritate plena evolvam monumenta animadverto, nihil ità in uſu fuiſſe, apud omnes propemodum gentes ad tollendam in rebus dubijs ambiguitatem, quàm ſortes. Sorte dividebant Provincias, ſorte eligebant Reges, ſorte condemnabant reos: & quidem Romanorum ſi perluſtrem geſta, affirmat Tullius conjectas in hydriam fuiſſe ſortes, Plautus in ſitulam, Homerus uti & Virgilius in galeam; hinc illud 5. Æneid:

Convenêre Viri, dejectámque ærea ſortem
Virgilius. *Excepit galea:*

Horatius l. 2. od. Sic Horatius, ſortes fuiſſe miſſas in urnam omnium, vitæ mortiſque capacem fusè atteſtatur in lyricis: *Omnes*, inquit, *eodem cogimur, omnium verſatur urna, ſeriùs ocyùs ſors exitura & nos in æternum exilium, impoſitura cymbæ.* Sic & Ovidius veterem Romanorum in judicijs ſortiendi morem his exprimit verſibus, lib. 15. metamorph:

Ovidius. *Mos erat antiquis, niveis atriſque lapillis,*
His damnare reos, illis abſolvere culpâ.

Quod ſi & ſacratiora Scripturæ inſpiciam oracula, deprehendo & populum electum ſimilibus uſum fuiſſe ſortibus: nam inclytus Iſraëlis Dux Joſue, *miſit ſortes coram Domino in Silo, diviſitque terram filiis Iſraël,* Joſue cap. 18. (Joſue 18.) Sic Samuel ſorte elegit Saulem in primum Regem Judæorum: *Sors enim cecidit ſuper tribum Benjamin, quæ pervenit uſque ad Saul filium Cis*, 1. Reg. c. 10. (1. Reg. 10.) Imò & ipſum Regum ſapientiſſimum, varios adhibuiſſe ſortiendi modos, patet vel inde, quòd eos contentionum dirimendarum gratiâ adhibendos eſſe pronuntiaverit: (Proverb. 18.) *Contradictiones*, inquit Proverb. 18. *comprimit ſors, & inter potentes quoque dijudicat.*

N. 327. Verùm quid mirum quòd Homines, etiamnum tantopere utantur ſortibus, cùm videamus ipſummet Altiſſimum, eaſdem

dem ſuis ſanctiſſimis verſare in manibus, eáſque de æternitatis depromere urna? *In manibus tuis* (inquit Pſaltes ſacer, Pſal. 30.) *ſunt ſortes noſtræ*, & ità quidem ut ipſe, *omnibus nobis mittat ſortes*, Iſai. 34. Hinc providentiſſimus DEUS quoſdam per ejuſmodi ſortes, deſtinat in ſortem reproborum juxta illud Eccleſ. 6. *Deducet eos in ſortem impiorum*; eos videlicet, qui in omnem profuſi vitæ licentiam, nullum pratum negligunt, quod non eorum pertranſeat luxuria. Quoſdam verò eligit in partem Beatorum, *ut inter Sanctos ſit ſors illorum*, Sap. 5. Et ſic feliciſſima ſorte Virum omni ſanctitate conſpicuum D. Mathiam elegit, ut cum undecim annumeraretur Apoſtolis, Act. 1. Dum enim pro duodenario Apoſtolorum numero ex ampliori Diſcipulorum Collegio, non ſorte ſed maturo conſilio *Mathiam* & *Joſephum* utrumque eximijs virtutibus decoratum ſelegiſſent; nec quis, cui præponendus eſſet, humano judicio poſſent diſcernere; diviniorem inierunt rationem, ac ut cæpta electio calculo DEI finiretur, uſitatum quendam ſortiendi modum admiſerunt, in quo *dirigente*, ſeu *attempemnte*, ùt loquitur Salomon, Domino; *exijt ſors fauſtiſſima, quæ cecidit ſuper Mathiam, & confeſtim annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis.*

Pſal. 30. Iſai. 34. Eccleſ. 6. Sapient. 5.

Quare cùm feliciſſimi ſint illi, qui divina electione, evocantur in ſortem Sanctorum; ipſi verò infeliciſſimi, qui in ſortem deſtinantur impiorum: oſtendam nihilominus, non omnem ſortem quæ de urna æternitatis extracta, cadit ſuper impium, eundem mox reprobare, ſed ſolùm illam, quæ dum jacta eſt, à peccatore interim pœnitentia vel negligitur, vel in dies differtur. N. 328.

Varias eáſque terribiles, dum ſacras evolvo Paginas, adverto ſuper impios cecidiſſe ſortes, quæ diſpari tamen eventu, modò felicitatem ſummam, modò ſummam infelicitatem peccatoribus attulerunt. Terribilis enimverò ſors erat illa, quæ 3. Reg. c. 21. cecidit ſuper Achab magnificum alioquin Regem in Iſraël, quando præter alia ſcelera, innocenti inſuper ſanguine manus proprias commaculavit. Nam ubi crudeliſſimo ſimul ac vaferrimo aſtu; vineam optimi Naboth, eo lapidibus obruto, injuſtiſſimè ſibi vendicâſſet; adfuit extemplò divinus præco Elias, ſortem à DEO jactam intrepidè denuntiaturus: *Hæc dicit Dominus, Ecce ego inducam ſuper te malum; ſi mortuus fuerit Achab in civitate, comedent eum canes; ſi fuerit mortuus in agro, comedent eum volu-* 3. Reg. 21.

cres

Digitized by Google

cres cœli. Dura profectò ſors, quæ Regem tam illuſtrem, & paulò antè de potentiſſimo Aſſyriorum Rege triumphatorem iniquis latronibus annumeravit. Et tamen ſi ad vitæ ejus periodum, mentis conjiciam oculos; cerno nihil horum ei eveniſſe, ſiquidem atteſtante ſacrâ Scri-
3. Reg. 22. pturâ, *fortiter contra Syros pugnans*, ac in prælio glorioſè occumbens, *perlatus eſt in Samariam, ſepultúſque eſt à ſuis honorificè in ſepulchro Regum Iſraël.* 3. Regum 22.

Sed nunquid non mortuus eſt in agro? nunquid non mortuus eſt in campo extra civitatem Achab? cur ergo juxta verbum Domini non comederunt eum volucres cœli, ſed honorificè inſuper in Patrum ſuorum illatus eſt tumulum? Verùm quomodo feris aut volucribus devorandum objiceret illum Divina Bonitas, quem pœnitentiâ humiliatum, ſacco indutum, demiſſo capite incedentem, ſummâ animi ſui cum exultatione conſpexit? quomodo, obſecro, tam dirè puniri poterat is, *qui ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, jejunavítque, & dormivit in ſacco, & ambulavit demiſſo capite*, ſeu ùt Vatablus vertit, *nudis inceſſit pedibus?* Meritò itaque ad tam gratum ſpectaculum, miſericors DEUS in lætitiam quaſi prorumpens dixit ad Eliam:
2. Reg. 21. *Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus eſt mei cauſâ, non inducam malum in diebus ejus.* Unde inefficacem hanc
D. Hieron. ſortem, ubi perpendiſſet D. Hieronymus epiſt. ad Ruſticum animitùs exclamat: *O felix Achabi pœnitentia! quæ DEI ad ſe traxit oculos, quæ furentem ſententiam DEI, confeſſo errore immutavit.*

N. 329. Terribilior ſors cecidit ſuper peſſimum optimi Patris Ezechiæ filium, ſceleratum Manaſſem; ſed æquè ſinè effectu. *Poſtquam enim omne malum feciſſet in conſpectu Domini, juxta abominationes gentium*, irritâſſet inſuper eum, ponendo idolum in domo Domini, quod nemo unquam Regum ante ipſum fecit; iratus DEUS jecit ſortem horribi-
4. Reg. 21. lem, in Regem ſacrilegum ejúſque Aſſeclas, ac *locutus eſt in manu ſervorum ſuorum Prophetarum dicens*, lib. 4. Reg. c. 21. *Quia fecit Manaſſes Rex Juda, abominationes iſtas peſſimas, & peccare etiam fecit Judam in immunditijs ſuis, ecce ego inducam mala ſuper Jeruſalem & Judam, ut quicunque audierit, tinniant ambæ aures ejus; & delebo Jeruſalem, ſicut deleri ſolent tabulæ.* Horrenda ſors! quæ non ſolùm impio Regi, ſed & toti regno intra breve temporis ſpatium univerſale-

mi-

Digitized by Google

minabatur excidium. Et ecce dum Regi ab Aſſyrijs capto paratur interitus, dum Regni inchoatur everſio, dum ſortis hujus appropinquat effectus, ſubitò abrumpuntur omnia, florentiſſima pacis introducuntur tempora; ipſéque Rex priſtinæ donatur libertati, ac per annos complures pacificè ac gloriosè regnans, demum *obdormivit in Domino cum Patribus ſuis, & ſepultus eſt magnficè in domo ſua.*

Sed nunquid non, maxime ac veraciſſime DEUS, manifeſtè dixiſti, *delebo Jeruſalem*, cum omnibus habitatoribus, ipſóque Rege, *ſicut deleri ſolent tabulæ*? Nunquid non dixiſti, *inducam mala, ut quicunque audierit, tinniant ambæ aures ejus*? quomodo ergo hoſtile Aſſyriorum retraxiſti ferrum? & non ſolùm regni incolas, ſed & ipſum Regem, qui peccare fecit Judam, incolumem reſervâſti? At dicite mihi, obſecro AA. poterátne miſericors DEUS, delere, ac tollere à facie terræ Regem illum, *qui in carcere coanguſtiatus oravit Dominum DEUM ſuum, & egit pœnitentiam valde?* dicebat enim: *Peccavi ſuper numerum arenæ maris*, id eſt, ùt explicat Gloſſa ordinaria, *peccavi ſpiritu, peccavi cogitationibus, peccavi factis, peccavi forinſecus, peccavi in DEUM, peccavi in proximum; at nunc miſerere mei.* Illúmne inquam conterere poterat, qui animo contritus; quemadmodum antè ſeduxit Judam, ita & poſtmodum *præcepit eidem, ut ſerviret Domino DEO Iſraël?* meritò igitur exaudivit DEUS orationem ejus, reduxítque eum in Jeruſalem in regnum ſuum; ſiquidem ſors jacta, non abſolutè in his verbis delebo Jeruſalem conſiſtebat; ſed in his delebo Jeruſalem, niſi Manaſſes egerit pœnitentiam.

4. Reg. 21.

2. Paral. 33.

Omnium maximè terribilis erat ſors illa, quæ cecidit ſuper populoſiſſimam urbem Niniven, cujus incolæ ùt aſſeruerat Zeno Veronenſis: *Ingentibus peccatorum ſarcinis premebantur. Cùm enim vitioſa granditate civitas Ninive tumeſceret* (verba ſunt Doctiſſimi Philippi Abbatis) *& clamor ejus malitiæ, coram DEO incredibiliter ſordeſceret*; jecit DEUS ſortem horribilem, quæ & Regi & cunctis habitatoribus, intrà breviſſimum tempus exitialem inveheret interitum. Venit proinde Jonas & clamore valido, introëundo urbem intonuit dicens: *Adhuc quadraginta dies & Ninive ſubvertetur*, ſeu quod horribiliùs eſt: *Adhuc tres dies* (ùt verterunt ſeptuaginta Interpretes) *& Ninive ſubvertetur.* O breve tempus! quod tot inſignes animas, quarum nume- N. 330.

S. Zeno.

Philip. Ab.

Ionæ. 30.

Digitized by Google

rus excedebat, centum viginti millia, è medio tollere moliebatur. Verùm & ſortem iſtam, nonniſi in ſolis conſtitiſſe vocibus, atteſtatur eventus; ſiquidem & poſt tres, & poſt quatuor, pluréſque alios dies ſtetit Ninive & incolumitas incolarum perſeveravit. Unde factum hoc conſiderans D. Chryſoſt. homil. 5. ad pop. Antioch. mirabundus exclamat: *O novam rem & admirabilem! denuntiatio mortem minans vitam peperit, ſententia*, ſeu ſors, *qoſtquam lata fuit, invalida facta eſt.* Et bene, ſiquidem, *crediderunt Viri Ninivitæ in DEUM*, ait Scriptura, *& prædicaverunt jejunium, & veſtiti ſunt ſaccis à majore uſque ad minorem.* Quod ubi vidit DEUS, *miſertus ſuper malitiam; quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit.* Niſi fortè ſpiritualiter eam de mala in bonam immutando; ùt pulchrè ad propoſitum meum ait Hipponenſium Præſul, lib. 21. de Civit. DEI cap. 24. *Everſa eſt Ninive*, inquit, *quæ mala erat, & bona ædificata eſt, quæ non erat, ſtantibus enim mœnibus atque domibus everſa eſt Civitas in perditis moribus.* Advertitis non dubito, quàm felices hæ peccatoribus acciderint ſortes, ut quas non feriendo, ſed terrendo ſolùm DEUS optimus in eos evibravit. At habet & ſortes alias DEUS in ſui intellectûs urna, quas ubi educit, peccatores fulminat, eóſque ſempiternis addictos ignibus æternùm caſtigat, non quidem arbitrio ſuo, ſed eorum ſcelerum malitiâ, ad id faciendum impellente.

D. Chryſoſt. Ione. 3. D. Auguſt.

N. 331. Cecidit ſanè ejuſmodi fatalis ſors in primum Iſraëlitici populi Dynaſtam Saulem, quando horrenda illa à Samuele prolata, audire coactus eſt verba lib. 1. Reg. c. 15. *Pro eo quod abjeciſti ſermonem Domini, abjecit te Dominus*; ſeu ùt hebræus legit, *reprobavit animam tuam Dominus.* Itáque cecidit ſors illa, ut adhuc pridie mortis ſuæ, ab exſuſcitato Samuele, illud iterato audire debuerit: *Quid interrogas me, cùm Dominus receſſerit à te.* Cecidit præterea & ſimilis ſors ſuper impium Ægypti Regem Pharaonem, & quidem tali cum effectu, ut eundem intra breve tempus præcipitatum in mare, fluctibúſque obrutum, & temporali, & æternâ privaverit vitâ. Cecidit demum, ut complures alios præteream, horribilis ſors ſuper Antiochum Epiphanem Regem Aſſyriorum, dum eum tanquam homicidam, tanquam blaſphemum peſſimè percuſſum, peregrè in montibus, miſerabili nece è vita ſuſtulit, æterníſque adjudicavit incendijs.

1. Reg. 15. 1. Reg. 28.

Et

Digitized by Google

Et licèt, hi etiam pœnitere viſi ſint, non tamen quemadmodum priores, ſeriam corde contrito & humiliato egerunt pœnitentiam. De Saule liquet ex Scriptura, dum Samueli ſortem denuntianti dixit: *Peccavi,* ſed ſimul addidit, *nunc autem honora me coram Senioribus.* Unde præclarè Galfridus Abbas: *Viciſſet Saul divinam iram & ſententiæ,* ſeu ſortis, *jactæ, retractationem obtinuiſſet, ſi verè pœnituiſſet, & tam citò non inveniſſet in ſua reprobatione ſolatium, honorem retinendo humanum.* De Pharaonis ficta pœnitentia purpuratus atteſtatur Præſul Petrus Damianus, dicens: *Pharao etiam dixit, peccavi in Dominum DEUM veſtrum, ſed non ex corde.* Similiter de ſceleſtiſſimi Antiochi falsò dolore; præter Scripturam ſacram, quæ dicit lib. 2. Machab. 9. *Orabat hic ſceleſtus Dominum, à quo non erat miſericordiam conſecuturus;* Fatetur D. Auguſtinus ſer. 66. de tempore: *Amaram habuit Antiochus in tormentis pœnitentiam, ſed non profecit ei ad remiſſionem,* quia videlicet non erat inſtituta in tempore. *1. Reg. 15.* *Galfrid. Ab.* *S. Pet. Dam.* *2. Machab.* *D. Auguſtin.*

Quare ſi ſortes tam varias DEUS diverſimodè in peccatores ejaculatur, quis ſcit an non his diebus, præſertim Bacchi ferijs, idem DEUS ſortes horribiles in bacchantes evibraverit? quis ſcit an non certum pœnitendi ijs poſuerit terminum? Quis ſcit an non ejuſmodi ſors è ſinu Omnipotentis exciderit: adhuc quadraginta dies, vel adhuc tres dies, & juvenis hic vel iſte, ſpurcitijs, ebrietatibus, comeſſationibus, aliiſque flagitijs deditus, ſubvertetur, & in ignem æternum amandabitur? Profectò metuendæ ſunt ſortes DEI, tremenda ſunt judicia divina, ut quæ appellat Pſaltes regius, Pſalmo 35. *Abyſſus multa;* Apoſtolus verò ad Romanos cap. 11. *Incomprehenſibilia,* dicens: *quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus.* N. 332. *Pſal. 35.* *Rom. 11.*

Expertus id erat, ſed malo ſuo infelix ille Toletanus Juvenis, cui ſors triginta ſolùm pœnitentiæ aſſignaverat dies. Rem paucis accipite. Refert P. Alfonſus Andrada, lib. 2. de imitat. B. V. cap. 23. Anno ſæculi hujus 22. Juvenem è Primoribus Toletanis unum, à teneris unguiculis Beatiſſimæ Virgini addictum, accedente autem cum annis malitiâ, cùm non ſolùm à B. Virginis amore remiſiſſet, ſed inſuper fœdis & quod magis deteſtandum eſt, inceſtuoſis ſe tradidiſſet amoribus, accidit, ut eodem in loco Sanctimonialis quædam de nocte orationibus intenta, in extaſin raperetur; in hac vidit Chriſtum, Virgine Matre *P. Alf. And.*

comitante, quaſi pro Tribunali reſidere, ac de Urbis Toletanæ ſceleribus judicium ſumere; unde cùm inter cætera, ſcelus quoque hujus inceſtuoſi juvenis prolatum eſſet, ac Chriſtus Dominus mox ſententiam ferret, ut hora eadem enecaretur; interpoſuit preces Virgo Sanctiſſima & cultori ſuo, inducias exoravit, ità tamen, ut niſi intrà triginta dies pœnitentiâ ageret, repentina morte, jaculo in cor emiſſo mulctaretur. Dura profectò ſors! tolerabilis tamen, quia in ſortem feliciſſimam, non aliter ac Ninivitarum mutari poterat. Unde ut ſors lata eidem innoteſceret, mandat Chriſtus huic à ſenſibus alienatæ Virgini, ut primò quoque tempore eam Concionatori ejuſdem Urbis è Societate Jeſu aperiat, qui Juvenem ſeriò adoriatur, ac ad pœnitendum efficaciter inducat; exequitur mandatum Virgo, obtemperat Pater, Juvenémque ad ſe evocatum, verbis efficacibus eò adegit, ut copioſas ſolutus in lacrymas, ſcelus detectum amariſſimè deploraverit. Verùm pœnitudo hæc, vix uno alteróve die cor Juvenis inſedit; ſiquidem ubi ad ſociam ſcelerum peſſimam redijſſet, mox in antiqua fœdè relapſus eſt peccata, eóque devenit, ut ſortem ſibi à Patre denuntiatam, nonniſi illuſionem eſſe ſit arbitratus, ipſúmque pertæſus, nunquàm ampliùs in conſpectum admittere voluerit. Nihilominus ipſius ſalutis amans Confeſſarius, convenit cum famulis, ut ſi in repentinam caderet infirmitatem, ſibi confeſtim id ipſum denuntiarent. Interea cùm trigeſima illuxiſſet dies, eáque decurriſſet in veſperam, infelix Juvenis ſe bene ſanum conſpicatus, crebras Patris cohortationes mera fuiſſe terriculamenta fixè credebat. Hinc vanam ſolutus in lætitiam, cubitum ſe confert, conſueta patraturus ſcelera; & ecce noctis ubi advenit medium, accurritur ad Collegium, Patríque anxiè præſtolanti, denuntiatur, Dominum jacentem cum pellice ſubitò emori. Accurrit abſq; mora Pater, ipſúmque conclave intrans, ultima morientis audit verba: Væ mihi, cur jaculo transfixus morior; his dictis è veſtigio infelicem animam abſq; ullo ſigno doloris miſerè exhalavit.

N.333. Metuendus profectò eſt DEUS in judicijs ſuis, tremendum ad ſortes ejus, quas ſuper peccatores cadere ſinit. Unde quod huic Juveni accidit; compluribus tempore hoc noſtro accidere poteſt. Videmus enim, & quandoque etiam cum cordis noſtri dolore ſpectavimus quoſdam, ſubitò aut ferro interemptos, aut ruinâ oppreſſos, aut ca-

tar-

Digitized by Google

tarho ſuffocatos, qui pauculis ante horis, omni quercu robuſtiores extiterunt. Quare cùm quadragenarius numerus, teſte Magno Gregorio lib. 3. expoſit. in lib. 1. Reg. *Propriè ad peccatores pertineat, ut videlicet ea, quæ commiſerunt peccata, tergere pœnitendo ſtudeant.* Eja igitur convertimini ad DEUM ex toto corde veſtro, quotquot animas veſtras, hiſce diebus ſceleribus defœdaſtis, agite pœnitentiam, non tamen elatam ùt Saul, non fictam ùt Pharao, non coactam ùt Antiochus, ſed veram, ſed ſpontaneam; facite ex corde propoſita firma, nunquam in eadem ſcelera, jam ſemel perpetrata recidendi; aliàs enim, creditote mihi, pœnitentia veſtra, confeſſio veſtra non emundabit animam veſtram! & licet millies etiam Confeſſarius dicat: Abſolvo te à peccatis tuis, non tamen illicò abſolvetur; audite non me ſed D. Ambroſium jam ſuo tempore ejuſmod peccatores cohortantem lib. 2. de pœn. tom. 4. *An ſecurus hinc exeat* (ſcilicet peccator ex loco confeſſionis) *ego non ſum ſecurus, pœnitentiam dare poſſum, ſecuritatem dare non poſſum; nunquid dico damnabitur? non dico, ſed nec dico liberabitur.* Unde concludit idem SS. Doctor Eccleſiæ: *Vis ô peccator à dubio liberari? vis quod incertum eſt evadere? age pœnitentiam veram, fac propoſitum vitam emendandi ſyncerum.* Si igitur fructus dignos pœnitentiæ egeritis, polliceri vobis auſim, ſortem quantumvis terribilem in vos evibratam, illicò in feliciſſimam eſſe mutandam, adeò ut illa cadente, quemadmodum Divus Mathias, non ſolùm annumeremini undecim Apoſtolis, ſed omnibus quoque Electis DEI.

D. Gregor.

D. Ambroſ.

Digitized by Google

CLASSIS VI.

FESTA SS. MARTYRUM.

In Feſto SS. Innocentium.

Concio I.

Flores Martyrum, primitiæ fructuum, victimæ CHRISTI.

Argumentum. *Quantùm innocentia mox ab orbe condito in hominibus probis comparens paſſa ſit ab improbis & malevolis, vel ex unica, tot millium innocentium Puerorum cæde abundè prorſus demonſtro. Cur autem DEUS optimus, hanc cædem permiſerit, dum ulteriùs indago, cauſas haſce invenio: I. Quia DEUS utpote Sapientia æterna, delectatur primitijs fructuum, & talibus victimis Chriſti, quas velut agnellos obtulit verus Agnus Chriſtus. II. Quia voluit habere ejuſmodi Innocentes Martyres, qui ſe non loquendo ſed moriendo confiteantur. III. Quia eos ex maligno hoc mundi in tempore rapere voluit, nè malitia mutaret intellectum. Singulas breviter deduco.*

Herodes occidit omnes Pueros, qui erant in Bethlehem. *Matth. c. 2.*

N. 334. QUis unquam majores in orbe hoc noſtro ſublunari, ſuſtinuit plagas; quis majora vitæ nominiſque à malitioſis ſubijt pericula, quàm vel ipſa innocens Innocentia? O Innocentia! exclamat à malevolis preſſus, *integer vitæ ſceleriſque purus* D. Joan. Chryſoſtomus; *quantùm apud malos periculi ſuſcipis; quantùm malitiæ per flagitioſos incurris!* Siqui-

D. Chryſoſt.

Siquidem hi omnem propè movent lapidem; omnem adhibent conatum, ut virtutem hanc in Innocentibus aut ſupprimant, aut ei ſua affingant crimina. *Semper contra Virtutem hanc pugnat malitia*, ait idem alibi, *& ei ſua peccata applicare & impingere vult.* Sed cur obſecro? quid eos ad hoc faciendum impellit? ſi ſacræ Scripturæ conſulam oracula, adverto livorem, odium, atque invidiam, non modicam hujus rei cauſam eſſe: eruitur id ex 2. cap. Sapient. ubi malitioſi illi impij videntes juſti innocentiam, mox odio & invidiâ pleni ſe his verbis ad perdendum juſtum exſtimulârunt. *Circumveniamus juſtum, opprimamus pauperem*, rationem ſubnectens: *Gravis eſt nobis ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius, & immutatæ ſunt viæ ejus.* Hinc illæ non tam lachrymæ, quàm furiæ impiorum, quia non rectis oculis intueri potuerunt innocentem juſtorum vitam: *Improbi enim* (ait Divus Gregorius ſerm. 10. ſup. Pſal. 118.) *juſtorum cognitione torquentur, quia vel tacitis eorum moribus arguuntur.* Sapient. 2. D. Gregor.

Certè vix quondam prodijt ad haſce terras in juſto Abele innocentia; ecce mox malitia ſeſe oppoſuit, ac Cainum fratrem tantopere invidiæ facibus ſuccendit, ut eam ſupprimere moliretur, nam *conſurrexit Cain*, ait Scriptura ſacra, *adverſùs Abel fratrem ſuum, & interfecit eum.* Cur quæſo? *gravis ei erat ad videndum.* Rurſum comparuit eadem innocentia in caſtiſſimo Joſepho, ſed more ſuo confeſtim malitia adverſùs eum inſurrexit, & cùm alij deeſſent, proprios in eum concitavit fratres; nam *invidebant ei fratres ſui*, ait textus cap. 37. Geneſ. eóſque impulit, ut vix manus ſuas à cæde innocentis cohibuerint: venditum nihilominus abegerunt à ſe in Ægyptum, ſed cur? *gravis eis quoque erat ad videndum ſomniator* iſte, prout eum vocabant. Eadem in Ægypto ſub Pharaone Rege denuò ſe videndum præbuit innocentia in filijs Iſraël: at è veſtigio rurſum adfuit malitia in Ægyptijs, *qui ad amaritudinem perducebant vitam eorum*, Exodi cap. 1. Quia autem cum hac amaritudine, largiorem à DEO acceperunt benedictionem, ac *tantò magis multiplicabantur, & creſcebant:* eas Pharaonem adegit in furias malitia, ut omnes maſculos aquis præfocari mandaverit. *Præcepit enim Pharao omni populo dicens, quicquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen projicite.* Exodi 1. Et cur hoc? *gravis ei erat ad videndum* innocentiæ incrementum in filijs Iſraël. Tempore Regum Juda N. 335. Geneſ. 4. Geneſ. 37. Exodi 1.

&

& Iſraël, exagitata licet toties, & ad internecionem uſque quæſita innocentia, iterum tamen in publicum prodijt, cum filijs parvulis Ochoziæ Regis paulò antè defuncti. Et ecce! quod obſtupeſcendum eſt, malitia eis inſidias tendens, non alium contra hos innocentes inflammavit, quàm propriam aviam, matrem Ochoziæ, Athaliam nomine; quæ Solymæ regnum eis invidens, propè omnes, novercali odio correpta,

4. Reg. 11. ſuſtulit. Nam ùt libri 4. Regum caput 11. narrat: *Athalia mater Ochoziæ videns mortuum filium ſuum, ſurrexit & interfecit omne ſemen regium.* Cur amabò & ipſa avia, proprio non pepercit ſangvini? dicam paucis: *gravis ei erat ad videndum* florens in parvulis innocentia, qui ad regnandum, ea prætermiſſa deſtinati fuerant.

Denique ſi unquam innocentia mortalium oculis, ſe ſpectandam objecit, objecit ſe ſanè tunc, quando cum Servatore noſtro in mundum progreſſa, agnoſcendam ſe præbuit paſtoribus in ſtabulo, tribus orientis Regibus, in ſinu caſtiſſimæ Puerperæ Virginis. Verùm & tunc malitia omnes omnino vires in eum exeruit; ſiquidem ipſis infernalibus furijs comitata, tantopere ambitioſum Herodis Regis exagitavit pectus, ut cùm neo-natum Regem Judæorum, *qui ei gravis erat ad videndum*, è medio tollere non poſſet:

Matth. 2. *Occidit omnes Pueros, qui erant in Bethlehem Juda*; ut ſic in his Innocentibus ſi non Chriſtum, ſaltèm innocentiam perimeret. *O innocentia*! libet rurſum cum D. Chryſoſtomo exclamare, *quantùm apud malos periculi incurris, quantùm malitiæ per flagitioſos ſuſcipis*! Cùm igitur Innocentes hos Pueros Herodes propter Chriſtum occiderit, meritò indagare poſſum cauſas; cur DEUS Patronus alioquin innocentiæ, hanc tam immanem cædem permiſerit.

N.336. D. Auguſtinus barbaram illam & immanem Puerorum cladem

D. Auguſtin. deſcripturus, non ſinè condolenti affectu, ſermonem ſuum primum de Innocentibus his verbis inchoat: *Naſcente Domino luctus cœpit, non cælo ſed mundo; indicitur matribus lamentatio, Angelis exultatio, & Infantibus tranſmigratio.* Et quidem perquam luctuoſa *tranſmigratio*, ſiquidem nonnullis parentibus, maximè verò matribus, ea die infauſta, cum clade filiorum ſuorum, ſi non ipſa vita, certè dimidium vitæ, unicúmque in terris ſolatium & delicium immaniter abreptum fuit. Proinde quis aptis ad enarrandum verbis cædem hanc, ab orbe condito

inau-

Digitized by Google

inauditam ſufficiens erit deſcribendo; in qua ingens Puerorum mul-
titudo, & quidem juxta Græcorum Menologium, *quatuordecim millia* uno propè tempore, ab efferatis Herodis militibus trucidata ſunt? *Menolog. Græc.*

Nam poſtquam feralis illa ab Herode determinata illuxiſſet dies; mox primo manè, dum parvuli adhuc in cunis agitati ſuaviter quieſcebant; *Eximitur machæra* (loquor cum D. Auguſtino) *& ſola ſtridet invidia*; quæ milites mirum in modum exagitatos ad inferendam necem compellebat: qui etiam repudiato omni affectu humano, quaſi dato claſſico, ex abrupto pagos & oppida invaſerunt, ac dormientes parvulos ad mortem popoſcerunt. Quis amabò tunc animus erat matribus, quando immiſericors miles, raptum è cunis infantem, aut terræ alliſit, aut mucrone tranſverberavit? certè *Mater vel crines capitis diſſipabat, quæ ornamentum capitis amittebat*, vel deliquium animi paſſa, cum ſuo parvulo prona in terram ruebat, vel ſi generoſioris naturæ erat, ſexûs ſui quodammodo oblita, ipſos ruebat in enſes, ut ſuo oppoſito corpore, vitam ſervaret parvuli. Unde bene D. Auguſtinus: *Pugnabat mater & carnifex, iſte trahebat, illa tenebat. Ad carnificem mater clamabat, quid ſeparas à me, quem genui ex me, cautè portavi, quem à te video manu crudeli jactari, modò eum effuderunt viſcera mea, & tu elidis ad terram?* *D. Auguſt.* *D. Auguſt.*

N.337.

At actum erat, miles ex majori reſiſtentia & ejulatu mulierum correptus furore, parvulum vel trahendo dilacerabat, vel adacto gladio puerum cum matre vulnerabat; nec deſtitit uſque dum eum neci traderet; ô quot matres auditis in vicinia clamoribus, parvulos ſuos occultare voluerant: *Sed ipſe ſe infantulus*, ait idem D. Auguſtinus, *publicabat; neſciebat enim tacere, qui necdum didicerat formidare.* O quot ditiores præter ingentem pecuniarum ſummam, detractis ſibi aureis catenis & annulis pro redimenda vita ſuorum parvulorum, obtulerunt ea militibus, verùm ſeverum Regis mandatum effecit, ut contemnerent omnia munera, & ſolùm Puerorum cædem expeterent. Hinc etiam abſque ulla miſericordia, alios ex parvulis terræ allidebant & conculcabant, alios præfocabant, alios adacto in viſcera enſe enecabant; alios in fruſta concidebant, adeò ut nulli, cujuſcunque ſtatûs ac conditionis foret, facerent gratiam. *D. Auguſt.*

Digitized by Google

Cædem hanc crudelem prorſus & barbaram, dum accuratiùs pondero, non ſinè ingenti doloris affectu te alloqui libet, ijſdem penè verbis, quibus te quondam David; magne cœli terræque Moderator juſte

2. Reg. 24. DEUS. *Iſti qui oves ſunt, quid fecerunt?* 2. Reg. 24. iſti qui propriè innocentes ſunt, cur propter Unigenitum tuum, ſua tenera orbati ſunt vita? & tam crudeliter è medio ſublati? Si Patronus & propugnator es innocentiæ, quomodo ſpectare potuiſti, hanc efferatam crudelitatis rabiem, quæ tot ſuſtulit innoxios? ſi verùm illud, quod de te ipſo

Eccleſ. 4. pronuntiâſti, Eccleſ. 4. *Lacrymis innocentium movebor*, cur non à tot profuſis commotus lacrymis, innocentibus ſuccurriſti? ac ſangviſugas haſce peſſimas ab eis propulsâſti? Verùm metuò nè mihi judicia divina ſcrutanti, idem accidat, quod quondam magno Antonio, de quo

P. Roſweid. Roſweidus in vit. PP. lib. 5. *Hic cùm deficeret in conſideratione profunditatis judiciorum DEI, & poſtularet dicens: Domine quomodo aliqui in parvo tempore vita ſua moriuntur, & aliqui ultra decrepitam veniunt ſenectutem -- & venit ei vox dicens: Antoni ad te ipſum attende, hæc enim judicia DEI ſunt, & te ſcire ea non convenit.* Metuo inquam, nè idipſum mihi reponat DEUS optimus maximus, dum in cauſas permiſſæ cædis Innocentium inquiro. Nihilominus tamen quia eaſdem & ſancti Patres inquiſierunt; & nonnulla inde pro noſtra inſtructione, repererunt documenta, non omittam illas in medium proferre.

N. 338. Et primùm quidem nulli videatur mirum, DEUM optimum cædem hanc parvulorum permiſiſſe; ſiquidem ſapientia DEI talium cæde adeò delectatur, ut eos DEO offerre ſoleat, gratiſſimarum inſtar victi-

Proverb. 9. marum. Nam ubi vulgata lectio habet Proverbiorum cap. 9. *Sapientia immolavit victimas ſuas*. Tertullianus ex hebræo legit: *Sophia jugulavit filios ſuos*; unà oſtendens DEUM, nullâ aliâ re tantopere delectari, ac profuſo ſangvine Innocentium Martyrum. Hinc & ipſe æſtu

Tertullianus. quodam inſolito percitus, confidenter exclamavit: *O bonam matrem Sophiam, opto & ipſe in filios ejus redigi, ut ab ipſa occidar.* Et ſic optimus DEUS permittendo hanc necem parvulis, aſſumpſit eos pro victimis acceptiſſimis, in odorem ſuavitatis, eóſque conformes fieri voluit

Apocal. 13. Filio ſuo, *qui occiſus eſt ab origine mundi.* Bene igitur ait D. Auguſti-

D. Auguſt. nus ſerm. 1. *Innocentes eidem debentur Victimæ, Agni debent immolari, quia Agnus futurus eſt crucifigi, qui tollit peccata mundi.* Propterea & ipſe

Digitized by Google

ipſe JESUS Parvulus, teſte D. Chryſoſtomo, mox in prima ſua ætate hos puerulos Patri ſuo æterno, quos gratiſſimos fore ſcivit; obtulit inſtar novi muneris; ut ex hoc uberiorem deinceps colligeret operationis ſuæ fructum: *Nam tranſmittit Infantes, Infans Chriſtus* (ait homil. 3. in Matth.) *nova xenia Patri, primitias fructuum exhibet Genitori, oſtendit futuram meſſem jucundiſſimam, dum in ſemine tantam exhibet ubertatem.* Meritò proinde ſancta Mater Eccleſia, eos vocavit *primas Chriſti victimas, primitias fructuum, flores Martyrum; quas perſecutionis turbo ſuſtulit. Salvete*, inquit, *flores Martyrum, quos lucis ipſo in limine, Chriſti inſecutor ſuſtulit, ceu turbo recentes roſas.* Et quidem nominavit flores ac roſas, quia D. Auguſtino teſte: *in medio infidelitatis frigore exortas, velut primas erumpentes Eccleſiæ gemmas, quadam perſecutionis pruina decoxit.* Felices igitur, iterúmque felices hos Parvulos, qui velut primæ veris plantulæ, vix in lucem aurámque progreſſi, mox decerpti ſunt, ut in vernantiſſimum æternitatis Paradiſum quondam tranſplantarentur. *D. Chryſoſt.* *Hymn. Eccle.* *D. Auguſt.*

Verùm objiciet forſan nonnemo, quomodo felices vocas hos Parvulos, quibus ipſe Salvator mundi non ſubvenit, ſed fugiendo in Ægyptum deſeruit? quomodo beati, quos Dominus tanquam Dux populi, non tantùm adverſùs hoſtium inſultus non protexit, ſed ſubducendo ſe crudeli expoſuit lanienæ? At verè per necem hanc beatiſſimi erant Parvuli, ſiquidem Dominus, Dux, & Salvator eorum nequaquam eos deſeruit, & ut loquar cum S. Chryſologo: *Chriſtus non deſpexit, quibus dedit ante triumphare quàm vivere, imò donavit coronis antequam membris.* Unde dum permiſit temporali eos privari vitâ; tribuit immortalem, omni felicitate refertiſſimam; & pro exiguo illo mortis dolore, æterna largitus eſt gaudiorum præmia. Adeò ut vel ipſi hoſtes, vehementer decepti, eis non tam nocendo, quàm adjuvando, ad hanc tam eximiam felicitatem profuerint. *Ecce profanus hoſtis* (verba ſunt ſancti Auguſtini) *nunquam beatis Parvulis, tantùm prodeſſe potuiſſet obſequio, quantùm profuit odio.* Siquidem ex cæde hac ignari licet; in feliciſſimam triumphantium tranſiêrunt ſortem; ac à juſto Remuneratore DEO, palmis & coronis donati ſunt Martyrii. Qui dubitaret num hi Parvuli ſint facti Martyres, eò quòd defectu uſûs rationis, non habuerint actualem voluntatem moriendi pro Chriſto; N. 339. *D. Chryſol.* *D. Auguſtin.*

ſto; qui dubitaret inquam, adeat ſanctos Patres, & abſque ulla hæſitatione, eos audiet vocari Martyres. Certè S. Bernardus hoc pro Parvulis adfert, ſerm. de Innoc. *Ille pro Chriſto trucidatos Infantes, dubitet inter Martyres coronari, qui regeneratos in Chriſto, non credit inter adoptionis filios numerari.* Quaſi diceret; ſicut illi qui baptiſmatis aquâ abluti, & in Chriſti nomine baptizati ſunt, evadunt filij adoptivi DEI. Ità hi Infantes pro Chriſti nomine trucidati evaſerunt Martyres. Quod & univerſalis Chriſti Eccleſia & agnovit & celebravit; dum in vulgata de ijs oratione ſic loquitur: *DEUS, cujus præconium Innocentes Martyres, non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt.*

S. Bernard. *Orat. Eccleſ.*

N. 340. Demum cur DEUS optimus crudele hoc permiſerit infanticidium, declarat id D. Gregorius Nyſſenus, ex amabili illa DEI providentia & ſapientia, *quæ attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.* Sap. 8. maximè autem omnia ordinat in bonum ſuorum dilectorum. Unde ſicut boni & providi Parentes, quando Parvulos ſuos admittunt ad aliquam opiparam & bene inſtructam ferculis menſam, eos non diu illic aſſidere permittunt, ſed in tempore amandant, nè ferculorum varietate, & illecebris ſeducti, diſcant ſe tradere gulæ & comeſſationibus: *Sic planè DEUS*, ait D. Gregorius Nyſſenus, *Infantes ex hoc vitæ convivio citò abducit, nè ejus voluptatibus inebrientur, & dementententur.* Idcirco & ſapiens capite 4. hanc bonam aſſignavit rationem, aliquorum immaturæ mortis. *Raptus eſt*, inquit, *nè malitia mutaret intellectum ejus, aut nè fictio deciperet animam illius:* hoc eſt, ſicut DEUS videns innocentiam Henoch, in tempore eum ex maligno hujus mundi abripuit, nè fors peccati malitia, animam ejus inquinaret; ità & perſæpe alios innocentes, in ipſo flore juvenilis ætatis hinc aufert, qui ſi maturuiſſent, à malitia fuiſſent depravati. Et ſic video DEUM optimum ex mirabili ſua providentia, Innocentes hos Judææ Parvulos, in primo innocentiæ ſtatu ſuſtuliſſe, nè malitia eos poſtmodum à cœleſti gloria retraheret. Rapti proinde ſunt, poſſum dicere cum Sapiente: *nè malitia mutaret intellectum eorum, aut nè fictio deciperet animam illorum.* O quot! ex ijs, ſi ad maturam perveniſſent ætatem, vitijs ac ſceleribus ſe tradidiſſent; ô quot! cum ipſo lacte materno, cervicoſam gentis ſuxiſſent duritiem, ac poſtmodum nec verbis, nec ſignis ac portentis Chriſti credidiſſent; ſed quemadmodum

D. Greg. Nyſ. *Sapient. 8.* *Sapient. 4.*

Digitized by Google

Patres eorum, ità & ipſi dura cervice & incircumciſis cordibus permanſiſſent. O quot! denique ex eorum fuiſſent numero, qui ravida voce, ante tribunal Pilati clamaverunt, *tolle, tolle, crucifige!* nunc autem dum hos perſecutoris gladius abſtulit, & in ſua permanſerunt Innocentia & omne peccandi periculum feliciter evaſerunt. *Pueri enim ſi moriantur* (bene obſervat D. Cyprianus lib. de mortal.) *periculum lubricæ ætatis evadunt.* D. Cyprian.

Quæ cùm ità ſint, & Chriſtus *Dominus verè non deſpexit ſuos milites, ſed provexit*, ipſáque Sapientia Divina, in bonum prorſus ſpeciale, his parvulis evenire permiſit, cruentam illam necem, ut qui teſte D. Hieronymo: *Rapti ſunt de media iniquitate patrum ſuorum.* Nolite igitur flere filiæ Bethleem ſuper occiſos filios veſtros, nolite eos cum parturiente Rachel vocare Benoni filios dolorum, ſed Benjaminos filios dextræ, filios gaudij, ut *quibus Dominus antè dedit triumphare quàm vivere.* Maximè verò *quieſcat vox tua à ploratu*, ô deſolata mater Bethlehemitica, *& oculi tui à lachrymis, quia eſt merces operi tuo.* Jerem. 31. vel ùt ex hebræo vertit D. Hieronymus, *quia eſt merces filijs tuis*; quos DEUS donavit coronis antequam membris, eóſque tranſire fecit in feliciſſimam Martyrum ſortem. Quia autem etiamnum, dum quotannis legitur Evangelium de SS. Innocentibus, ea vox in auribus noſtris reſonat, quæ quondam in Rama audita eſt, ſcilicet *ploratus & ululatus multus*, Jerem. 31. *Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt.* Judico, nequaquam hinc deplorandos eſſe Innocentes Parvulos, quaſi juſtè eos defleret Rachel, ſiquidem ipſa, teſte D. Hieronymo, nequaquam eorum erat mater, ſed Lia; nec deflebat occiſos illos in Bethlehem Pueros, ſed ſuos ex Joſeph & Benjamin prognatos, condolens ijs, quòd non æquè ùt Bethlehemitici pro Chriſto ſint occiſi: *Nam Rachel ex felicitate ſororis*, ait D. Hieronymus, *infelicitatem ſuam miſerè deploravit: lamentabatur enim filios ſuos, non fuiſſe etiam occiſos, ùt ſorori contigit.* Idem quoque pluribus jam annis ante D. Hieroymum docuit doctiſſimus Origenes, dum in explanatione hujus textûs quæſivit: *Quomodo Rachel plorat filios non ſuos?* reſpondit. *Ideo plorat ſuos, quia & filij ſui digni non ſunt habiti, qui pro Domino morerentur.*

N. 341. D. Hieron. Ierem. 31. D. Hieron. Origenes.

Cùm igitur innocentia in Parvulis, preſſa quidem, ſed nequaquam op-

oppreſſa fuerit, quin imò exaltata & coronata: ſiquidem *per furioſam* S. Fulgentius. *Herodis invidiam* (ùt loquitur D. Fulgentius ſerm. de Epiph.) *Pueri mortem ſuſceperunt pretioſam; & quod eis ad ſalutem ſuam, præſtare non potuit amicus, hoc fecit inimicus.* Prenſemus igitur & nos candidam vitæ, morúmque innocentiam; hac comite incedamus ſecuri & intrepidi, & licèt malitia totis nos oppugnet viribus, omnem per reprobos moveat lapidem ad ſubruendum nos; non metuamus tamen, ſed fidamus innocentiæ Protectori DEO, qui per Jobum dixit: *Quis unquam* Iob. 4. *perijt innocens?*

In Feſto S. Stephani Proto-Martyris.

Concio II.

Stephanus vocatus à corona, quam primus meruit.
S. Chryſologus.

Argumentum. *S. Stephanum, qui à corona nomen ſortitus eſt; ob fortiter pro Chriſto toleratos lapidum impetus; oſtendo à Remuneratore DEO, non una ſed triplici coronatum eſſe corona. I. Scilicet Caſtitatis argenteâ, quia velut tereſtris quiſpiam Angelus eam inviolatam ſemper ſervavit. II. Coronâ Stelleâ Doctorali, quia erudivit multos ad juſtitiam; & adverſarios confudit, qui nec poterant reſiſtere ſapientiæ illius. III. demum, coronâ Martyrij aureâ de lapide pretioſo, quam illi DEUS concinnavit ex illis ipſis lapidibus, quorum impetus ſuſtinuit.*

Stephanus plenus gratiâ & fortitudine. *Actor. 7.*

N.342. HErì terra noſtra poſtquam deſideratum dediſſet *Fructum ſuum*, plenâ exultantis animi lætitiâ celebravit Natalem Domini ſui: hodie verò cœleſtis Curiæ Principes ingenti prorſus cum gaudio, nec ſinè jubilo & tripudio, celebrant Natalem D. Proto-Martyris Stephani,

Digitized by Google

phani, quo mundo denatus, cœlo natus, triumphanti ſimilis ingreſſus, poſſeſſionem cæpit beatiſſimæ regionis. *Heri Chriſtus pro nobis pannis involutus eſt* (conſonat D. Fulgentius) *Hodie Stephanus eſt ſtolâ immortalitatis indutus, heri præſepis anguſtia Chriſtum portavit infantem; hodie immenſitas cæli excepit Stephanum triumphantem.* Nec immeritò cùm enim ipſe fuerit, Nicæta teſte: *Plenus Spiritu Sancto, inter Apoſtolos Apoſtolus, & Propheta inter Prophetas, & Doctor inter Doctores, primúſque deſcenderit in ſtadium Martyrij:* decuit ut ipſe quoque à juſto Judice peracto certamine, ſuperatóque lapidum imbre, donaretur coronâ juſtitiæ, exornaretur coronâ immortalitatis; & quidem coronâ illâ, cujus nomen jam à puero gerebat. Stephanus enim ex græco idem ſonat quod corona. Pulchrè proinde in rem hanc meam loquitur D. Chryſologus: *Stephanus vocatus eſt à corona, quia primus meruit pro Chriſti nomine ſubire conflictum, & quia cruore proprio, tinctam ſibi ipſi purpuram conquiſivit, meritò à Rege ſuo conſequutus eſt poſtea coronam, qui jam cùm naſceretur, nomen ſortitus eſt à corona.* S. Fulgentius. Nicæta. D. Chryſolog.

Propterea dum D. Stephanum, extra civitatem Jeroſolymitanam poſitum, ac medium inter reprobos, utì & cervicoſos Judæorum lapidantium cuneos, flexis genibus cœlos intuentem contemplor; video & ego cum eodem *cælos apertos & JESUM ſtantem*: ſtantem, inquam, ut Agonothetæ ſuo, non tam aſſiſtat, quàm glorioſè Victori coronam imponat: *Nam ſurgit ipſe Rex gloriæ* (ait S. Pet. Dam.) *& lapidantium acies interrumpens, triumphatori certaminis, non ſinè dolore cordis aſſiſtit, eúmque velut Primicerium purpuratæ Cohortis coronat;* & quidem ut adimpleretur illud: *Poſuiſti Domine ſuper caput ejus coronam de lapide pretioſo.* Pſal. 20. vel ùt hebræus habet in plurali, teſte Hugone Cardinali: *Poſuiſti coronas de lapidibus pretioſis*, eidem non unam ſed plures ob fortiter toleratos lapidum impetus impoſuit. S. Pet. Dam. Pſal. 20. Hugo Card.

Cùm autem ſacer Hiſtoricus, ternas potiſſimùm exprimat coronas, quibus DEUS munificentiſſimus ſuos coronare conſuevit ſcilicet *argenteam, ſtelleam & auream*, oſtendam in præſenti dictione, & his tribus Primicerium purpuratæ Martyrum Cohortis D. Stephanum meritò fuiſſe coronatum.

Poſtquam DEUS optimus ſummi Sacerdotis JESU filij Joſedech, indefeſſos ac pluribus annis exantlatos pro populo, in captivitate Ba- N. 343.
by-

bylonica labores perpendiſſet, ſtatuit eum pro meritis, etiam in hôc ſæculo coronare. Hinc præcepit Prophetæ Zachariæ ut coronam argenteam, alias, eáſque minores in ſe complectentem, eidem coram populo univerſo imponeret: *Sumes argentum*, ait illi c. 6. *& facies coronas, & pones in capite filij Joſodech Sacerdotis magni.* At ſi verticem D. Stephani à DEO juſto Judice coronatum intuear: adverto primùm & in ipſo coronam auream, coronam argenteam, non ex terreno quopiam argento, ſed è cœleſti; operâ caſtitatis fabricatam reſplendeſcere; quam illi DEUS ipſe impoſuit ob virginitatis integritatem, quam corpore & animo illibatam ſemper ſervavit; bene proinde atteſtatur D. Thomas ſerm. 1. de S. Steph. *Si argentum eſt index nivei candoris,* (ait) *& puritatis animi, meritò argenteâ coronâ ornatus eſt B. Stephanus, cui mens nivea & caſta, cui mores candidi.*

Zachar. 6. *D. Thomas.*

Et quomodo non promereretur hanc coronam argenteam, coronam caſtitatis, quem virtus hæc Angelica terreſtrem efformavit Angelum, novóque adſcripſit ordini, quem incarnata DEI Sapientia, hic in terris ex meris fundavit Angelis? de quo bellè D. Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtoch: *Statim ut Filius DEI ingreſſus eſt ſuper terram, novam ſibi familiam inſtituit; ut qui ab Angelis adorabatur in cœlo, haberet & Angelos in terris, nempe Virgines.* Ex hac igitur familia & D. Stephanum unum aliquem fuiſſe declarant, non tam mores ejus candidiſſimi quàm ipſa ſpecies Angelica, quæ occultari neſcia in facie liberaliſſimè eluxit: ſiquidem & ipſi Judæi, *intuentes eum*, ajunt Apoſtolorum Acta c. 6. *qui ſedebant in concilio, viderunt faciem ejus, tanquam faciem Angeli*; nec immeritò, *Abundantia enim cordis* (ait D. Hilarius Arelat. ſerm. de Sancto) *tranſierat in decus corporis, & in faciei pulchritudinem, candor ſplendórque animi exundabant, ac cùm haberet in ſe Spiritum Sanctum os præ ſe ferebat Angelicum.*

D. Hierony. *Actor. 6.* *D. Hilarius.*

N. 344. Præterea ſi *Caſtitas facit Angelum*, ùt docet D. Ambroſ. meritò facies ejus erat *tanquam facies Angeli*, quia caſtitas, quam cordi ſuo inſculptam gerebat, non tam in eo faciem Angelicam, quàm totum fecit Angelum. Felicem quondam ſe reputavit magnus Romanorum Cæſar Julius; imò ipſam felicitatem ſibi deſponſatam arbitratus eſt, quando Dione teſte Venerem, cui præ cæteris erat addictior, annulo inſculptam, diu noctúque in digito circumtulit. At feliciorem multò

D. Ambroſ.

D. Ste-

Digitized by Google

D. Stephanum dixerim, qui non inceſtuoſam quampiam Venerem, ſed divinam Caſtitatem, non in annulo aut digito, ſed in cordis arcano intrinſecus inſculptam circumferebat. Siquidem hæc ipſa & Angelum ex eo fecit, & ſuam ei attribuit gloriam: *Caſtitatis enim gloria*, ait D. Cyrillus Jeroſolymitanus catech. 12. *Angelica corona eſt.* D. Cyril. Ier.

Præter hanc Caſtitatis coronam argenteam, video & aliam mirum in modum in capite ejus effulgere: quam ob copioſarum ſtellarum fulgurationem, optimè nuncupare poſſum *ſtelleam*. Nec fallor, ſiquidem & ſimili video coronatam fuiſſe mulierem illam Apocalypticam, quam D. Joannes nominare auſus eſt c. 12. *Signum magnum*, dicens: *ſignum magnum apparuit in cælo, mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim.* Unde cùm corona hæc ſtellea, teſte D. Thoma, *ſit nota ſcientiæ & ſapientiæ*, animadverto hâc ſolùm coronandos eſſe Doctores ac Prædicatores, qui erudiunt multos ad juſtitiam. Nam *corona hæc ſtellea*, ait D. Bonavent. ſerm. de S. Barthol: *Datur Prædicatoribus, quia ut illa lumine nitet, ſic & hi luce doctrinæ.* Apocal. 12. D. Thomas. D. Bonav.

Verùm & hac *corona ſtellea Doctorum*, D. Stephanum coronatum fuiſſe teſtatur ejus admiranda prorſus ſapientia, quæ non ſolùm prodigia, ac ſigna magna fecit in populo, ex quo non paucos convertit; ut præter Acta perhibet D. Pet. Dam. dicens: *Stephanus loricatus gratiâ, & haſtâ fortitudinis ſapienter infrendens, faciebat prodigia & ſigna magna in populo.* Sed etiam quod mireris ipſos doctiſſimos quóſque Judæorum, diſputando confudit, fregit, exanimavit. Nam *ſurrexerunt quidam de Synagoga* (ait ſacer Hiſtoricus cap. 6.) *diſputantes cum Stephano, & non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui, qui loquebatur in eo.* Et quidem quod bene obſervandum eſt: *Surrexerunt*, ait D. Damiani, *de ſynagoga Satanæ, & undique conglobantur, vel ad convincendum, vel ad occidendum, ſed nolit, velit, cedit impietas pietati, Spiritui Sancto præſumptio.* Et quomodo non cederet S. Stephano, qui velut catulus leonis, *Leonis* inquam *de tribu Juda*; rugienti ſua voce, adeò coram populo eos perterruit, ut penitus obmuteſcerent, prædámque veritatis, nolentes ac volentes eidem concederent. De catulis leonum lego in Pſalmo 103. hanc proprietatem. *Catuli leonum rugientes ut rapiant eſcam*; hoc eſt, ùt explicat D. Ambroſius, *Catuli leonum, quando non poſſunt ob defectum adhuc perfecti roboris, alias feras curſu aſſequi, eáſq;* N. 345. S. Pet. Dam. Actor. 6. D. Pet. Dam. Pſal. 103. D. Ambroſ.

Digitized by Google

capere, immaniter rugiunt, ut ſic rugiendo eas reddant ſtupidas & attonitas; ac poſtmodum faciliùs capiant. Et hanc proprietatem leoninam idem mellifluus Doctor deſiderabat, ut in ſe aſſumerent omnes Prædicatores, quotquot divino zelo repleti, animas DEO venantur. *Ut leones belluas* (ait lib. 6. hexam. cap. 3.) *quas curſu aſſequi nequeunt, rugitu tremefaciunt ac ſiſtunt. Ità Prædicatores, quos nequeunt ſuppliciis coërcere, ſaltèm verbis terreant, & refrænent.*

At perbellè D. Stephanum, hanc catulorum proprietatem exercuiſſe in confeſſo eſt, ſiquidem tanquam genuinus Catulus magni illius *Leonis de tribu Juda* adeò diſputando, ſeu veriùs rugiendo, adverſarios ſuos aggreſſus eſt; ut dum videret ſe actum agere verbis ſuavibus
Actor. 6. dicendo: *Viri patres & fratres audite me*; mox irrugijt, ſcelera eis audacter oggerendo dicens: *Dura cervice & incircumciſis cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis, ſicut Patres veſtri, ita & vos.* Et in hoc abundè video Divum noſtrum ſatisfeciſſe DEO, qui Prædica-
Iſai. 58. toribus per Iſaiam illud inculcavit cap. 58. *Clama nè ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum.* Siquidem etiam in faciem eis exprobravit eorum ſcelera, dum eos nominavit *homicidas & proditores Juſti.* Nec curavit eorum furioſam iram; de qua
Actor. 7. Acta memorant cap. 7. *Audientes hæc diſſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in eum.*

N. 346. Vehementer quondam indoluit DEUS apud Iſaiam cap. 56. dum videret Prophetas ac Prædicatores, quos de induſtria ad redarguendum Regum ac populorum delicta miſerat, neſcio quo metu correptos tacuiſſe, ac eis annuntiare ſcelera diſſimulâſſe; idcirco eos *canes mu-*
Iſai. 56. *tos* vocare non dubitavit. *En canes muti latrare non valentes*, at tum quando D. Stephanus *exaltavit vocem ſuam quaſi tuba*; dicendo *dura cervice* &c. quando irrugijt velut *catulus leonis*, imô *quando vocem ſuam velut canis exeruit pro Chriſto contra lupos*, loquor cum D. Ambroſ:
D. Ambroſ. lib. 6. hexam. cap. 4. *qui ovile Eccleſiæ incurſabant*: tantùm abeſt, ut indoluerit DEUS, quin imò novo, eóque majori affectus ſit gaudio, videns imperterritum animum, qui teſtante D. Greg. Nyſſeno: *Cum*
D. Gre. Nyſſ. *omnibus conflixit, & omnes ſuperavit, adverſus omnes adverſarij copias, cùm ſeſe oppoſuiſſet, adverſùs omnes victoriâ clarus deſignatur.* Meritò igitur ſtelleâ, ab eo coronatus eſt coronâ, cujus honorem non inter

diſpu-

Digitized by Google

diſputandum modò, ſed etiam lapidantium furores tutatus eſt, ac Prædicatoris partes ad amuſſim explevit, dum *ſonantis tubæ, rugientis leonis*, ac *vigilantis canis* perſonas ſuſtinuit.

Demum & coronâ aureâ D. Proto-martyrem Stephanum redimitum fuiſſe, planè non ambigo. Si enim DEUS olim in veteri Teſtamento Moyſi præcepit, ut Aaronem fratrem ſuum coronaret *coronâ aureâ*, quæ eſſet *Opus virtutis*. Eccleſ. 45. maximè verò index præfervidi illius amoris, quo ferebatur in DEUM; clarè animadverto & Divum Stephanum ſimili coronâ aureâ fuiſſe coronatum, ut qui duplici fervebat amore; & DEUM & proximos, imò & hoſtes infenſiſſimos, inſigni prorſus dilexit charitate. Et quidni coronaretur aureâ amoris coronâ Stephanus, qui ſub ipſo prægravi ſaxorum imbre, poſitis genibus DEO benedicebat, pro perſecutoribus verò calentes fundebat preces? Profectò qui ambigit, legat caput 7. Actorum, & cum gaudio dicet: *Poſuiſti Domine ſuper caput ejus coronam auream de lapide pretioſo.* *Eccle.* 45.

Nam vix Summus Sacerdotum perverſum abſolvit judicium: vix iniquam adverſùs juſtum protulit mortis ſententiam; quaſi ipſe DEUM & Moyſem blaſphemâſſet, ecce mox *impetum fecerunt unanimiter in eum*, ait Scriptura, *& ejicientes eum extra civitatem lapidabant.* Et quidem quod mireris: *Hunc lapidabant*, qui faciebat prodigia & ſigna magna in populo; *hunc lapidabant*, cujus faciem paulò antè viderant *tanquam faciem Angeli*; verbô *hunc lapidabant*, cujus non poterant *reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui, qui loquebatur in eo.* Idcirco ſi nobis intereſſe licuiſſet glorioſo ejus certamini; hauddubiè vidiſſemus, quomodo omnes magni & puſilli è domibus ſuis egreſſi, quaſi dato claſſico properaverint extra civitatem; quomodo ad nutus ſuorum Sacerdotum, lapides comportaverint; quomodo ſe invicem animantes SS. Juvenem, procidentem in genua, lapidibus adorti ſint; quomodo alij caput, alij pectus, alij dorſum, totúmque corpus impetiverint; vidiſſemus denique, quomodo juvenis Saulus jam tum *ſpirans minarum & cædis*, cuſtodiendo lapidantium veſtes, omnium quaſi manibus ipſe unicus Sanctum Stephanum lapidaverit. Nam *quando lapidatus eſt Stephanus primus Martyr*, audet dicere D. Auguſtinus ſerm. de converſ. D. Pauli, *Saulus ſic aderat lapidantibus, ut ei non ſufficeret, ſi tantum ſuis manibus* N. 347. *Actor.* 7. *D. Auguſtin.*

lapidaret -- ut enim eſſet in omnium lapidantium manibus, ipſe omnia veſtimenta ſervabat, magis ſæviens omnes adjuvando, quàm ſuis manibus lapidando.

Verùm quid tum agebat S. Stephanus? quando turmatim caput ejus petebant lapides, quando ſaxa corpori impacta, prolicuerunt ſangvinem? num vim vi repellebat? & quemadmodum paulò antè inter diſputandum, ità eos nunc quoque fregit, ut ei reſiſtere non poſſent? nunc etiam inter lapidandum, ſimiliter eorum vires ac conatus fregit? fregit enimverò, ſed modo planè memorabili: *Charitatem enim pro armis habebat*, ait D. Fulgentius, *& per ipſam ubique vincebat, per charitatem DEI ſævientibus Judæis non ceſſit; per charitatem proximi, pro lapidantibus interceſſit.* Proinde dum mihi in mentem revoco, crudelem illum ſaxorum impetum, qui ſanctiſſimum ejus corpus undique arietabant, illúdque ſupra modum collidebant; animadverto ſimiliter ex illa colliſione, nonniſi copioſas ardentiſſimæ charitatis proſilire potuiſſe ſcintillas. *Lapides lapidem quidem percutiunt*, poſſum dicere cum purpurato Præſule Damiano, *ſed lapidem molliorem, de quo fluit ignis charitatis, & tinnitus redditur pietatis.* At qualiſnam fuit tinnitus ille pietatis? audite illum obſecro; *poſitis genibus clamavit voce magna dicens: Domine nè ſtatuas hoc illis in peccatum.* O pulchram ſanè vocem, eámque magnam! ô tinnitum prorſus argenteum, qui originem ſuam, nonniſi traxit, ab illo amore crucifixo, qui *circa nonam* etiam *clamavit voce magna*, Matth. 27. *Clamavit igitur voce magna Stephanus, quia magna utique charitate* (ait D. Petr. Dam.) *plùs enim dolebat perſequentium peccata, quàm ſua vulnera, plùs illorum iniquitatem, quàm ſuam mortem.*

S. Fulgentius. S. Pet. Dam. Actor. 7. Matth. 27. S. Petr. Dam.

N. 348. Grandi quondam charitate Sanctiſſimum Prophetam Moyſen erga populum ſibi à DEO concreditum exarſiſſe, argumento eſſe poteſt, vel illud, quod etſi ab eo lapidibus quandoque impeteretur, tamen eundem diligere non ceſſaverit. Imò dum DEUS eum delere vellet ob pervicaciam, ipſe quaſi murum ſe interpoſuerit, vitámque ipſam pro eis obtulerit dicens: *Aut ignoſce eis hanc noxam, aut dele me de libro*; id eſt, ùt communiter SS. PP. explicant, *aut tolle me de vita.* Verùm dum D. Stephanum, pro perſecutoribus orantem conſidero pace tua dixerim manſuetiſſime Prophetarum; charitatem hanc tuam non me-

mediocriter ſuperari, à charitate D. Proto-Martyris, qui non ſolùm tecum voluit pro populo, vitâ hac ſuâ exturbari; ſed inſuper actu moriens, tam ardenter pro ipſis DEUM deprecatus eſt dicens: *Domine nè ſtatuas hoc illis in peccatum. O admirabilem, etiam circa impios charitatem!* exclamare libet cum S. Auguſtino, ſiquidem deprecatio hæc, tantæ virtutis ac potentiæ erat, ut Juſtitiam Divinam non ſolùm mitigaverit, omnémque pœnam à perſecutoribus ſuis averterit, ſed inſuper Saulo hoſtium peſſimo, efficacem à DEO converſionis impetraverit gratiam: *Si enim S. Stephanus non oráſſet,* ait D. Auguſtinus, *Eccleſia Paulum non poſſideret.* D. *Auguſtin.* D. *Auguſtin.*

Nec cum morte quòd mireris, ceſſavit hæc præfervida circa impios charitas; nam poſt mortem quoque cervicoſæ hujus gentis, egit non ſemel, ſed ſæpius deprecatricem. Memorabilis ſanè eſt illa Judæorum converſio in Civitate Majorica, quam Baronius Divo attribuit Stephano. Cùm enim reliquiæ ejus ſanctæ in hanc civitatem importarentur, à dæmone peſſimo mox inſtigati Judæi (qui magno numero ibidem commorabantur) rurſum ad lapides concurrerunt, iiſdémque Portitores, cæteróſque Chriſtianos comitantes impetiverunt. Quia autem Chriſtiani, fors viribus, ac potentiâ erant inferiores, ecce cœlum è veſtigio eis venit in ſubſidium, ac igne deciduo, ſynagogam eorum valde amplam, momento temporis incineravit; quod nonnulli ex Judæis cernentes, ſalutari timore correpti in Chriſtum Dominum crediderant, ac eorum 540. ſacro abluti ſunt Baptiſmate. Duplici igitur charitate D. Stephanum flagráſſe, erga DEUM & Proximum in confeſſo eſt: idcirco impoſuit & ei DEUS coronam auream exornatam lapidibus pretioſis. *Cæſ. Baron.*

Quapropter deſiderat quis etiam in cœlis coronari, dum menti ſuæ objicit D. Stephanum triplici corona redimitum; deſiderat inquam, à juſto Judice coronari *coronâ juſtitiæ,* aut *coronâ gloriæ: non pigeat ergo imitari, quod hodie celebrare delectat,* poſſum eidem dicere cum S. Auguſtino ſer. 47. de SS. maximè autem imitetur illum in duplici illa charitate, amet DEUM; & quamvis ei peracerbum accidat, amet & inimicum, & ſic coronabitur aliquando coronâ aureâ charitatis cum illo: *Qui novit etiam pro perſecutoribus exorare Dominum noſtrum JESUM Chriſtum.*

Digitized by Google

In Feſto S. Laurentij Marty.

CONCIO III.

Gratum DEO ſpectaculum Laurentius in craticula.

D. Auguſtinus.

ARGUMENTUM. *Ex occaſione horridi illius Martyrij, quod inviƈtiſſimus Chriſti Athleta D. Laurentius, animo prorſus infraƈto ſuſtinuit; oſtendo non ſolùm hunc glorioſum Heroëm, ſed & omnes, quotquot pro DEO igne tribulationis, aut ærumnarum flammis excruciantur feliciſſimos eſſe, ac maximos DEI amicos. Quales præ alijs fuerunt D. Patriarcha Abraham,* qui per multas tribulationes probatus DEI amicus effectus eſt. *Judith c. 8. Et pauper Lazarus, quem certatim Angeli tanquam amicum DEI ſingularem, ad portandum contingere ſatagebant.*

Spectaculum facti ſumus Mundo, & Angelis, & Hominibus. *1. ad Corinth. 4.*

N. 349. SI in hoc ampliſſimo orbis amphitheatro, ſtrenui Chriſti Pugiles cæterorum ſunt ſpectaculum, quemadmodum & de ſe, & de alijs candidè fatetur D. Paulus, ep. 1. ad Corinth. c. 4. dicens *Puto enim, quòd nos Apoſtolos DEUS noviſſimos oſtendit tanquam morti deſtinatos; quia ſpectaculum facti ſumus Mundo, & Angelis, & hominibus:* quàm illuſtre non fuerit ſpectaculum, Athleta fortiſſimus, inviƈtiſſimus Heros; Hiſpaniarum decus perquam eximium, D. Laurentius; victrici redimitus laureola, non in orbis angulo, ſed in urbium principe Roma; in lectulo prorſus admirabili, omnium oculis ad intuendum expoſitus? Quàm illuſtre, inquam, non fuerit ſpectaculum orbi univerſo, imò & Superis; dum Virum in lectulo laureatum; non tamen in *lectulo Salomonis, quem ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis* Iſraël, Cant. 3. quia nimiùm delicatus ac ſuperbus: non im-

1. Corinth. 4.

Cant. 3.

ſectu-

Digitized by Google

lectulo Sponſæ florido, quia mollis & effœminatus; non in *lectulo Sardanapali roſeo*, quia ſpurciſſimus; non in *lectulo Heliogabali aureo*, albicantibus reſperſo lilijs, quia inceſtuoſus; non denique in *lectulo Hunnorum Regis Attilæ*, gemmis orientalibus exornato; qui vanus & barbarus: ſed in lectulo ærumnarum ferreo triumphantem; in igneo doloris generosè exultantem admirabundi conſpexerunt? *Certè quàm clarificata eſt Jeroſolyma Stephano* (exclamare libet cum magno Romanorum Præſule Leone) *tam illuſtris hodie facta eſt Roma Laurentio!* S. Leo.

Jacebat enimverò ſupra craticulam ferream, ſupinus corpore, invictiſſimus Martyr Laurentius; jacebat tantò Mutio Scævolâ ſuperior, quantò non tam dextram, quàm corpus integrum, & quidem illud, quod nequaquam erraverat; DEO ſuo holocauſti inſtar, in odorem ſuaviſſimum offerebat. Jacebat demum totâ uſtulatus ac aduſtus carne, & non modo fortiter, ſed & alacriter, ſacrum è carne ſua circumſpiciens ebullire ſangvinem, Tyranno inſultavit, ſcelus exprobravit, plura tormenta expetijt, audacter inclamavit dicens: *Aſſâſti unam partem, verſa aliam, & manduca.* N. 350.

Cui inviſo hactenus ſpectaculo, dum crudelis Chriſtianorum ſangviſuga aſſiſtit Valerianus, ardentes in vultu, volvit ac revolvit oculos; leonis inſtar edit rugitus: imò dum crudeles Tyrannidis ſatellites, ſeminudi titionibus, ignium fomenta applicant; ignémque ad ardendum inflammant; maximi Divo Laurentio, extiterunt cauſa triumphi: quandoquidem & terrigenas, ad tale prodigium reddiderunt attonitos, & Cœlites ingenti perfuderunt lætitiâ. Nam *tanta extitit ejus Martyrij gloria* (enarrat Hipponenſium Præſul D. Auguſtinus) *ut paſſione ſua mundum illuminaverit univerſum; eóque lumine quo ipſe accenſus eſt, & flammis quas ipſe pertulit, omnium Chriſtianorum corda calefecit.* D. Auguſtin.

Quare cùm *hodierna die à radiantibus Divi Laurentij flammis* (ùt loquitur S. Maximus) *victrix toto orbe Chriſti coruſcet Eccleſia*; ejúſque natalem maximâ peragat veneratione: Oſtendam non ſolùm hunc Heroëm, ſed omnes quotquot pro Chriſto igne tribulationis, aut ærumnarum flammis excruciantur, amiciſſimos DEI eſſe, unáque ei gratiſſimum exhibere ſpectaculum. S. Maximus.

D. Apo-

N.351. D. Apoſtolus Jacobus ſuos ad toleranda æquanimiter adverſa, exhortaturus his verbis ſuam orſus eſt epiſtolam. *Omne gaudium exi-* Jacob. 1. *ſtimate Fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis.* Nec immeritò, ſiquidem ipſi Servatori noſtro, dum generosè aſpera toleramus, perquàm ſimillimi, imò & Filij DEI reddimur, qui ab inſtanti conceptionis ſuæ, gloriam corpori ſuo debitam negavit, ipſúmque pati, gloriæ efficaciſſimè prætulit. Unde factum ut in terris exiſtens, Diſcipulos ſuos vehementer ad tolerandum quaſvis pro DEO afflictiones, incitaverit, unáque oſtenderit homini Chriſtiano, omnia etiam chariſſima vendenda eſſe, ut aliquam ſibi patiendi pro DEO occaſionem emere, ac comparare queat. Apparet id in ultima Cœna, quam cùm Dilectis ſuis inſtituit optimus Dominus, Luc. c. 22. nam poſtquam varia ante egreſſum ſuum ordinâſſet, reliqua inter feriò præcepit eis dicens: Lucæ. 22. *Nunc qui habet ſacculum, tollat, ſimiliter & peram, & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium.* Res profectò admiranda, quòd Chriſtus Dominus, qui pacis, concordiæ, & charitatis, ſemper fuit amantiſſimus; nunc gladium emere, etiam interulam ipſam de corpore ejus gratiâ divendere imperârit. Quid, quæſo, ei opus erat cum gladio? qui voluntariè ſe in mundi victimam obtulit? quid illo perficere deſiderabat, qui poſt paululùm ſe inſtar ovis ligandum, ſatellitibus ſtitit? verùm quis gladius ille ſit, quem hoc loco emere præcepit Dominus, diſertè ùt aſſolet, nobis indicat ſanctiſſimus Mediola- D. Ambroſ. nenſium Antiſtes Ambroſius, dum hunc locum explanat: *Gladius iſte,* ait, *gladius eſt Paſſionis, ut exuatur corpus, & ematur ſacri corona Martyrij.* Gladius proinde Martyrij eſt, quem venditâ etiam tunicâ comparari Chriſtus voluit; ſcilicet tam glorioſa felicitas eſt, tam felix gloria eſt pro DEO pati, ut chariſſima meritò quis divendere poſſit ac debeat, ut patiendi aliquam pro illo occaſionem nundinetur.

N.352. Idipſum & Divinus animarum Sponſus, ſuam perdilectam edocuit Sponſam, quæ totam in eo felicitatem ſitam eſſe exiſtimaverat; ſi domo incluſa, quieti ac contemplationi rerum divinarum tota vacaret. Unde dum vice quadam, dilectum celebraret laudibus, dicerétque: *Ecce tu pulcher es Dilecte mi, & decorus*; eúmque inſuper non Cant. 1. tantùm in domum, *cujus tigna erant cedrina, laquearia cupreſſina*, ſed & in *lectulum floridum*, ad quieſcendum invitaret: è veſtigio eidem ſub-

ſubjunxit: *Ego flos campi, & lilium convallium*; quaſi diceret: ego ſi tibi obedivero; inſtar floris tabeſcam in lectulo quietis, inſtar lilij exſiccabor in tranquillitate. Nec abs re: *Dum enim ille invitat ad lectulum* (ait peracutè D. Bernardus in Cant.) *ipſe provocabat in campum, provocabat ad exercitium patientiæ, ut veluti flos in campo omnibus cœli injuriis, æquè ùt ipſe exponeretur.* Ad invitationem igitur illius reſpondit: *Ego flos campi*, quia deſiderabat, ut illa quoque foret, *lilium inter ſpinas*, conſtans inter malevolorum perſecutiones. Confirmat id Doctiſſimus Origenes homilia 3. ex quatuor: *Sponſus voluit eſſe flos campi, & in convallibus lilium, ut proxima ejus imitatione, efficeretur & ipſa, lilium inter ſpinas perſecutorum.* *Cant. 2.* *D. Bernard.* *Cant. 2.* *Origenes.*

Præterea ipſe DEUS tanti facit adverſis premi, aſperſis exagitari, ut illud non niſi concedat ſibi familiariſſimis; non niſi intimis, graves ſubmittat, corporis animæque afflictiones: quibus, fortiter tolerando, gratiſſimum ſibi præbeant ſpectaculum. Quod ut exemplis declarem: Dicite mihi, obſecro, quis in terris eo tempore, quo vixerat Abraham Patriarcha, DEO erat familiarior? quis in oculis ejus gratior atque acceptior? nonne ipſus ille? ut quem & *Patrem multarum gentium* conſtituit, & copioſa benedictione implevit; & multis gratiarum prærogativis vallavit; & tamen tentationes graviſſimas, afflictiones animi peracerbas ei indidit, ut in patientia illius ſibi omnino complacere videretur. *Pater noſter Abraham* (ait de eo Judith c. 8.) *tentatus eſt, & per multas tribulationes probatus DEI Amicus effectus eſt.* Unde quomodo etiam Virum hunc DEUS Optimus exercuerit enarrat Moyſes cap. 22. Geneſis dicens: *Tentavit DEUS Abraham.* *Judith. 8.* *Geneſ. 22.*

N. 353. At num DEUS tentator hominum eſt? nunquid non juxta D. Jacobum Apoſtolum: *DEUS neminem tentat*? verùm eſt, neminem tentat; at *ſi tentat hominem, non ut ſubruat, ſed ut coronet*, ait D. Auguſt: & ſic *DEUS tentavit Abrahamum.* At in quo tentavit? tentavit in re chariſſima, in unico cordis delicio, in Filio Promiſſionis, in perdilecto Iſaaco. *Tolle*, ait, *Filium tuum unigenitum, quem diligis, Iſaac.* O immanis tentatio! ô acerba afflictio! *ipſam humanam*, ùt loquitur Divus Chryſoſtomus, *tranſcendens naturam!* Tolle filium, non Iſmaëlem de ancilla genitum, hoc enimverò parum eſt, ſed tuum; & quidem unigenitum, *è cujus vita, & tuus paternus affectus, & maternus* (ùt ait Ze- *D. Auguſtin.* *Geneſ. 22.* *D. Chryſoſt.* *S. Zeno.*

Digitized by Google

no Veronenſis) *dependet*. Tolle, inquam Filium & promiſſum à DEO,
& in tua ſenectute genitum & inſuper *Iſaac*, verè *riſum*, verè *delicium*,
cui pietas, miſeratio, dilectio vel maxima debebatur. *Vide tentationis*
Origenes. *pondus*, exclamat Origenes in expoſ. cap. 22. *charis & dulcibus ap-*
pellationibus, iterum ac ſæpe repetitis paterni ſuſcitantur affectus, ut amo-
ris evigilante memoria, ad immolandum filium paterna dextera retarda-
daretur, & ut adverſùs fidem animi, tota carnis malitia, repugnaret.
D. Ambroſ. Unde & D. Ambroſius, peracerbam illam perpendens tentationem
DEI, quæ tot vulnera, tot ſupplicia ejus cordi inflixerat, quot in ſe con-
tinuerat verba: ſcitè ait. *Non ſufficiebat dicere, tolle filium tuum, ſed*
additur Iſaac, hoc eſt, eum quem ſuſcepiſti in ſenectute de Uxore, quem
ſuſcepiſti, tanquam fidei tuæ præmium, & remunerationem operum tuorum,
quem ſuſcepiſti ex promiſſione DEI, non Conjugis fœcunditate, ex qua ali-
um ſperare non poſſis.

Imò ut graviorem ei DEUS permitteret tentationem; remotiſſi-
mum illi præſcripſit montem, ut per viam, cum filio immolando ince-
dens, varijs à carne & ſangvine exagitaretur motibus; gratiſſimum in-
Geneſ. 22. terim aſpicienti DEO præberet ſpectaculum. *Vade*, inquit, *in terram*
viſionis, ſeu ùt D. Hieronymus ex hebræo vertit, *vade in terram excel-*
Origenes. *ſam, in montem elatum.* Confirmat dicta mea Origenes in Geneſ: *Præ-*
cepit ei iter longinquum Dominus, ut dum ambulat, cogitationibus diſcer-
patur; hinc perurgente præcepto, hinc verò unici affectu obluctante cru-
cietur. Propterea ergo via injungitur, ut in his omnibus, ſpatium certa-
minis accipiat; affectus & fides, amor DEI & amor carnis, præſentium
gratia & ſpectatio futurorum.

Proinde quàm gratum etiam DEO, aliiſque Cœlitibus cauſaverit
ſpectaculum, hæc peracerba Abrahami afflictio, patet vel ex ipſis ver-
bis DEI optimi, quando, poſt vocem Angeli prohibentis percutere
Geneſ. 22. puerum, eum ſummè laudando allocutus eſt dicens: *Quia feciſti hanc*
rem, & non peperciſti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi. Et
quidem DEUS optimus (poſtquam ſpectantem eum, ùt loquitur D.
Baſilius Seleucus, *rapuiſſet in admirationem ſui*) uſus eſt hoc vocabulo
ſuo: *quia feciſti*; ut oſtenderet ſe aliud in cœlo invenire non poſſe,
quàm illud, quo omnia ſex dierum opera in principio creaverat.

N.354. Afflictionibus internis, adjungo afflictiones, dolores, cruciatus
cor-

corporis externos. Unde dicite mihi rurſum; nunquid non Lazarus, extrema paupertate ac ægritudine preſſus, etiam unus erat ex amiciſſimis DEI? erat enimverò, & quia erat, ſubmiſit ei infirmitates horridas, ulcera ac vulnera hiantia, dolores acutiſſimos, eúmque fecit tanquam peripſema ab omnibus derideri, ab omnibus vilipendi. Jacebat miſer ulceribus plenus ad januam divitis; ùt ait D. Lucas cap. 16. intùs tantopere viſcera premebat fames, ut etiam de micis à menſa deciduis, ſatiari ab epulone deſideraverit: *At nemo illi dabat.* O inhumana crudelitas! & *nemo illi dabat.* Foris purulentum ejus corpus, adeò tabo, ulcere ac ſanie erat reſperſum, ut totam morborum congeriem in eum effudiſſe viſa ſit calamitas. *Solvuntur viſcera* (inquit ſacer Ravenatum Antiſtes Chryſologus ſerm. 121.) *ulcem producuntur, hiatus vulnerum dilatatur, fames effunditur, & tota pauperis caro componitur in ſcenam pietatis, ut quem vox eſurientis non moveret, vel ſuſpiria, vel dolores, gemitus & tota ærumnarum congeries commoveret.* *Lucæ 16.* *D. Chryſolog.*

Nihilominus tamen, dum omni ope deſtitutum illud mendicabulum, ad limen divitis canis inſtar tractatur, & vilipenditur; dum famuli occluſis naribus inhumaniter miſerum abigunt, & fors etiam canibus ipſis crudeliores, verba ac verbera accumulant, interim gratiſſimum DEO & Angelis exiſtit ſpectaculum, gratiſſimum inquam, ſiquidem dum poſt paululùm moreretur, omnes Angeli inter ſe certabant cadaver Lazari contingere, atque ut nos ſacras reverenter contingimus Reliquias, ſic illi magna cum veneratione, ulceroſum illud corpus, quod pro DEO multa tulit, multíſque ærumnis afflictum eſt; attigerunt, magìs exultantes, quòd illius vulnera contrectarent, quàm quòd ſtellas calcarent firmamenti. Hinc D. Chryſoſt. hom. de Lazaro, ſuper illa verba, *& portaretur ab Angelis*, diſertè ait: *Non ſuffecerat ad portandum pauperem unus Angelus, ſed propterea plures veniunt; ut chorum lætitiæ faciant. Gaudet enim unuſquiſque Angelorum tantum onus tangere.* Imò *non juxta Patriarcham Abraham* (exaggerat rem ampliùs S. Præſul) *ſed in ſinum Abrahæ portatus eſt, ut illum tangeret;* id eſt contrectaret illa vulnera, quæ vivens ad veſtibulum epulonis, tanta toleravit pro DEO ſuo animi cum magnitudine. *D. Chryſoſt.*

Quare cùm tam glorioſum ſit pati pro DEO, tam gratum ſpectaculum, eveniat divinis oculis, ærumnis affligi, perſecutionibus impe- N. 355.

Digitized by Google

ti, imò omnes hæ quantumvis intolerabiles moleſtiæ, non ſint conferendæ cum præmijs cæleſtibus, juxta illud D. Pauli ad Rom. 8. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*; Non miror jam, quòd tot centena Martyrum millia, repudiatis omnibus mundi illecebris, cruciatus ac tormenta crudeliſſima cum gaudio elegerint, tortoribus ac tyrannis ultrò ad dilacerandum ſe ſtiterint, & inter dolores acutiſſimos, ſola DEI aſpicientis ac remunerantis memoriâ ſe conſolati ſint. *Ex hac enim conſideratione*, inquit magnus Baſilius, *naſcebatur, quòd SS. Martyres tam generosè dedignarentur equuleum, tam fortiter aſpernarentur cataſtas, tam magnanimè deſpicerent lanienas, ipſam adeò mortem pro nihilo putarent, ut qui non præſentem pœnam, ſed futuram gloriam ſpectarent.*

Roman. 8. — D. Baſilius.

Et talis erat abſque ullo dubio, generoſus Chriſti pugil, Levita invictiſſimus D. Laurentius, qui ob amorem Chriſti non ſolùm ærumnis conteri, catenis gravari, virgis cædi, laminis candentibus exuri, ſed inſuper deſiderio ſubeundæ mortis, ultimam pro Chriſto ſangvinis guttam ex omnibus corporis ſui venis profundere anhelabat. Indicat enimverò id facinus prorſus heroicum, quando in foro Romano, militum catervis ſeſe immiſcuit, ad ipſum S. Xiſtum Pontificem maximum, per ſatellitum cuneos penetravit, ſe Chriſtianum palàm profeſſus eſt, & verbis ardentiſſimis, expetijt conjungi Sanctiſſimo Præſuli, & cum eo vitam prodigere. *Quò progrederis ſinè filio Pater?* lacrymis perfuſus clamabat, *quò Sacerdos Sancte ſinè Diacono properas? quid ergo diſplicuit in me paternitati tuæ, nunquid degenerem me probâſti?* Unde cùm poſtmodum vinctus traditus fuiſſet ſæviſſimo Cæſari Valeriano: ipſe autem Martyrem à ſancto propoſito dimovere non valens, eundem in ſublime ſuſpendi, virgis graviter cædi, & ſecundùm latera, ferreis laminis uſtulari præcepiſſet, generosè omnes contemnens dolores, in faciem Tyranni edixit: *DEUM meum colo, illi ſoli ſervio, & ideo non timeo tormenta tua.* Nec immeritò; *pericula enim* (ùt ait D. Baſilius homil. de S. Barthol.) *non reſpicit Martyr, coronas reſpicit, plagas non horret, ſed præmia numerat; non videt lictores infernè flagellantes, ſed Angelos supernè acclamantes imaginatur.*

Hiſt. Eccleſ. — D. Baſilius.

N. 356. Præter hæc omnia, vel maximè invictus ejus patiendi animus eluxit eo tempore, quando in novo crudelitatis invento, in lectulo ſeu

cra-

craticula ignita, hilari vultu DEO gratias egit immenſas, Chriſtianos ad fidem profitendam hortatus eſt, & ex conſideratione DEI remunerantis, ac præmiorum cœleſtium, non ampliùs dolores, ſed delicias ſummas perſenſit. Verùm ô glorioſiſſime athleta Laurenti (libet te in agone hoc tuo triumphantem alloqui) *nunquid caro tibi ænea eſt?* nunquid fibræ ac venæ corporis ferreæ ſunt? nunquid omnis te ſenſus deficit? nunquid omnis doloris expers es? ſiquidem in craticula prorſus ignita, te præter omnem morem exultantem, ac Tyranno geſtu corporis inſultantem conſpicio? Sentiebas hauddubiè ferreas ungulas membra tua dilacerantes, ſentiebas lentos ignes, quibus corpus tuum inflammabatur; ſed tanto flagrabas tui Magiſtri ac Domini amore, ut omne omnino tormentum, non eſſet tibi niſi delicium; omnes ſubjectæ ardentes prunæ nonniſi roſæ, omnes denique pœnæ nonniſi illecebræ. Bene proinde ait D. Ambroſ. tom. 3. c. 1. *Ardebat extrinſecus Beatus Martyr, Tyranni ſævientis incendiis; ſed major illum intrinſecus, Chriſti amoris flamma torquebat; & quamvis Rex improbus ligna ſubjiceret, incendia majora ſupponeret, tamen S. Laurentius has flammas fidei calore non ſenſit. Et dum Chriſti præcepta cogitavit, frigidum fuit illi omne, quod patiebatur.* D. Ambroſ.

Quapropter cùm verè non ſint condignæ paſſiones, afflictiones, tentationes hujus ſæculi, ad futuram gloriam; imò Chriſto docente *Regnum cœlorum vim patiatur, & nonniſi violenti illud rapiant*; erigamus animos noſtros, ſi quando in hac vita optimus Dominus, igne tentationis nos probaverit, attollamus oculos ad præmia cœleſtia, ad coronam gloriæ; ſi quando ab inimicis noſtris circumveniamur, vel contumelijs plurimis aliiſque probris afficiamur. Et corona illa gloriæ fiet nobis unà corona juſtitiæ, adeò ut ob toleratas afflictiones, confidenter cum Apoſtolo, 1. ad Timoth. 4. dicere poterimus: *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ; quam reddet mihi in die illa juſtus Judex.* Deniq; in igne hoc tentationis conſtituti, ſólemur nos verbis magni Auguſt: hom. ſup. epiſt. ad Rom. unáq; dicamus: *Sæviat mundus, fremat mundus, increpet linguis, coruſcet armis, quicquid vult, quicquid poteſt, faciat; quid faciet tandem ad id quod accepturi ſumus? ſiquidem Dominus accelerat, quod expectamus præmium; ipſam quam ſperamus dulcedinem, quæ cùm venerit, ſinè fine erit, opus cum fine, merces ſinè fine.*

Matth. 11. 1. Tim. 4. D. Auguſtin.

In Feſto S. Sebaſtiani Marty.

CONCIO IV.

Quaſi ſignum ad ſagittam D. Sebaſtianus.

ARGUMENTUM. *Cùm Divinus Amor, qui corda hominum ſagittare conſuevit, juxta illud Pſalmiſtæ:* Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi; *non ſolùm generoſiſſimum D. Sebaſtiani corpus à copioſis crudelitatis obrui fecerit telis, ſed inſuper cor ejus imperterritum ærumnarum confixerit ſagittis: oſtendo in præſenti dictione, DEUM etiamnum nonniſi dilectos ſibi, ponere quaſi* ſignum ad ſagittam *affligentem, maximè verò ad ſagittam linguæ mordacis, ut quandoque acutiſſimis verborum jaculis configantur. Tales fuêre Job, qui ab hominibus vauci; Anna Samuelis mater, quæ à magno alioquin DEI Sacerdote Heli; David, qui à ſervo peſſimo, mordacibus linguarum aculeis, quaſi totidem ſagittis confixi fuerunt.*

Poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam. *Thren. 3.*

N.357. QUi primus *Amorem* ſagittandi arte præditum, ac *ſagittarium* finxerat, ipſius ſenſerit ſagittas, neceſſe eſt. Nam cùm ab ineunte ætate Amor factus ſit ſagittarius, & vix fari ſciens, jam ſpicula tractare attentaverit; evenit ut nullam in vanum, aut aërem ſolùm ferientem ejiciat ſagittam, ſed per emiſſas dexterrimè ſemper deſignatum feriat tangátque ſcopum. Sic metam ſibi quondam ſtatuit Romæ, Romæ inquam, non tamen quopiam in Principis palatio, aut artificioſo deliciarum horto, ſed in præpatulo, in campo martio; in eáque Virum martium, martiali exercitatum in pulvere: *Poſuit quaſi ſignum ad ſagittam*, ſuíſque confoſſum jaculis, juſſit charitatis exæſtuantem flammis triumphare.

Egredimini proinde & videre, non jam Salomonem in purpura, ſed Salomone majorem cruore proprio purpuratum, victricibus ami-

ctum

ctum inſignibus, quibus non tam gens illius quàm ipſe Amor decoravit in die lætitiæ cordis ejus. Videte inquam Ducem inclytum, Heroëm invictiſſimum, primæ cohortis Cæſareæ Præfectum generoſiſſimum, D. Sebaſtianum Martyrem, in arena tripudiantem, ac Amori ſagittanti, reſpondentem alacriter: *Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & confirmaſti ſuper me manum tuam.* Pſal. 37. Certè ſi huic Divino ſpectaculo nobis licuiſſet intereſſe; an non Heroëm fortiſſimum: *Primitivæ Eccleſiæ Defenſorem acerrimum* (ſic enim eum nominat D. Cajus Papa) omni veſte nudatum, ſtipiti alligatum, ſuorum militum, quibus cum poteſtate præfuerat telis confoſſum, imò quadam quaſi ſagittarum ſilva obrutum cerneremus? an non ſub hoc ferreo telorum imbre, totum delicijs inundatum, pſalmos hymnóſque concinentem audiremus? an non miros Divinæ Charitatis affectus ſpirantem, ac cæleſtibus Amoris facibus penitùs igneſcentem intueremur? Intueremur enimverò, & quidem Martyrem talem, qualem vivis ùt ajunt coloribus, jam olim expreſſit mellifluus Bernardus dum ageret de Martyrum conſtantia, ſerm. 6. in Cant: *Stat Martyr tripudians atque triumphans, toto licèt lacero corpore, & rimante viſcem ferro, non modo fortiter, ſed & alacriter, ſacrum è carne ſua circumſpicit ebullire ſanguinem. At ubi tunc anima Martyris?* quærit ulteriùs D. Bernardus: *Nempe in tuto, nempe in petra, nempe in viſceribus JESU, in vulneribus nimirum patentibus ad nutriendum.* Et meritò, *ſi enim eſſet ſuis in viſceribus, ſcrutans ea ferrum profectò ſentiret; nunc autem in petra habitans, quid mirum ſi in modum petræ induruerit? neque mirum ſi exul è corpore, dolores non ſentiat corporis, neque hoc facit ſtupor ſed amor.*

Pſal. 37.

S. Cajus Pap.

S. Bernard.

Amor igitur eſt, qui ſauciat, & ſauciando inflammat, & inflammando coroborat, invicta Martyrum præcordia. At ſi D. Sebaſtianum ſauciare voluit Amor, cur neglectâ ſagittâ aureâ, ſexcentis propè ferreis confixit telis? An quia, *verus Amor nullum novit habere modum?* canente Poëta. Aut quia, *Amor ſui juris non eſt*, D. Bernardo teſte? ut ut ſit, debuit ſanè tot telis ſauciari Sebaſtianus, ut quaſi totidem flammis exæſtuans frigidiſſimæ ſeſe opponeret impietati, ferreúmque Diocletiani debellaret pectus, omni furore pleniſſimum.

Ovidius.

S. Bernardus.

Quare cùm S. Sebaſtianus in perſecutione ſua non tam fuerit *ſcopus tortoris*, quàm *ſignum amoris*; oſtendam feliciſſimum illum eſſe,

eſſe, quem DEUS in hoc ſæculo ponit *quaſi ſignum ad ſagittam.*

N.358. Summam afferre felicitatem *ſagittas affligentes*, ipſámque animam penetrantes, candidè affirmat Pſaltes Regius, pſal. 93. dicens: *Beatus, quem tu erudieris Domine*, ſeu ùt hebræus habet: *beatus, quem tu ſagittaveris Domine*; ſagittis abſque dubio tribulationum, quas Pſal. 98. inter ſummos DEI favores, quibus Iſraëliticum Populum affecit, hiſce verbis enumerat: *Invocabant Dominum, & ipſe exaudiebat eos, in columna nubis loquebatur ad eos, DEUS tu propitius fuiſti eis.* Inſignes ſanè favores, ſed & in his ponit ipſas ſagittas tribulationum, ipſas afflictiones dum ait: *Et ulciſcens*, ſeu *affligens in omnes adinventiones eorum.* Sic patientiſſimus virorum Job ejuſmodi atterentes ſagittas, non favores ſolùm divinos; ſed unicam inſuper ſuam agnoſcebat conſolationem, nam ubi dixiſſet capite 6. *Sagittæ Domini in me ſunt, terrores Domini militant contra me*, mox adjecit: *Et hæc eſt mihi conſolatio, quòd affligens me dolore non parcat.* Sic Rachel, ſi D. Hieronymo, ùt par eſt, creditur; inducitur à Jeremia primùm, dein à Matthæo plorans, ac ſuum ſtatum deplorans, quòd non & filij ſui, ſicut filij ſororis Liæ, ſint tanquam ſignum poſiti ad ſagittam Herodiànam. Libet verba ipſiuſmet D. Hieronymi in medium proferre. *Cur Rachel inducitur plorans, & non potiùs Lia, cujus filij nempe de tribu Juda fuerunt innocentes? reſponderi poteſt, quod ex felicitate ſororis, infelicitatem ſuam miſerè deplorabat Rachel, lamentatur filios ſuos, non fuiſſe etiam occiſos ùt ſorori contigit*; intelligens quàm glorioſum ſit, vel in cæde filiorum tentari.

Pſal. 93. *Pſal. 98.* *Job. 6.* *D. Hierom*

Hinc dicite mihi amabò, cur Sponſa, priuſquam in hortum ſuum delicioſiſſimum conſitum ex univerſis lignis Libani, ac habentem omnia prima ungventa; introducat Dilectum, turbulentiſſimos ad flandum excitet ventos? dicit namque Scripturâ teſte Cant. 4. *Surge Aquilo, veni Auſter, & perfla hortulum meum.* Certè an non impetuoſus Aquilo, omnes concutiet arbores? omnes disjiciet areolas? an non nimboſus Auſter imbribus ſuis ungventa deſtruet ſtillantia? nihilominus tamen, & hos turbulentos ventos, animitùs exoptat Sponſa, quia videlicet teſte D. Hilario, *ſcit, quòd per tales ventos emergant flores, & varia fluant aromata virtutum, per patientiam augeatur gloria.* Licèt igitur D. Jeremia teſte, *ab Aquilone omne pandatur malum*, tamen etiam

Cant. 4. *D. Hilarius.* *Ierem. 1.*

am Jobo teſte, *ab Aquilone aurum venit*, videlicet copioſa tolerantiæ remuneratio. Unde jure meritò D. Paulus ad Philip. c. 1. perpendens patientiæ præſtantiam; ſagittari, telíſque perſecutionum impeti pro Chriſto inſigne vocat donum DEI. *Vobis*, inquit, *donatum eſt, ut non ſolùm in ipſum credatis, ſed etiam ut pro ipſo patiamini*. Verùm quid ais ô ſanctiſſime gentium Doctor? num probris exagitari donum erit, fidei dono æquale? num quemadmodum fides, ità & tolerantia favor erit ſpecialis? ſic eſt: donum patiendi non ſolùm erit æquale, ſed inſuper dono fidei præſtantius. Ità me edocet D. Thomas, & Haymo Episc: quorum prior clarè ait: *Donum patiendi pro Chriſto, majus dono eſt fidei;* poſterior verò inquit: *Fidem donat Dominus tam amatoribus, quàm non amatoribus, at pati pro ſe, ſolis nonniſi concedit amatoribus.*

Ioc. 37. Philip. 1. D. Thomas. Haymo.

Nunc ſi pati & pro Chriſto ſagittari ærumnarum telis; tanti fecit D. Apoſtolus; non miror jam, & Diſcipulum & Imitatorem ejus genuinum D. Joannem Chryſoſtomum, erga has Divini Amoris ſagittas etiam in tantùm exarſiſſe, ut illas in ſe experiri mallet, quàm quoſcunque alios favores DEI, etiam excellentiſſimos, imò potiùs voluiſſe eſſe vinctum pro Chriſto in carcere cum Paulo, quàm glorioſum cum Angelis in cœlo: *Nam ſi quis me cœlo condonet omni*, candidè fatetur homil. de laud. Pauli, *vel eâ, quâ Pauli manus vinciebatur catenâ; illam ego bonore præponerem; ſi quis me cum Angelis ſtatuat, aut cum Paulo vincto, vincula eligerem: ſi quis me cum illis poteſtatibus faciat, quæ circa DEI thronum ſunt, aut vinctum talem, qualis erat Paulus, talem eligerem potiùs vinctum; etenim nihil meliùs eſt, quàm mala pro Chriſto pati. Denique ſi quis mihi mortuos ſuſcitare dederit nunc, non jam id ſed catenam eligerem, videlicet materiam patiendi pro Chriſto.* N. 359.

D. Chryſoſt.

Feliciſſimum igitur eum eſſe neceſſe eſt, quem DEUS ex ſpeciali affectu eligit ac ponit *quaſi ſignum ad ſagittam*. Hinc pro vario amoris affectu, quo fertur in dilectiſſimos varios eis efficit ad tolerandum ſcopos: & quia lingvarum jacula, ſcit potentiùs hominem ſauciare, quàm perſecutorum gladios, ponit pro horum meta, nonniſi corda illorum, quos habet clariſſimos in paucis, ſibíque maximè devinctos; ut verborum telis compuncti, mordacibus dictorum aculeis confixi evadant glorioſi. Quòd autem ſummè arduum ſit poni quaſi ſignum ad ſagittam lingvæ mordentis vel calumniantis, colligi poteſt ex Jobo,

Digitized by Google

tot calumnijs impetito, tot convitijs dilacerato. Hic enim poſtquam omni lapide atque adamante tolerantior omnium ſuarum fortunarum jacturam paſſus fuiſſet, maláque innumera ſuſtinuiſſet; imò numeroſa ſobole fuiſſet orbatus, ac inſuper in proprio corpore, fontem quendam plenum vermium vidiſſet ebullientem, facilè cuncta heroico concoxit ſtomacho; at ubi exprobrare ſibi Juvenes quoſdam imperitos

Iob. 30. (*quorum Patres non dignabatur ponere cum canibus gregis ſui*) atque inſultare vidiſſet: dicentes eum meritò talia pati, ob occulta forſitan ſcelera: tum demum nonnihil turbari cæpit, Vir ille magnus veréque fortis; atque cor ejus alioquin magnanimum in has erupit querelas: *Uſquequo affligitis animam meam, & atteritis me ſermonibus*. Job. c. 19.

Iob 19. quod ubi perpendit Origenes, bene ait in Cat. græ. *Jobus fortiſſimus Athletarum, in cujus libro nihil ita eminet ùt fortitudo, labores tamen ſenſit, quos ex aliquorum duro ſermone hauriebat.*

N. 360. Et ſanè ad augendam ſuorum gloriam, tales quandoque ſubmittit DEUS ſagittarios, qui ſpiritu furoris ebrij, irâ odióque excæcati, millenis propè verborum jaculis pectora innocentium confodiant, atque transfigant. Eorum molimina graphicè depingit Pſaltes Regius, Pſal.

Pſal. 10. & 63. 10. & 63. *Exacuerunt*, inquit ille, *ùt gladium linguas ſuas, intenderunt arcum rem amaram, paraverunt ſagittas ſuas in pharetra, ut ſagittent in obſcuro rectos corde*. ſeu ùt habet textus hebraicus: *ut ſagittent immaculatos in obſcura Luna*. Tum ſcilicet temporis, peſſimi hi ſagittarij, innocentes potiſſimùm aggrediuntur, calumnijs ac probris proſcindunt, quando advertunt eorum felicitatis Lunam, à terrenis quibuſdam umbris eclipſari; quando vident eos, quorum felicitati aliquando invidebant, cum adverſa luctari fortuna, tunc acuunt mordaces ſuas lingvas, convitia agglomerant, fingunt ſermones nequam famámque illorum, ſive in propatulo, ſive in occulto tantopere dilacerant, ùt nihil propemodum integri in ea remaneat.

Et ſi hoſtes aut inimici ſolùm hæc facerent; foret utcunque adhuc tolerabile; ſed quando illi, qui videntur amiciſſimi, pſeudo-politico imbuti ſpiritu, clam & inocculto expediunt, mortiferas verborum ſagittas: nonniſi medullam cordis ſauciant atque exulcerant, eorum inſanam prorſus rabiem evitare non potuit, optima illa anima,

Cant. 1. quæ Dilectiſſimo ſuo in hæc verba conqueritur, Cant. 1. *Filij matris meæ*

Digitized by Google

mea, ira excanduerunt in me, poſuerunt me ſcopum ad vineas. Et quidem dum immaculatam hanc animam volunt ponere tanquam ſignum ad ſagittam lingvæ calumniantis, eam non in aperto campo, non in ſpatioſo prato, non ad umbroſas ſilvas collocant, ſed ad vineas. aut in ipſis vineis, ut inter ſagittandum, inextingvibilem ſuam nocendi ſitim, vino furoris aut indignationis poſſint compeſcere, ſeu veriùs reaccendere.

Nihilominus omnes ejuſmodi; qui probris divexati, animo non concidunt, ſed ad plura toleranda eriguntur, feliciſſimos eſſe, vel ipſa affirmat Veritas, quando Matthæi cap 5. clarè ait: *Beati eſtis vos, cùm exprobraverint vobis homines, & dixerint omne malum adverſum vos, gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Placet gloriam & felicitatem eorum intueri Heroum, qui ejuſmodi ſpicula, forti animo, maſcula mente, adverſo pectore exceperunt? Ite parumper in templum Domini, quod in Silo pro Sacrificijs DEO litandis extabat, & videbitis ſcopum, planè gratioſum poſitum ad ſagittam ſummi Sacerdotis Heli; Annam videlicet matrem magni Samuelis Prophetæ, excipientem mordacia verborum, jacula, quæ pleno ejaculabatur ore Heli, magnus alioquin DEI Pontifex. N. 361. *Matth. 5.*

Acceſſit hæc invicta mulier, ad locum DEO ſacratum, precatura Dominum; & ecce dum corde inflammato, ex oculis fluenta lachrymarum deducit, ac labia loquentis more commovet, volantia ſentit ſpicula; *dixit enim ei Heli, qui eam temulentam eſſe exiſtimabat: Uſquequo ebria es? digere pauliſper vinum quo mades.* Acutum profectò ſpiculum, ipſámque medullam animæ penetrans! cui mulier aliqua ævo noſtro, decem fors pro uno repoſuiſſet. Nihilominus Anna, licèt in maxima fuiſſet amaritudine, modeſtè ac pauculis reſpondit: *Nequaquam Domine mi vinum bibi.* Quare D. Chryſoſtomus mulieris hujus perpendens virtutem, bene de ea ait: *Domi exprobrabat æmula; venit in templum, & ſacerdos eam contumeliâ afficit; effugerat domeſticam tempeſtatem, venit in portum, & rurſum invenit undas; quas viriliter ac forti animo perferens, eum qui contumelioſè loquutus fuerat, Dominum appellat; dicens: nequaquam Domine mi.* *1. Reg. 1.* *D. Chryſoſt.*

Heroinæ huic ſuccedat Heros Solymæus, in ejuſmodi tolerandis verbis, ſi non ſuperior certè æqualis. Si & eum quaſi ſcopum ad ſagit- N. 362.

Digitized by Google

gittam maledicam intueri cupitis; erigite oculos veſtros ad viam illam quæ Jeroſolymâ ducit in deſertum trans torrentem Cedron, & videbitis in montis vertice, Regem David flentem, nudiſque pedibus incedentem, convitiorum ſauciari jaculis, quæ peſſimus Semei in ipſum evibrabat. Nam Scriptura atteſtante, *procedebat egrediens & maledicebat, mittebátque lapides contra David dicens: Egredere, egredere Vir ſanguinum & Vir Belial, reddidit tibi DEUS univerſum ſanguinem domus Saul.* Interim tamen Vir mitiſſimus, D. Chryſoſt: teſte, *cuncta omittens quæ pertulit, pro maledicto patienter audito, vicem à Domino repoſcebat; dimitte, inquit, ut maledicat, quoniam Dominus mandavit ei: nemo igitur hominum* (addit idem ſanctus Præſul) *nemo patientiam hujuſmodi penetravit.*

2. Reg. 16.

D. Chryſoſt.

Denique alios ut præteream, vel ipſum glorioſum conſiderate Martyrem D. Sebaſtianum; non tam ferreis confoſſum ſagittis, quàm graviſſimis verborum jaculis impetitum. Poſtquam enim virtute Divina à lethalibus ſagittarum vulneribus, breviſſimo tempore perſanatus, in conſpectum Tyranni perveniſſet, talia coactus eſt audire verba, quæ eum magis quàm ferrea exulcerârunt ſpicula, nam circumſtantes Imperatorem, circæa ope, redanimatum fuiſſe, inſanè vociferabantur, eúmque non virtute Chriſti, ſed præſtigijs dæmonum, magicis artibus revixiſſe, turpiter calumniabantur. Quia autem, eodem pectore excepit, hæc mordacia dicta, quo antea ſagittarum cuſpides, ad reliquam ejus felicitatem acceſſit & illud, quod benedictus JESUS, auguſta Majeſtate conſpicuus, ei videndum ſeſe obtulerit invictúmq; Martyrem, blando dignatus oſculo, vulnera à peſſimorum lingvis inflicta, lingvâ ſuâ ſanctiſſimâ refocillaverit.

N.363. Quare cùm & nos Divinus Amor, velut dilectos ſibi, interdum ponat quaſi ſignum ad ſagittam, detrahentis, aut calumniantis lingvæ; forti igitur animo, verborum ſuſtineamus ictum, virtute maſcula, inflictam à lingva excipiamus plagam, eámque generoſo preſſam ſilentio, nonniſi ſagittanti pandamus Chriſto, & quemadmodum D. Sebaſtianus, digni habebimur, quos in felici æternitate Divinus Filius Altiſſimi, *oſculetur oſculo oris ſui.* Neque dicat delicatus quiſpiam: ſi irrogatam injuriam, aut inflictam calumniam, maximè coram alijs, ſuppreſſero, vilis abjectíque animi me eſſe exiſtimabunt. Siquidem pruden-

Digitized by Google

dentes, eò ipſo illius admirabuntur virtutem, ac alterius execrabuntur loquacitatem. Ità jam olim ſimiles proprij honoris ſtudioſos pulchrè inſtruxit D. Chryſoſtomus homil. 2. ad Pop. Antioch: *Si calumnians* (inquit ipſe) *in te proſiliat, tace; & oportunam ei plagam infliges: Si contumeliam contumeliâ proſequaris, ignem excitabis. Sed inquies puſilli animi arguar? imò verò tuam admirabuntur virtutem & ſapientiam.* D. Chryſoſt.

Quapropter nè ſagittantem fallamus amorem, ac emiſſas declinemus ſagittas charitatis; ſit meta cor noſtrum, lingváque noſtra, in illa piæ animæ erumpat verba: *Age, emitte ſagittas tuas ô Amor, quaſi vir fortis; confige, iterúmque confige me jaculis; & ſi Sol meus es, uti es, ingredere ſagittarij ſignum, indéque volent tela tua, ſonet arcus tuus, vulneretur cor meum, ut patiar pro te, & amem te in ſempiternum.*

In Feſto S. Wenceslai Ducis & Martyris.

CONCIO V.

Juſtus Abel. D. Paulus ad Hebr. 11.

ARGUMENTUM. *Acria virtutem inter & malitiam, mox ab orbe condito extitiſſe, & in hæc uſque temporis momenta exiſtere prælia, nemo diffitebitur; qui tam ſacras quàm profanas inſpexerit paginas; animadvertet namque peſtem hanc ipſos fratres & parentes inter ſe commiſiſſe. Nec* Juſtum *ſolùm* Abel *à maligno occiſum fuiſſe Cain, ſed plures alios. Cùm & in inclyto noſtro Bohemiæ Regno, eadem malitia malignum poſſidens fratrem Boleslaum; optimum ſuſtulerit ejuſdem terræ Ducem D. Wenceslaum, à præfata comparatione Abelis & Cain non recedam; ſed in præſenti declamabo. Hunc velut alterū* juſtum Abelem, DEO plurimam obtuliſſe Hoſtiam (*dum fide, innocentiâ, caſtitate & charitate in proximos exornatus mirè DEO placuit*) *eáque de cauſa, donum quoque Martyrij velut Abel obtinuiſſe; imò defunctum licèt, etiamnum tamen in mentibus hominum reſidentem loqui; ac glorioſiſſimam ejus memoriam perſeverare.*

 Omnes

Digitized by Google

Omnes qui piè volunt vivere, in Chriſto JESU perſecutionem patientur. *2. ad Tim. 3.*

N. 364. DIvus Bernardus ſerm. 48. in Cant. ponderans illa verba Cant. 2. *Sicut lilium inter ſpinas*, ſapientiſſimè advertit, terram hanc noſtram, quæ à DEO ob delictum primorum Parentum maledicta; *ſpinas & tribulos germinare juſſa eſt*; refertiſſimam omnino eſſe ſpinis, non tam materialibus quàm ſpiritualibus. *Spina culpa eſt, ſpina pœna eſt, ſpina falſus frater eſt, ſpina vicinus eſt malus*; à quibus etiam nè lædatur anima pia & innocens, albicanti comparata lilio, his eam monendam duxit verbis. *O candens lilium! ô tener & delicate flos! increduli & ſubverſores ſunt tecum, vide quomodo cautè ambules inter ſpinas; plenus eſt mundus ſpinis, in terra ſunt, in aëre ſunt, in carne tua ſunt, verſari in his & minimè lædi divinæ potentiæ eſt, non virtutis tuæ.*

Geneſ. 3.

D. Bernard. ſerm. 46.

Pari ratione D. Auguſtinus dum illa explanat verba, Geneſ. 25. *Collidebantur in utero ejus parvuli*: pugnam hanc, quæ Jacob inter & Eſau extiterat, figuram fuiſſe illius pugnæ, quæ fuit, & etiamnum extat inter bonos & malos aſſerere non dubitavit. *Sicut duo parvuli* (ait ſerm. 38. de temp.) *in utero Rebeccæ collidebantur, ſic in utero Eccleſiæ duo ſibi populi jugiter adverſantur boni ſcilicet & mali.* Atque ità ſibi adverſantur, ut non facilè reperias innocentem & juſtum, qui non habeat complures malevolos ſibi adverſantes. *Ego Abel eſſe non ſuſpicor* (audet dicere D. Gregor. lib. 9. Epiſt. 39.) *qui Cain adverſarium non habuerit, permittit enim DEUS, ut per malorum ſævitiam purgetur vita bonorum.* Adeò ut potiſſimùm ab ijs excrucientur illi, qui Chriſto ſunt vel maximè conformes, nam *Omnes qui piè volunt vivere in Chriſto JESU, perſecutionem patientur*, ait D. Paulus 2. ad Tim. 3.

Geneſ. 25.

D. Auguſtin.

D. Gregorius.

2. ad Tim. 3.

N. 365. Unde quemadmodum olim Pharao affligens Hebræorum populum, maſculos ſolummodo enecabat: *Sic & noſtro tempore* (ait Divus Auguſtinus loco cit.) *diabolus & angeli ejus fideles Chriſtianos impugnare & inquietare non ceſſant*; maximè verò *Maſculos*, id eſt, virtute præſtantes, ùt bene obſervavit Origenes, homil. 2. in Exod. mirum in modum perſequuntur. *Qui virtuoſus eſt hunc, quaſi maſculum cupit neca-*

D. Auguſtin.

Origenes.

necari Phamo Princeps hujus mundi, imò perſequitur, inſectatur, mille adversùs eum machinis pugnat. Hinc quod obſtupeſcendum eſt, ſi alij ipſi deſint ad affligendum hos miniſtri, ipſos incitat amicos, impellit fratres & cognatos, qui eos ſupplantent & perimant. Quare omnes & ſingulos bene hortatus eſt, Jerem. c. 9. *Unuſquiſque ſe à proximo ſuo cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam, quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit.* O quàm multi id fuêre experti, qui perfidos nacti fratres, malignâ eorum periêre dextrâ. Certè juſtus & innocens Abel, interfectorem ſuſtinuit Cain; Jacob adverſarium habuit Eſau; Joſeph perſecutores vidit fratres ſuos, & multi alij, quos tum ſacri, tum profani enarrant Hiſtorici. *Ierem. 9.*

Fratrem ejuſmodi perfidum expertus eſt quoque D. Wenceſlaus, inclytus Bohemiæ Dux, ac score glorioſiſſimus Chriſti Martyr; hic cùm vitæ innocentiâ, morum probitate, angelica puritate, ac aliarum virtutum ſplendore, eſſet condecoratus; adverſum ſe concitavit Principes tenebrarum Caco-Dæmones: qui & matrem & fratrem infernali correptos furiâ impulerunt, ut innocentiſſimum hunc Principem, tamdiu affligerent, uſque dum è vita exturbarent. Quod quàm inhumaniter præſtiterit peſſimus frater fratri optimo, præſens exponet dictio, atq; ſub ſchemate *Juſti Abelis* à fratre occiſi, D. Wenceſlaum Ducem ac Patronum Bohemiæ dabit ſpectandum.

N. 366. D. Apoſtolus Paulus epiſtolâ ad Hebræos, innocentiſſimum Abelem laudaturus à fide, qua in DEUM credidit, éique ardentiſſimè adhæſit: hoc de eo profert cap. 11. *Fide plurimam hoſtiam Abel quam Cain obtulit DEO.* Græcus & Syrus habet: *ampliorem præſtantiorem hoſtiam obtulit.* Quaſi diceret, ait Theophilactus: *Fides quæ longè major & ardentior erat in Abele quàm in Cain, excitavit Abelem, ut majores & præſtantiores hoſtias DEO offerret, quàm Cain.* Et meritò, nam Abelis fides non erat mortua & nudata operibus, ſed viva & ijſdem refertiſſima; ſiquidem ea operabatur *Actus Latriæ, ſacrificij devotionis & charitatis*, ùt ait Cornelius à Lap. Idcirco etiam per eam *teſtimonium conſecutus eſt eſſe Juſtus, teſtimonium perhibente muneribus ejus DEO*, ait Apoſtolus, alludens ad reſpectum DEI, quo eum benigniſſimè reſpexit præ fratre. Nam Geneſ. 4. *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus, ad Cain verò, & ad munera ejus non reſpexit.* Dum videlicet *ad Hebr. 11.* *Theophilact.* *Cornel. à Lap.* *Geneſ. 4.*

ipſe

ipſe per ignem è cœlo miſſum, complacuit ſibi in ſacrificio Abelis, illúdque approbavit, non verò Caini. Itá me docet D. Hieronymus in
D. Hieron. Quæſt. Hebra: *Unde ſcire poterat Cain*, ait, *quòd fratris ejus munera ſuſcepiſſet DEUS, & ſua repudiáſſet, niſi illa interpretatio vera eſſet; quam Theodotion poſuit? & inflammavit Dominus ſuper Abel, & ſuper ſacrificium ejus, ſuper Cain verò & ſacrificium ejus non inflammavit.* Per ignem igitur cælitùs deciduum, combuſſit DEUS Abelis hoſtias, oſtendítque ſibi ejus munera, ſpretis alterius, mirum in modum placuiſſe. Et quidni placuiſſent, cùm promptus ac hilaris, minimèque triſtis ùt Cain ea obtulerit: *Hilarem datorem diligit DEUS, nunquid & triſtem?*
D. Bernard. (ait perbellè D. Bernardus ſerm. 71. in Cant.) *Profectò qui reſpexit ad Abel ob alacritatis candorem, avertit faciem à Cain, quia conciderat facies ejus utique à triſtitia & livore.*

N. 397. Si nunc & noſtrum *juſtum Abelem*, D. Wenceslaum glorioſiſſimum Chriſti Martyrem & primum declaratum Bohemiæ Regem, fide, innocentiâ, pietate & martyrio clariſſimum, Abeli ſupparem ſi non ſuperiorem, verbis extollere deberem; aptiſſimè id quoque de eo dicerem, quod D. Paulus de Abel: *Fide plurimam hoſtiam Wenceslaus ob-*
D. Bernard. *tulit DEO.* Si enim vita hominis bona, juxta S. Bernard. ſerm. 3. de purif: *eſt hoſtia DEO placabilis, hoſtia DEO placens, hoſtia viva*, fuerit abſque dubio innocentiſſima, utì & caſtiſſima D. Wenceslai vita, hoſtia DEO vehementer placabilis, vehementer placens; cùm ipſe eam mox à teneris, hortante S. Ludmilla avia, fœmina ævi ſui pijſſima, inſtruente inſuper Paulo Sacerdote viro probiſſimo; omni virtutum genere, præſertim humilitate, manſuetudine, ac duplici mentis & corporis caſtitate mirificè exornaverit. Nam ut de eo memorant Hiſto-
Sylv. Dubra. Sar. rici: *Ab avia Ludmilla fœmina ſanctiſſima piè educatus, & à Paulo viro ſancto litteris ac timore Domini imbutus, omni virtutum genere inſignis, ſummo ſtudio virginitatem per omnem vitam ſervavit illibatam.*

N. 368. Certè ſi curſum humanæ vitæ, meæ objiciam menti, adverto pluſquam verum eſſe illud, quod S. Leo ſerm. 1. Quadr. protulit: *Vita*
S. Leo ſer. 1. Quadr. *hæc noſtra in medio inſidiatorum, in medio præliorum eſt; ſi volumus ſuperare pugnandum eſt.* Nec abs re: *Nulla enim peſtis efficacior eſt ad nocendum, quàm familiaris & domeſticus inimicus. Hic eſt ignis in gremio, ſerpens in ſinu peſſima caro noſtra.* Cum hac igitur, quotidie verſari in lite

lite, quotidie altercari, quotidie præliari, & nunquam ſuccumbere, ſummè arduum & perquam difficile eſt, cùm conſtet hominem ſibi relictum, atteſtante S. Hieronymo, *nec Samſone fortiorem, nec Davide ſanctiorem, nec Salomone ſapientiorem eſſe*; qui tamen à carne ſuperati miſerè ſuccubuerunt. Idcirco & ipſe D. Paulus ſibi à duro hoc carnis prælio metuens, ſuſpirando quæſivit ad Rom. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus*; adinvenit autem modum vincendi & evadendi, dum ſubjunxit: *Gratia DEI per JESUM Chriſtum Dominum noſtrum.* Qua etiam adjuvante prælia geſſit feliciter, corpúſque caſtigando, ac in ſervitutem redigendo, victor contra carnem evaſit, & ſic caſtitatem ſervavit illæſam. D. Hieron. Roman. 7.

Nec aliter ſe geſſit in hoc caſtitatis prælio D. Wenceslaus, qui ſciens illud D. Ambroſij; *periclitatur in delicijs caſtitas*; & ſuam ipſe mox carnem ſpiritui ſubjecit, cilicijs ac flagellis coërcuit, delicioſas eidem ſubduxit dapes, verbò ità ſenſus ſuos frænavit, ut nè minimam etiam voluptatis ad eos admiſerit umbram. Teſtantur enimverò id ipſum crebra jejunia; teſtatur veſtis cilicina, quam ſub purpura ferre conſueverat; teſtantur alij ſuſcepti cruciatus, quibus tenerum corpuſculum affligebat. Nam ùt perhibet Flos Sanct: *Omnis bullatæ vanitatis pompæq; erat contemptor; cibi potúſque parcus, pœnitentiæ operibus adeò deditus, ut aliquando nocte concubia nudis pedibus per nives incederet.* Quid mirum nunc, ſi his medijs D. Wenceslaus, virginitatem ſuam conſervaverit illibatam? cúmque poſtmodum caſtitas, terreſtrem quendam effecerit Angelum? nam *Angelica planè vita eſt virginitas*, ait D. Bernardus ſerm. de Aquæ ductu, *& qui non nubent neque nubentur, erunt ſicut Angeli DEI.* Ideo etiam hi Aligeri cœlites eum ùt vitæ ſocium ſæpius inviſere, comitari ac protegere ſunt ſoliti. Teſtis ſanè eſſe poteſt vel ipſe Radislaus juratus D. Wenceſlai hoſtis, qui ſingulari certamine cum eo congrediens, vidit præſidio Angelorum adeò obvallatum, ut mox præ terrore lanceam, quam dirigebat in adverſum Divi Wenceſlai pectus dimiſerit, auditáque cælitum voce, *nè ferias* quaſi fulmine ex equo dejectus, pedibus Sancti acciderit, veniámque ab eo oráverit & exoráverit. Teſtis inſuper eſſe poteſt, & quidem omni exceptione major Otto I. Imperator potentiſſimus, qui Wormatiæ in comitijs Imperij D. Wenceſlaum, tum Bohemiæ Ducem, ad confeſ- N. 369. D. Ambroſ. Flos Sanctor. Ribaden. D. Bernard.

ſum Principum progredientem ; vidit duobus ſtipatum Cælitibus. Quare etiam imperiali ſolio conſurgens, ei obviam proceſſit, proximum ſibi locum attribuit, reliquis Principibus admirantibus, cauſámque hujus facti ignorantibus. Magnam igitur vim & potentiam habet caſtitas, quæ DEO inſtar Hoſtiæ oblata, eundem mirum in modum exhilarat, ac ad remunerandum impellit; Angelos verò in ſui conſortium & familiaritatem gratioſiſſimè attrahit.

N. 370. Hæc ponderans, meritò quærere auſim, an ſola caſtitas, charitate deſtituta id efficere conſueverit? Verùm quæſtioni huic mox occurrit D. Bernardus c. 32. de Paſſ. Dom. *Nihil valet albi floris munditia, hoc eſt virginalis puritas ſinè operibus charitatis.* Idem ait epiſt. 42. ad Henr. Sen. Epiſc. *Quantalibet venuſtate ſui caſtitas eminere appareat; ſinè charitate tamen nec pretium habet, nec meritum. Imò caſtitas ſinè charitate, lampas eſt ſinè oleo: ſubtrahe oleum, lampas non lucet; tolle charitatem, caſtitas non placet, ſed caſta generatio cum charitate.* Idcirco D. Wenceslaus ſuæ quoque Angelicæ caſtitati junxit charitatem, ſeu miſericordiam erga proximos, quam rurſum ùt Hoſtiam vivam & placentem DEO obtulit. Virtus ſanè hæc cum potiſſimùm conſiſtat in miſeratione & operibus charitatis ſeu miſericordiæ tam ſpiritualibus, quàm corporalibus, maximi apud DEUM remuneratorem bonorum, meriti eſt & pretij. Hinc non tantùm, *huic omnes aliæ virtutes cedere honorabiliter non recuſant*, teſte Caſſiodoro in Epiſt: ſed & *tanta eſt*, ait S. Leo, *ut ſinè illa cæteræ etſi ſint, prodeſſe tamen non poſſint.* Nec mirum, ſiquidem ipſa tanquam vera & propria nota Deitatis, hominem quem poſſidet, quaſi DEUM & divinum efficit. Quare ad ſuſcipiendum eam, ſedulò omnes hortatus eſt. D. Gregorius Nyſſen. lib. de Beat. his verbis: *Si miſericordis appellatio DEUM decet, ad quid aliud te ſermo Chriſti hortatur; niſi ut tu DEUS fias, tanquam inſignitus propriâ notâ Deitatis.* Idem quoque præſtitit D. Gregorius Nazian. orat. de paup: *Fac & tu calamitoſo ſis DEUS, DEI miſericordiam imitando.*

D. Bernard. — *Caſsiodor. in epiſt.* — *S. Leo ſer. in Quadr.* — *D. Greg. Nyſſ.* — *D. Greg. Naz.*

N. 371. Hanc igitur Divinam Virtutem, quàm piè ac dextrè imitando, in ſe ſuſceperit D. Wenceslaus; quàm amplè etiam ejus miſerationis viſcera; ipſa dilataverit, quàm ſtrenuè ad ſuccurrendum egenis, ac indigis eum impulerit; teſtantur abundè Hiſtorici ejus ſacram recenſentes vitam; qui eum ſæpiùs Patrem pauperum, Conſolatorem viduarum,

Digitized by Google

nominare non dubitârunt. Præclara ejus miſericordiæ opera hiſce recenſet Breviarum & Dubravius: *Dies integros impendebat, pauperibus viſitandis, cibandis, omniique re neceſſaria, inſtruendis: orphanis, viduis, egenis, tanta charitate ſubvenit, ut propriis humeris aliquando ligna, indigentibus noctu comportârit.* Certè omni memoriâ digniſſimum eſt opus illud charitatis ad quod eum miſeratio ſingulariſſimè incitavit. Reſcijt benigniſſimus Princeps, non procul à regia ſua aula, in vili degere tuguriolo; viduam quampiam prole oneratam; ſummè indigam, ac ob lignorum inopiam, frigore propemodum obrigeſcere: huic extemplò ſuccurrendum ratus, nocte concubia, poſitis regijs veſtibus; plebejo ſe veſtivit amictu, ac in proximum aulæ ſuæ delatus prædium; faſcem lignorum bene grandem collegit, ac in humeris efferens, ad viduæ domunculam celer depoſuit; idque non ſemel ſed iteratò fecit. Villicus furem fuiſſe ſuſpicatus, rem ad Ducem defert, ex eo quærit, quid ei faciendum eſſet, ſi illum flagranti in furto deprehenderet? reſpondit mitiſſimus Dux, cave nè ampliùs quid ei præter verbera, & quidem in tergo irroges. Quod & nocte ſequenti Duci ſuo, in prædio deprehenſo ignarus rerum villicus, non leviter intulit. *Breviarium, Dubrav.*

Hoc charitatis opus dum mente revolvo, video D. Wenceslaum, illo peracto aptiſſimè cum Jobo dicere potuiſſe: *Pater eram pauperum, & cor viduæ conſolatus ſum.* cap. 29. Nec hic ſubſtitit, fervens ejus ad ſubveniendum alijs charitas; plura namque enarrant ejus acta. *Pauperibus humandis frequenter adfuit, captivos liberavit, carceribus detentos nocte intempeſta viſitavit, pecuniis & conſilio ſæpiſſimè conſolatus eſt. Miti animo Princeps vehementer dolebat, quempiam etſi reum morti adjudicari.* Hæc præclara pietatis opera dum exercet pijſſimus Dux Wenceslaus, putas DEUM ſibi in immenſum non complacuiſſe, aut cum guſtu ſpeciali ea non reſpexiſſe? Profectò ſi reſpexit ad Abel & ad munera ejus; reſpexit certò certiùs etiam ad charitatem & *beneficentiam* D. Wenceſlai, *cùm talibus hoſtiis promereatur DEUS.* D. Paulo teſte ad Hebr. 13. Ipſa verò in proximum charitas, quæ tanquam *præpotens Regina* (verba ſunt S. Chryſoſt.) *alium ad prophetiæ provehit gratiam, alij martyrij dat coronam.* Eximio quoque Cultori ſuo eandem, quâ nihil in terris præſtantiùs eſt procuraverit, glorioſúmque effecerit Martyrem toto orbe Chriſtiano celebrandum. *Iob. 29. ad Hebr. 13. D. Chryſoſt.*

Digitized by Google

N.372. D. Paulus varia DEI perpendens dona, quibus dilectos ſibi remunerare aſſuevit mortales; ea inter numerat illud, ſi quis libenter patiatur pro Chriſto: *Vobis*, inquit ad Philip. 1. *donatum eſt pro Chriſto, ut non ſolùm in ipſum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini.* Quaſi diceret, ſicut Fides, qua creditur in Chriſtum, eſt ſpeciale donum DEI, ità & pati pro Chriſto: nam ùt præclarè ait D. Ambroſius: *à Patre æterno donatur diligentibus Chriſtum, quaſi præmium, ut ad augmentum meritorum ſuorum patiantur pro Chriſto.* Idem agnovit Chryſoſtomus: *Excellentiſſimum donum*, inquit, *quo DEUS ſolet munerari amicos, eſt crux & martyrium.* Unde hoc dono præditus exclamavit hom. 8. in epiſt. ad Epheſ: *Mihi optabilius eſt malè pati pro Chriſto, quàm honorari à Chriſto*; rationem hujus ſubjungit: *Nam propter Chriſtum eſſe aliquid paſſum, eſt quovis ſolatio jucundius.* Unde optimus DEUS, omni hominum ſtatui, præclarum illud donum martyrij, ſubmittere eſt ſolitus; non excluſis etiam tenerrimis. Nam ùt bene obſervavit D. Bernardus ſerm. de 4. grad. confeſſ: *Conſidera puerorum ætatem, juvenum ignem, virginum teneritudinem, anuum fragilitatem, ſenum infirmitatem, impoſſibilitatem decrepitorum; & ubicunque reflexeris oculos, invenies in his ætatibus, multitudinem exemplorum, ad palmam martyrij viriliter accurriſſe.*

ad Philip. 1. *D. Ambroſ.* *D. Chryſoſt.* *D. Bernard.*

Ad hanc quoque immarceſcibilem palmam generosè prorſus evolavit D. Wenceslaus, poſtquam excellentiſſimo hoc dono à DEO fuiſſet inſtructus; unde ſicut Abel, ut martyrij adipiſceretur coronam, proprium fratrem nactus eſt tyrannum & carnificem; ità & D. Wenceslaus pro eadem conſequenda fratrem reperit, qui ei crudeliter vitam extorſit. Utriuſque cædem parumper ſpectemus: Cain videns ſe deſpectum à DEO, conceptam pectore iram, adversùs innoxium fratrem tantiſper preſſit, donec malo incitante genio, ad necem eidem inferendam, nequiter erupit. Agnum proinde induit, ut falleret agnellum ſimplicem, ac ſub ſpecie fraternæ familiaritatis: *Dixit ad Abel fratrem ſuum; egrediamur foras.* Geneſ. 4. Hebræus & 70. legunt: *egrediamur in agrum, egrediamur in hortum. Ut videlicet* (verba ſunt S. Cyrilli Jeroſol: *Spectator ſuæ diligentiæ culturæq; eſſet, ac ut pulcherrima florum varietate oculos paſceret.* At ô execrabilis feritas! quam fors impiiſſimus hic fratricida à beſtijs didicit, vix agrum ſeu hor-

Geneſ. 4. *D. Cyrill. Ier.*

hortum fratre comitante attigit, è veſtigio agnum exuit lupum induit ac imbellem, nulliúſque mali ſuſpicacem, aggreditur fratrem, eúmque inhumaniter vitâ privat. *Conſurrexit Cain*, inquit textus, *adverſùs fratrem ſuum Abel, & interfecit eum.* En primam in orbe tragœdiam, in qua primum carnificem & fratricidam egit peſſimus hic Cain, qui teſtante D. Chryſoſt: *Occidendo fratrem evaſit beſtiis crudelior.* teſte verò Lipom: *Factus eſt omnium impiorum Patriarcha, primus lapis in ædificio diaboli, & exemplar Pſeudopoliticum filiorum hujus ſæculi.* *Geneſ. 4.* *D. Chryſoſt.* *Lipomanus.*

Nec alium vitæ finem habuit *juſtus Bohemiæ Abel*, D. Wenceslaus, hic ob eximias virtutes, ac excellentes animi dotes, cùm omnibus charus, acceptúſque eſſet; ſola mater & frater Boleslaus Idolomaniæ tenebris immerſi, eum deteſtabantur, ac tantopere eorum præcordia, invidiæ ac odij tabes exedebat; ut decreverint eum quantocyus neci tradere. At qua viâ modóve id peregêre? Peſſimus Boleslaus impiorum Patriarcham Cain imitando, etiam ſpeciem fraternæ charitatis ſuſcepit, ac ſub hac execrabilem egit lupum; fratrémque innoxium trucidavit. Libet ipſa verba proferre è *Flore Sanctorum P. Ribad:* Natus erat Boleslao fratri filius, totius Bohemiæ Hæres futurus, ideóque Wenceslaum rogârunt, ut ad ejus feſta genethliaca celebranda ſolenniùs Boleslaviam, ubi tunc ipſi degebant, venire dignaretur. Quare ſanctus Juvenis admodum religiosè confeſſus & Euchariſtiæ Sacramento refectus, in viam ſe dedit, non ignarus omnino futuri; ſed quanto ſe periculo committeret facilè conjecit. Frater obviàm progreſſus, venientem comiter excepit, conceptúmque animo nefas, ore comi, frontéque innubi texit. Palatium ingreſſis, Attalicæ apparatæ ſunt dapes, quibus dum veſcerentur, & prolixiores, in convivio moræ necterentur, appetentibus jam noctis creperæ tenebris, Wenceslaus ſe ſubduxit, templúmque petijt, ut ſolenni ſuæ precationi vacaret. Dira mater magis etiam hoc irritata facto Boleslaum urſit, ut è veſtigio fratrem perimeret. Quapropter impietate ferróque armatus, templum cum ſuis ſicarijs petijt, fratrem inermem & precantem, ſuâmet dextrâ jugulavit. En alterum & quidem genuinum Cain! qui *occidendo fratrem, beſtiis etiam evaſit crudelior.* N. 373. *Flos Sanct.*

D. Paulus poſtquam enarrâſſet Abelem fide plurimam obtuliſſe hoſtiam; demum ſubjunxit: *Et per illam defunctus adhuc loquitur;* N. 374.

Digitized by Google

P. Cornelius à Lapide. quaſi diceret: *Loquitur adhuc Abel* (ait noſter P. Cornelius in epiſt. ad Hebr.) *quia jam occiſi fides, innocentia, pietas, martyrium, & memoria adhuc recens eſt, & celebratur apud omnes fideles, eóſque ad ſui imitationem exhortatur meliùs, quàm ſi Abel mille linguis eos alloqueretur.* *D. Chryſoſt.* Explanationem hanc deducit ex verbis D. Chryſoſtomi, qui homil. in Geneſ. hæc habet: *Cain ſuſtulit quidem Abelem, ſed non ſuſtulit ejus gloriam & memoriam, quia vivit & vivet ſemper in ore & mente fidelium.* Verè igitur loquitur etiamnum Abel, quia innocentia & martyrium ejus, omnes fideles, ad imitationem quampiam, nervosè incitat & cohortatur.

Verùm & de D. Wenceslao noſtro, qui fide plurimam DEO obtulit hoſtiam, optimo jure dici poteſt, *per illam defunctus adhuc loquitur.* Siquidem fides, innocentia, & martyrium ejus, in mentibus Chriſtianorum reſidens, eos etiamnum, ad ejuſmodi inflammat virtutes; impius verò Boleslaus: *Suſtulit quidem Abelem noſtrum Wenceslaum,* ajo cum Chryſoſtomo, *ſed non ſuſtulit ejus gloriam & memoriam, quia vivit & vivet ſemper in ore & mente fidelium.* Voluit quidem, peſſimus hic fratricida, ejus memoriam penitùs, è mentibus hominum tollere, dum loco vili & obſcuro eum ſepeliri juſſit; at ecce DEUS, ut eum coram orbe univerſo glorioſum redderet, eadem nocte apparuit Regi Daniæ, eúmque juſſit feſtam S. Wenceslai Bohemiæ Ducis memoriam, qui dextra fratris occubuiſſet celebrare, & tanquam ſanctum colere. Paruit Rex & magnificum S. Wenceslao templum juſſit ædificari & dedicari, ubi etiam multis eum DEUS miraculis illuſtrat. E contrario verò ſævus hic Boleslaus meritas ùt Cain dedit pœnas. Cùm enim illud veriſſimum ſit, quod profert D. Cyprianus: *Nunquam impiorum crudelitas, in nomen Chriſtianorum exarſit, ut non ſtatim divinitùs, vindicta ſecuta fuerit.* *Sylv. Dubra. Sur.*Ità & puniti fuêre illi, qui cauſa ejus necis extiterunt. *Matrem inhumanam terra abſorbuit; fratricidam diverſæ ægritudines miſerè abſumpſerunt,* ajunt Hiſtorici, Æneas Silv. Dubravius, Surius &c.

Quare dum crudelem utriuſque innocentiſſimi fratris cædem, & quidem D. Wenceslaum ſub ſchemate *juſti Abelis*; omnibus ſpectandum propoſui, unicum deſidero: ut non ſpectatores ſolùm & admiratores ſimus eorum necis; ſed inſuper imitatores, eáſque exerceamus

vir-

Digitized by Google

tutes, quæ in ipſis potiſſimum reſplenduerunt. Cùm autem facillimè contingere poſſit, ut quis pariter, ab invidis, & malevolis exerceatur & affligatur: *Nam juſto judicio DEI* (verba ſunt S. Auguſtini lib. ſentent.) *datur plerumque peccatoribus poteſtas, quâ Sanctos ipſis perſequantur, ut ſic fiant per laborum exercitia clariores:* feramus æquo ac infracto animo; D. Wenceslai verò ad exemplum, innocentiâ ac patientiâ inſtructi, DEUM remuneratorem præſtolemur, qui etſi tardare quandoque videatur, non tamen emanebit, ſed veniens, ampliſſimè afflictiones noſtras remunerabitur; nam ùt rurſum ait D. Auguſt. in Pſal. 30. *Tranſibunt iſta quæ te premunt, & veniet DEUS, quem ſuſtines, exterget ſudorem, abſterget labores, & imponet coronam gloriæ &c.* *D. Auguſtin.* *D. Auguſtin.*

In Feſto S. Clementis Papæ & Martyris.

CONCIO VI.

Nomen S. Clementis operationis Index.

ARGUMENTUM. *Dictum Poëtæ:* Conveniunt rebus nomina ſæpe ſuis; *uti & illud Septimij:* Nomen operationis index eſt; *oſtendo quàm optimè verificari in D. Clemente Papa & Martyre, qui re & nomine* clemens *fuit à nativitate,* clemens *inſuper in lingua, moribus & epiſtolis, in quibus D. Paulum, cujus Diſcipulus erat, ad amuſſim planè expreſſit. Oſtendo præterea, per innatam ſibi clementiam, ferociſſimos quoſque, quales erant Siſinnius & Mamertinus mitigâſſe: ac Chriſtianis in exilio (quo & ipſe delatus erat) ſummo fuiſſe ſolatio & auxilio: ipſúmque demum mare, in quod projectus fuit, ex* inclementi *& tumultuoſo,* clemens *ac tranquillum reddidiſſe.*

Super

Super omnia bona ſua conſtituet eum. *Matth.* 24.

N. 375. *Septimius. S. Iſidorus.* SI atteſtante eruditiſſimo Septimio, in apol. c. 2. *Nomen operationis index eſt; Quomodo Abſalon* (quæteere libet cum D. Iſidoro in lib. Reg) *Patris pax poteſt intelligi, qui Patrem bello eſt perſecutus? quomodo vel Jeruſalem*; inſto cum Doctiſſimo Mendoza noſtro in cap. 8. *P. Mendoza* lib. 1. Reg. *interpretatur pacis viſio, quæ tamen pacem oblatam non vidit, non recepit?* verbo, quomodo magna illa dilectáque Domini civitas Capharnaum, vocari poteſt, *Ager pœnitentiæ* (ſic *D. Hieron.* enim ex hebræo eam interpretatur D. Hieronymus) cùm impœnitens ad infernum uſque detrahenda ſit, juxta illud ſolenne Chriſti vaticinium, & tu *Capharnaum, uſque ad cælos exaltata, uſque ad infernum demergeris.* Luc. 10. *Luce 10.* Verùm etſi complures, ſub ſpecioſis ac illuſtribus nominibus peſſimam duxerint vitam; eorúmque nomini, nullatenus correſponderit vivendi ratio: nihilominus tamen plures reperti ſunt, quorum nomen glorioſæ operationis fuit index, uſque adeò ut in acceptiſſimum abiêrit proverbium: *Conveniunt rebus nomina ſæpe ſuis.*

Proinde ſi vel ſolius ſacræ Scripturæ evolvam monumenta; reperio Veteres plerumque filijs ſuis, ejuſmodi impoſuiſſe nomina, ut in eorum conſideratione, vel incitarentur ad ſectandam virtutem, vel ex *D. Chryſoſt.* ſpeciali DEI inſtinctu, nonnulla ipſis eventura prædicerent: *Sive pater ſive mater nomen impoſiturus erat*, confirmat dicta mea D. Chryſoſt. hom. 51. in Gen. *rarum quoddam & novum imponebat, ut per illud aliqua futura præſignificaret; maximè verò pueri virtutem exercerent.* Hinc idem ſanctus Præſul locum illum Geneſis perpendens, ubi Thare Pater, filio ſuo impoſuit nomen Abram, præclarè ait: *Attende quomodo parentes, licèt infideles forent, ductu potentiſſimæ ſapientiæ DEI nomen puero impoſuerint Abram, quod eſt tranſitor, jam antea ſignificantes eum inde migraturum. Eſt enim & hoc divinæ miſericordiæ futura per infideles dicere.*

Quare ſi verè *Nomen operationis index eſt*, ac parentes etſi infideles, ex ſpeciali tamen Divinæ Sapientiæ ductu; quandoque filijs ſuis, talia impoſuerint nomina, quæ eorum cum vita convenerint: exiſtimabimúſne, glorioſiſſimo Papæ & Martyri Clementi manſuetiſſimum hoc

Digitized by Google

hoc à clementia progenitum nomen, fortuitò, aut ex puro parentum beneplacito, fuiſſe impoſitum? Arbitrabimúrne, Fauſtinum Romanæ Urbis Patricium Virúmque conſularem, ac omnino fauſtiſſimum, abſque omni DEI ductu filiolo ſuo indidiſſe nomen Clementis? Profectò jure quàm optimo; ſi vitam magni hujus Papæ & Martyris, quem Chriſtus *ſuper omnia bona ſua in his terris conſtituit*, conſiderem; verba D. Chryſoſtomi paulò antè allata, eidem applicare poſſum ac dicere: *Parentes licèt infideles forent ductu potentiſſimæ ſapientiæ DEI, nomen puero impoſuerunt Clemens, ſignificantes eum fore Clementem.* Quod etiam quàm verum fuerit, & S. Pontifex; in moribus ac operibus ſuis *Clemens* fuerit, præſens elucidabit dictio.

Si proprietates eximiæ illius virtutis clementiæ, de qua Caſſiodorus in epiſt. ſuis hæc effatus: *Sola clementia eſt, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recuſant*; paulò accuratiùs indagem, adverto primùm, Romanum Philoſophum Senecam non aberrâſſe, quando libro de ira eam ſic deſcripſit: *Clementia eſt temperantia animi in poteſtate ulciſcendi*; quaſi diceret: *Clementia moderatur hominis animum*, eámque potentiam, quæ erumpere ad ulciſcendum ſolet, ità cohibet, ut affectus omnes cum ſuavitate temperet. Adverto dein & Hugonem Victorinum Præſulem doctiſſimum, quàm optimè animum clementia præditum, his verbis expreſſiſſe: *Clemens dicitur animus, quando eſt tener ad compatiendum, facilis ad remittendum, promptus ad ſubveniendum.* Nec abs re, ſiquidem ejuſmodi animus, aſſimilatur quodammodo, vel ipſi clementiſſimo DEO, qui de ſe ait Exod. 33. *Clemens ero, in quem mihi complacuerit*; id eſt, cui voluero, ero *tener ad compatiendum, facilis ad remittendum, promptus ad ſubveniendum.* N. 376. *Caſſiodorus.* *Seneca.* *Hugo Vict.* *Exodi 33.*

Et hac divina virtute animum S. Præſulis noſtri, decoratum fuiſſe, quis ambiget? certè ſi mores ejus, ac inculpatam prorſus, mox à teneris tranſactam vitam conſiderem; animadverto, eum veraciter fuiſſe in omnibus actionibus *clementem*. Et quomodo non foret *clemens*, qui vel ab ipſa urbe, in qua natus eſt, clementiam feliciſſimè cum lacte ſuxit? nam ſi Livio teſte, *Roma plus veniâ & clementiâ, quàm victoriâ ſuum auxit imperium*; participaverit hauddubiè non modicùm ab ea de clementia, qui de generoſiſſimo, utì ac nobiliſſimo ejus, ſcilicet Quiritum ſangvine deſcenderat. Præterea ſi clementia originem *Livius.*

Digitized by Google

D. Chryſol. ſuam traxit è *montibus cæli*, atteſtante D. Chryſologo dum ait: *Fundamenta clementiæ in montibus ſanctis ſunt.* Quomodo non & D. Clemens noſter imbueretur clementiâ, qui primam, eámque vitalem auram hauſit, *Romæ in monte Cælio*; vel *ad portam cæli montanam*, ùt refert teſtis integerrimus D. Irenæus, lib. 3. c. 3. Deniquè ſi veteribus *Roſa inter ſpinas*, ſymbolum fuit clementiæ, fuerit is jure optimo clemens; ut qui velut roſa Chriſtianitatis fragrantiſſima, prodijt ex ſpinis idololatriæ, Parentibus videlicet, falſorum Deorum cultui deditis.

D. Irenæus.

N. 377. Hinc DEUS optimus videns ejuſmodi præclarum D. Clementis animum, adhuc Juvenis; clementiâ aliiſque naturalibus virtutibus exornatum: *Submiſit illi non ſolùm, amplas poſſeſſiones* (ùt ait D. Bernardus ſerm. de Sancto) *hæreditatem multam, ſcientiam quoque, quàm plurimam, ita ut optimus quidam illius temporis Philoſophus haberetur.* Sed inſuper ut vera ac ſalvifica Fide imbueretur, ſubmiſit ei eximios Legis ſuæ gratiæ Doctores, videlicet D. Paulum, quem S. Ambroſius ſerm. 69. nominat *Doctorem Gentium, Nutritorem Eccleſiæ, ut qui populum DEI paſcebat, diverſorum varietate ferculorum.* Maximè verò clementiæ ac manſuetudinis lacte, prout ipſe fatetur 1. ad Corinth. cap. 3. *Lac vobis potum dedi.* Sub hoc clemente prorſus Nutritio, quàm excellenter profecerit S. Clemens, imò quàm præclaros progreſſus fecerit in Chriſtianis virtutibus, pietate, charitate, animorum zelo, ac potiſſimùm in ea clementia, quæ animum reddit tenerum ad compatiendum, facilem ad remittendum, & promptum ad ſubveniendum, teſtatur abundè vel unicum illud officium, quòd ex Apoſtolorum Diſcipulo, mox eorum in laboribus *Coadjutor* factus ſit, juxta illud D. Pauli ad Philip. c. 4. *Mecum laboraverunt in Evangelio, cum Clemente & cæteris Adjutoribus, quorum nomina ſunt in libro vitæ.*

D. Bernard.

S. Ambroſius.

1. Cor. 3.

Philip. 4.

Et quomodo non foret Apoſtolorum Coadjutor, qui D. Pauli non ſolùm indefeſſus laborum ſocius, ſed ejus quoque virtutum ſedulus extitit imitator ac æmulator. Nam quemadmodum D. Paulus omnia hujus mundi decora contempſit, ac ùt ipſe ſcripſit ad Philip. 3. *Omnia detrimentum feci, & arbitror ùt ſtercora*; ità exemplo ejus incitatus D. Clemens: *Fidelem ſe probavit DEO*, ait D. Bernardus, *ac pro ejus amore omnia contempſit, omnia detrimentum faciens, arbitratus eſt ùt ſtercora.* Hinc quamprimùm ſacro ablutus Baptiſmate, Chriſtianis fuit

Philip. 3.

D. Bernard.

Digitized by Google

ſuit annumeratus, mox meliori modo quàm antè Ananias & Saphira, poſſeſſiones ſuas, etſi quàm plurimas, lætus ac hilaris detulit ad pedes Apoſtolorum; deſeruit amore Chriſti propinquos & familiares, ſprevit omnia mundi oblectamenta; ſéque per ſacros ſuſceptos ordines, arctiùs DEO & Religioni Chriſtianæ obſtrinxit. Præterea quemadmodum D: Paulus: *Omnibus omnia factus, ut omnes faceret ſalvos*, 1. ad Corinth. 9. videlicet: *Factus eſt infirmis infirmus, ut infirmos lucrifaceret; factus eſt Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucraretur.* Sic quoque D. Clemens, ab innata ſibi ſtimulatus clementia, *omnibus omnia factus*, ſuccurrebat omnibus, ſervis, liberis, paganis, Judæis, adeóque erat tener ad compatiendum, facilis ad remittendum, promptus ad ſubveniendum; ut de eo idem dicere poſſim, quod D. Petrus Damiani de magno Apoſtolo, ſerm. 2. de S. Paulo: *Vide quàm dulcioris miſericordiæ cumulata benignitas, totam D. Clementis mentem vera compaſſione ſuccenderet; beata prorſus anima, quæ omnium miſerias ſuas fecerat, ut omnes lucrifaceret; hoc affectu navigavit mare, currebat per urbes, affligebatur.* Denique D. Paulum potiſſimùm expreſſit, in exarandis Epiſtolis, quas ad varias deſtinaverat Eccleſias. Unde ſicut D. Paulus in his verè audijt Clemens, ipſæque redolebant dulcedinem ac clementiam, ùt diſertè fatetur D. Ambroſius ſerm. 69. dicens: *Quænam Pauli epiſtola non melle dulcior eſt, & lacte candidior?* Ità & epiſtolæ D. Clementis tantâ abundabant dulcedine ac clementiâ, ut his nutantes in fide confirmaverit, preſſos ac deſolatos recreaverit, omnes denique ad virtutem ſectandam incitaverit; & ſic primitivam illam Eccleſiam mirum in modum illuſtravit. Bene proinde de eo ſcripſit D. Hieronymus lib. de Viris Illuſt: *S. Clemens multa ſcripſit, & accuratè, & ſalutariter, quibus Chriſtianam Religionem illuſtravit.*

N.378. 1. Cor. 9. D. Ambroſ. D. Hieron:

Quis nunc exprimendo erit ejus clementiſſimum animum, qui nullâ perſonarum acceptione illaqueatus, tam bonos quàm malos, tam fideles quàm infideles, ardenti complectebatur amore, hos quidem ut conſervaret, illos verò ut immutaret ac converteret. Certè plurimùm felicem, prædicare quis poſſet, Arcam illam Noëticam, quæ per tantum temporis ſpatium, feras illas beſtias, ſibique prorſus contrarias in pace & quiete continuit; at feliciorem longè dixerim, Arcam Clementinam, ſeu manſuetiſſimum ejus animum, qui feros recepit, &

 man-

Digitized by Google

manſuetos dimiſit, quod nequaquam præſtitit Arca Noëtica. Nam teſtante D. Chryſoſtomo; hom. de laud. Pauli: *Arca illa corvum recipiens, corvum rurſum emiſit, & includens lupum, feritatem ejus mutare non potuit. Hæc verò* quod ipſe ait de Arca Paulina, hoc ego de Clementina) *accipitres miluóſque ſuſcipiens fecit columbas, & excludens omnium irrationalitatem, manſuetudinem ſpiritûs introduxit.*

D. Chryſoſt.

N. 379. Placet hujus rei luculentum percipere exemplum? percipite, quod in vita ejus enarrant Hiſtorici. Siſinnius Romanæ urbis Vir conſularis audiens, Theodoram Conjugem à D. Clemente Papa Chriſtianorum cætui adſcriptam, Martyrum inſuper adire cryptas, eorúmque ſacra venerari lipſana, tanto furore mox fuit correptus, ut ſtricto enſe ſubſequentibus famulis per urbis plateas cucurrit, ſuámque conjugem, omnes propè angulos luſtrans pertinaciter inquiſiêrit; at ubi in conſpectum venit S. Clementis ejúſque miram in verbis & actionibus notavit clementiam, tantâ ſubitò ductus fuit pœnitudine, ut qui velut lupus rapax, ad perdendum conjugem advenerat; S. Clementis ope, agnus evaſerit manſuetus, ac ſtupentibus famulis, non ſolùm inventam conjugem non redarguerit, ſed ejus ad exemplum in Fide Chriſtiana inſtrui à Præſule, ardentiſſimè expetierit, factúſque votorum compos, Religionem Chriſtianam ſummopere propagavit.

An non igitur Clementina hæc Arca longè præſtantior erat vetere, quæ accipitrem ſuſcipiens fecit columbam? præſtantior ſanè erat, quæ per inſitam ſuam clementiam, non Siſinnium ſolùm cicuravit, ſed complures alios ferocire dedocuit; teſtatur id, vel ipſe crudeliſſimus Romanorum Prætor Mamertinus, qui à tot perpetratis in Chriſtianos cædibus, quos ferro & igne exterminare cupiebat, ipſis beſtijs truculentior audiebat. Hic Divum Clementem captivum ſuſcipiens, omni tormentorum genere excruciatum, cogitabat è vivis tollere, ni ſacrificaret Dijs; at aliter res accidit, vix Virum ſanctum intuitus eſt, vix paucos cum eo miſcuit ſermones, & ecce à lingva ejus, *cui inerat lex clementiæ,* tantopere fuit immutatus, ut cùm eum, ob ſevera Cæſarum decreta, liberum dimittere non poſſet, in exilium ſolùm relegavit, his verbis pro conſolatione adjectis, ùt teſtatur Baronius: *Scito Clemens, DEUS, quem tu ſincerè colis, opem tibi feret, eritque ùt ſpero, & ſolatio & auxilio.* O Virum ſanè clementiſſimum! quem lex cle-

Prov. 31.

Card. Baron.

Digitized by Google

clementiæ in lingva ejus, ità amabilem reddidit, ut ferociſſimos quóſque captivos duceret, ac manſuefaceret.

Quare cùm tibi in exilium proficiſcendum ſit, Sanctiſſime Clemens: progredere magnis animis, & DEUS, quem ſincerè colis, opem feret tibi, eritque ſolatio & auxilio; relinque tantiſper Oves Romanas Paſtor optime, & alias in exilio tuo offendes, quas varijs calamitatibus preſſas ſolari oportebit: ingredere Tauricam Cherſoneſum, & licèt barbaris referta ſit inquilinis, nequaquam tamen animo concidas, multóque minùs eos expaveſcas, ſiquidem omnes hi tibi reſervantur; ut à tua clementia ſuaviter allecti, feritatem exuant, & Chriſtianam induant humanitatem. Proinde dum ità Divum Clementem militibus ſtipatum, exultantem in exilium duci intueor: imaginor mihi in eo Heroëm quempiam Gedeonem, qui contra Madianitas proficiſcens, una manu tubam ad inflandum, alterâ lagenam ad eam confringendam deferebat. Nec abs re: *Siquidem Chriſti milites*, ait Divus Iſidorus, *pro magno habent prædicationis gratiam, pro minimo verò corporum fractionem.* Sic & Divus Clemens tubam Prædicationis Evangelicæ pro magno habuit, eam alacriter ac imperterrito animo inter barbaros detulit, atque pro minimo habuit proprij corporis fractionem.

N. 380.

Iudicum 7.

S. Iſidorus.

His ità inſtructis Divus Clemens hilaris demum pervenit in Tauricam Cherſoneſum, ubi rurſum inſita ejus clementia, animúſque tener ad compatiendum, promptus ad ſubveniendum, vel maximè ijs in oris omnibus ſeſe exhibuit ſpectabilem. Nam ſi quæram ex mille illis Chriſtianis, qui ab impio Imperatore Decio ad diffringendos lapides, & ſecanda marmora, condemnati fuerant, quidnam duriſſimum eorum exilium mitigaverit, eóſque ad fortiter toleranda verbera, æſtus, frigora, aliáſque cœli injurias heroicè perferendas animaverit? abſque dubio dicent; mira Divi Clementis clementia nobis omnia dura & aſpera reddidit lenia & facilia. Si denuo ex ijſdem quæram, quis ardentem eorum ſitim, ferventiſſimo quodam æſtatis tempore, ſedaverit, ac reſtinxerit? quis è petra duriſſima profluentem excitaverit fontem, ex quo ſeſe maximo delibuti gaudio refecerunt? an non promptè reponent id unicè effeciſſe benigniſſimam Divi Clementis clementiam: quæ precibus ſuis Dominum JESUM tam poten-

tcr

Digitized by Google

ter attraxit, ut ſe eidem in figura clementiſſimi Agni præſentaverit, dextróque pede in præalto colle abundantem aquam exhibuerit. Demum ſi vel ipſos in barbara feritate enutritos interrogem incolas; quiſnam ipſis ablata barbarie verum reſtituerit humanitatis ſenſum? quis pulsâ idololatriâ, disjectíſque Deorum fanis ac delubris veram Chriſti Religionem introduxerit, atque unius propè anni ſpatio, ſexaginta quinque Eccleſias exædificaverit? quis inquam triginta millia animarum ijs in locis ſacro ablutas Baptiſmate, Chriſtianorum cætui aggregaverit? nunquid non unanimi reſpondebunt voce, zeloſiſſimam Divi Clementis clementiam id præſtitiſſe? reſpondebunt enimverò, dicéntque unicum hunc poſt DEUM, benigniſſimum Patrem ipſis fuiſſe & ſolatio & auxilio.

N.381. Interea quod obſtupeſcendum eſt, etſi Divus Clemens, ferociſſimos etiam barbaros, clementiâ ſuâ mitigaverit; etſi è ſilicibus petráque duriſſima aquas eduxerit; tamen duriſſimum Trajani Imperatoris animum emollire non potuit; qui auditis tot per eum patratis miraculis, gentiliúmque converſione, ab impijs ſtimulatus Popis præcepit ſatellitibus ſuis, ut Virum ſanctiſſimum ligatis manibus & pedibus appenſáque ad collum anchora in mare præcipitarent. Quod etiam impij illi juſſa Principis exequentes velociter perfecerunt; dum maximo cum Chriſtianorum fletu & ejulatu, qui eminus in littore ſpectabant; Divum Clementem è navi in mare præcipitârunt. Verùm nec hîc impunè ſe mergi permiſit, ejus admiranda clementia, quæ poſtquam Romanos Principes (*qui alioquin veniâ & clementiâ ſuum auxerunt imperium*) flectere ac lenire non potuit; ipſum impetuoſum alias & *inclemens mare* ad navigandum, mitigavit, ac ut impoſterum contra morem tranquillum eſſet, præcepit. Imò DEUS optimus ad teſtandam hujus Sancti virtutem & ſanctitatem, inauditum prorſus præſtitit miraculum; dum ſubitò in gratiam ſervi ſui; non quemadmodum olim Jordanem, ad aliquod ſpatium retrocedere juſſit, ſed illud ipſum profundiſſimum mare; ad tria millia paſſuum, ità in medio diviſit, ut ſtantibus per modum muti utrinque aquis; Chriſtiani, rei eventum expectantes, ſiccis pedibus introire, ac ibidem templum marmoreum, quod Angeli ad cuſtodiendum corpus ſancti; ſubitò exædificârunt videre ſumma cum voluptate potuerint.

Cæſ. Baron.

Qua-

Quare ut ad te mea ſeſe convertat dictio, ſanctiſſime Clemens, cùm innata tibi clementia, vel ipſum turbulentiſſimum ſedaverit mare Ponticum; illúdque omnino tranquillum, ac permeabile reddiderit; fac ut & nobis inſurgentes tentationes, ac tribulationum fluctus, quos penè quotidie in hoc magno & ſpatioſo vitæ noſtræ mari experimur, quantocyùs componantur, nè ex improviſo ab eorum impetu obruti, miſerè aliquando ſubmergamur. Imò beatiſſime Pater, cùm tuos ardentiſſima ſiti laborantes, ſubitò ſcaturienti fonte recreaveris, impetra quoque nobis à Divina Majeſtate aquam internæ conſolationis ac refrigerij, ut anima noſtra, dum tædio, ariditate, deſolatione premetur, ab illa recreata; ipſum quoque, qui tibi in monte Agni inſtar clementiſſimi comparuit, ac ſcaturientem pede demonſtravit, abſque fine laudet, & benedicat.

CLAS-

Digitized by Google

CLASSIS VII.
FESTA SS. CONFESSORUM.

In Feſto S. Martini Epiſcopi & Confeſſoris.

CONCIO I.

Martinus lucerna ardens & lucens. S. Bernard.

ARGUMENTUM. *Lucernas appellatos fuiſſe in Lege veteri, Reges ac ſummos Sacerdotes; in nova verò Apoſtolos, Epiſcopos, & animarum Paſtores, tam ſacri quàm profani atteſtantur Hiſtorici. Idcirco mearum partium eſſe exiſtimavi; D. Martinum, tanquam radioſam quampiam lucernam in candelabro Eccleſiæ poſitam, omnibus ſpectandum præbere, unàque oſtendere, quomodo is* Juvenibus *præluxerit innocentiâ & caſtitate*, Militibus *probitate & pietate*, Monachis *mortificatione & abſtinentia, demum* Eccleſiæ Præſulibus *humilitate, animarum zelo, & mirâ in adverſis patientiâ.*

Nemo accendit lucernam, & in abſcondito ponit. *Lucæ cap. 11.*

N. 382. Alios inter honorificos titulos, quibus Viri glorioſi, virtute ac ſapientiâ eximij in ſacris paginis condecorabantur; erat non in poſtremis, imò primos inter, & ille, dum quempiam ob præclara acta nominabant *Lucernam*, ſeu *Lumen* præfulgens. Idcirco titulum hunc ipſis quoque Regibus & ſummis Sacerdotibus, ſi præclaro vitæ exemplo alijs præluxerunt, gratioſè attribuebant. Sic ve-

teri

teri in Lege ſummus Sacerdotum Heli nominatus fuit *lucerna DEI.* 1. Regum 3. eò quòd ipſe, etſi vitiosè benignus in filios, laudabiliter tamen, & Sacerdotem egerit, & 4. annis judicaverit Iſraël: *Lucerna DEI fuerat Heli* (confirmat dicta mea D. Iſidorus, epiſt. ad Maſ.) *quia dignitate ſacerdotali pollens, juſtitiæ claritate fulgebat.* Sic etiam appellari meruit, Regum ſanctiſſimus David, *lucerna Iſraël*, 2. Reg. 21. ut qui verè teſte Sanctio in lib. Regum: *Regni totius lux & ſplendor erat, qui & populo maximo fuit ornamento, & præivit omnes, vitæ exemplo & zelo juſtitiæ.* 1. Reg. 3. S. Iſidorus. 2. Reg. 21. P. Sanct. in lib. Reg.

Gratiæ verò in Lege, non ſolùm magnus Præcurſor Domini Divus Joannes Baptiſta, ob admirandos virtutum fulgores, quos undique ſpargebat, à Chriſto vocatus eſt *Lucerna ardens & lucens*, Matth. 11. Non ſolùm Apoſtoli, dum eis diceret Dominus; *vos eſtis lux mundi*, Matth. 5. ſed & ipſemet Chriſtus Dominus, à S. Joanne Evangeliſta nominatus erat lux: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum.* Et meritò: *Nam lucerna erat Chriſti humanitas*, ait Dion. Carthuſ. *quæ luce ſapientiæ ac virtutum illuſtrata totum mundum illuminavit.* Hinc poſtmodum Eccleſiæ Præſules, Gentium ac Populorum Doctores, quià vitâ & Doctrinâ alijs prælucebant, eóſque illuminabant, hoc præcellenti quoque exornati fuêre titulo. Nam D. Baſilio perhibente epiſt. ad Cæſar: *Lucerna Eccleſiæ eſt Epiſcopus, ut coruſcantem dogmatum & actionum ſplendorem aliis impertiatur.* Matth. 11. Matth. 5. Ioan. 1. Dion. Carth. D. Baſilius.

Verùm enimverò, ſi Epiſcopi aliíque Eccleſiæ Prælati jam olim comparati fuerunt *lucernæ, lumini, luci*; Non abs re, ſed aptiſſimè prorſus fecit D. Bernardus, qui encomiaſten D. Martini acturus eum pariter homil. de Sancto, nominavit, & comparavit lucernæ: *Martinus lucerna erat ardens & lucens, clarus meritis & miraculis.* Nec immeritò, nam hic Vir hic eſt, quem eximius virtutum variarum ſplendor, magnis etiam Apoſtolis fecit ſupparem; fortiſſimis Martyribus non inferiorem; inclytis verò Confeſſoribus ac Virginibus planè parem & æqualem. Bene proinde de ipſo ait Diſcipulus: *Partem habuit Martinus cum omnibus Sanctis novi Teſtamenti; cum Apoſtolis, quia Spiritus Sanctus ſuper eum, ſicut ſuper Apoſtolos in ſpecie ignis deſcendit; item cum Martyribus; fuit enim Martyr, ſi non actu, tamen voluntate, cujus* N. 383. D. Bernard. Diſcipulus.

Digitized by Google

ſanctiſſimam animam, etſi gladius perſecutoris non abſtulit, tamen palmam Martyrij non amiſit; fuit Confeſſor, quia Chriſtum corde, ore, & opere confeſſus eſt; fuit & Virgo, quia integritatem corporis & mentis ſervavit. Unde factum ut lucerna hæc, non in abſcondito poſita ſed ſuper candelabrum Eccleſiæ; ac clariſſimus ejus virtutum fulgor, orbem pervaſerit univerſum. Totámque Chriſti illuminaverit Eccleſiam. Nam *per omnem telluris ambitum* (ait D. Pet. Dam.) *inclyti hujus Epiſcopi memoria eſt diffuſa, & ubicunque reſonat fides Chriſti, reſonat & vita B. Martini.* Quare nec ego hac mea dictione, à glorioſo hocce Præſulum titulo recedam, ſed paucis oſtendam Divum ac inæſtimabilem Virum Martinum fuiſſe lucernam ardentem & lucentem, ac exemplari ſua vita, Juvenibus, Militibus, Religioſis, ac Præſulibus nitidiſſimè præluxiſſe.

D. Pet. Dam.

N. 384. B. Petrus Dam. mirabilem S. Martini vitam, réſque eximiè ab eo geſtas ad mentis trutinam revocans, hæc de eo ſcribere non dubitavit, ſerm. de Sancto: *S. Martinus nobilis erat Confeſſor, Sacerdotum gloria, pretioſa Epiſcoporum gemma, Clericorum regula, lumen & ornamentum Monachorum, qui terrarum orbem lumine ſuæ cognitionis & ſanctitatis implevit.* Et quidem ex ejus vita quod conſtat, mox ſuis ab annis puerilibus id præſtitit, quando videlicet adoleſcentibus primùm velut lucerna clariſſimo caſtitatis fulgore præluxit. Si adoleſcentiæ obſervem ſtatum, adverto nullam hominis ætatem, adeò pronam eſſe ad vitia, nullam adeò propinquam ruinæ & ſeductionibus obnoxiam, ac adoleſcentiam. *Juventus verè eſt difficilis* (audet dicere S. Chryſoſtomus hom. 1. ad pop.) *jactabilis, fallibilis, vehementique eget fræno*; nè quandoque veluti indomitus & recalcitrans equus abeat in præceps; maximè ſi præcellentibus naturæ donis, & rerum terrenarum affluentiâ ſit inſtructa. Idem agnovit D. Ambroſius: *Vicina ſemper eſt lapſibus adoleſcentia,* ait, *quæ variarum cupiditatum æſtu, fervore calentis inflammatur ætatis.* Hinc ſæpenumero accidit, ut ætas hæc, ſi ſibi ipſi relinquatur, ſi deſiderata gaudeat libertate, momento juvenes optimos, transformet in peſſimos; & qui paulò antè, ob innocentiam, puritatem, probitatem radiabant ùt Angeli, ſubitò malorum depravati exemplo dæmonibus evadant pejores. Teſtes ſanè eſſe poſſunt, Abſolones, Nerones, Heliogabali, & plurimi alij, quos noxia libertas decepit, lupus & libido perdidit.

D. Pet. Dam. D. Chryſoſt. D. Ambroſ.

In

Digitized by Google

In hoc periculoſo vitæ ſtatu, quam bene ac laudabiliter ſe geſſerit D. Martinus, quàm præclarum puritatis & innocentiæ ſplendorem, etſi à paganis editus Parentibus quaquaverſum diffuderit, teſtantur Hiſtorici abundè. Nam cui hoc non videatur mirum parens tribunitiâ poteſtate, ſub Conſtantio Imperatore inſignis, urgebat filium, ad vacandum diſciplinis militaribus, & ſuperſtitionibus Idololatricis, quibus ipſemet erat totus addictus; Martinus è contrario DEI ductum obſervans: *Decennis adhuc parentibus invitis Eccleſiam ingreſſus, albo Catechumenorum voluit inſcribi; oppidò pietatis operibus afficiebatur, frequens erat in templis, ſæculi ſtrepitus fugitabat, familiares hominum congreſſus vitabat, Deique conſortio gaudebat. Verbô, ſuam baptiſmalem innocentiam omnibus diebus vitæ ſervavit.* Sic de eo S. Bernardus ſerm. de S. Luxit proinde juvenibus, dum manifeſtè ſuo oſtendit exemplo, etiam ſub ethnicis & paganis Parentibus ſervare quempiam poſſe illibatam animi corporiſque puritatem. *D. Bernard.*

Quemadmodum nunc his prætulit puritatis & innocentiæ lumen; ità quoque militibus ſeſe exhibuit lucernam ardentem & lucentem; & quidem militibus, qui ſibi omnia licere arbitrantur; imò pro teſſera impudentiſſimè illud gerunt, *omne quod libet, licet.* Status hic quàm multos in tranſverſum egerit; quàm excellentes etiam animas, varijs naturæ ac gratiæ donis præditas in peſſimam vitiorum voraginem præcipitaverit, quotidiana id declarat experientia, quæ unà cum Divo Bernardo ſerm. ad milit. docet idem eſſe *militiam*, ac *malitiam*. Illúdque adagium nimis quàm verùm; *Rara fides, pietáſque Virûm, qui caſtra ſequuntur.* Et tamen quod obſtupeſcendum eſt, etiam in hoc ſtatu, etiam in hac *militia*, ſeu *malitia*; ità lucerna noſtra D. Martinus plena luce & ardore, radiabat, ut eam nulla militaris malitia extingvere, nullus inſolens vitiorum turbo præfocare, aut obſcurare potuerit; quin imò in ejus medio ampliùs & ampliùs fulgurabat, multóſque in ſui pellexit admirationem. Confirmant id ſacra ejus acta, quæ Severus Sulpitius conſcripſit: *Summo ſtudio,* ait ipſe, *militiæ vitia fugiebat, frugaliter omnino victitabat, ut ſimilior Monachi, quàm militis eſſe videretur. Erat in omnes comis & benignus, patientiâ & charitate inclytus - - agros milites comiter inviſebat, ſua pauperibus liberaliter erogabat, præcipuóque miſerationis affectu nudos proſequebatur.* N. 385. *D. Bernard.* *Severus Sulp.*

Digitized by Google

Atque in hoc divino pietatis genere, pulcherrimum militibus reliquit exemplum, pauperes non penitùs deglubendi, ſed ijs etiam ex proprio aliquid largiendi. Nam cùm fortè ſæviente bruma, cum Commilitonibus ad Ambriani Portam ſubſtitiſſet, obtulit ſeſe ei malè veſtitus pauper, eleemoſynam precatus, qua nuditatem ſuam, aliquomodo poſſet operire. Cùm is ab alijs militibus repulſam fuiſſet paſſus; Martinus miſericordiâ motus, ùt alias facere conſueverat, mox educto gladio chlamydem mediam diſcidit, alterámque ejus partem pauperi erogavit, alteram ſibi reſervavit, explodentibus eum interim (ùt mos eſt) vanis his homuncionibus, militibus; quibus inſuper factus eſt riſus jocúſque. At placuit egregium hoc pietatis opus Domino, *qui ſequenti*
Sever. Sulp. *nocte ei apparuit*, ait Sulpitius, *indutus illâ dimidiâ veſte, andivitque Dominum dicentem Angelis ſuis, ecce Martinus adhuc Catechumenus, hac veſte me contexit.* En quanti DEUS æſtimet ea, quæ ſui causâ pauperibus erogantur.

N.386. Nunc ad lumen illud progrediamur, quo Religioſis & Præſulibus tanto coruſcantium radiorum nitore præluxit; ut lumen & ornamentum Monachorum, ac lucerna Eccleſiæ DEI meritiſſimo jure ab omnibus audierit. Nam poſtquam militiæ, mundóque valedixiſſet; D. Hilarij Pictavienſium Epiſcopi adhortationibus obſequens Diſcipulus adeò profecit, ut ſpreto Diaconatu, quo ſe pauper & humilis indignum judicavit; paucis ſtipatus monaſticam vitam complexus eſt. Et primùm quidem in deſerta quadam Tyrrheni maris Inſula, DEO die noctéque ſerviens, tam arctam ſuſcepit vitam; *ut*, teſte Sulpitio, *nonniſi radices herbarum ederet, biberet aquam, die ac nocte cilicium deferret.* Dein D. Hilario ab exilio, quo eum exturbârant Arriani, revertente, ejus ſuaſu extra urbis Pictavienſis mœnia monaſterium conſtruxit, ac complures, quos nactus fuit, Diſcipulos boni exempli lumine tantopere illuminavit ac inflammavit, ut hi ad omnem currerent religioſæ vitæ perfectionem, pluréſque poſt ſe traherent, qui idem amplecterentur inſtitutum. Unde Vir Sanctus videns indies augeri ſuum gregem, Turonem conceſſit, ac loco aſpero juxta Ligerim fluvium, aliud exædificavit monaſterium; ubi cum octoginta Monachis, pleríſque
Flos Sanctor. nobili ſangvine natis, talem vitam auſpicatus eſt; ut omnes terreſtres
Ribaden. quidam cenſerentur eſſe Angeli. *Ipſis enim*, ait Flos Sanctorum, *arcta*

erat

erat habitatio exciſa in ſaxo, magis morti meditandæ, quàm vitæ conſervandæ concinnata. Nullus re quapiam tanquam propria utebatur; omnes de communi vivebant, omnes ſub veſperam communitèr veſcebantur, nullus niſi æger vinum libabat; veſtes eis erant de camelorum pilis contextæ. Et omnibus hiſce luminis inſtar præfulſit D. Martinus, dum eos ad perfectionem exemplis, verbis conſilijs incitavit.

Verùm enimverò cùm *in immenſum creſceret fama ſanctitatis ejus*, ut ait D. Petrus Dam. accidit ut complures Urbes ac Diœceſes ſuo viduatæ Paſtore, interea verò lucernæ hujus fulgore irradiatæ, ſibi eam depoſcerent Paſtorem ac Præſulem, cuperéntque illam non relinqui in abſcondito alicujus monaſterij, ſed ſuper candelabrum Eccleſiæ, ut ſic luceret omnibus, qui in Domo DEI ſunt. At Martinus Vir verè *pauper & modicus*, qui omnem extrinſecum gloriæ & honoris fugit ſplendorem, ac nonniſi deſideravit abjectus DEO vivere, conſtanti ſemper animo oblatas ſibi repudiavit Infulas, ſeque in abſcondito magis ac magis occuluit; donec tandem diſponente DEO, ad Turonenſium cathedram, quam ſub idem tempus Epiſcopus fatis concedens, vacuam reliquerat aſſumptus, ſeu veriùs raptatus, & violentè impoſitus eſt. Nam cùm Cives Turonenſes non neſcirent, ſi ei offerrent cathedram, eum infallibiliter detrectaturum onus, neq; facilè monaſticam ſuam deſerturum ſtationem; idcirco ad dolum converſi Ruricium quendam ſubornârunt, qui uxoris ægritudinem prætendens eum in civitatem evocaret, illi interim, poſitis in plateis excubijs eum præſtolabantur. Unde venientem cum Ruricio, mox turmatim aggreſſi ſunt; in templum induxerunt, ac reluctantem in Epiſcopali collocavêre ſede; applaudente & collætante tota urbe, ſolo Martino lachrymante, qui ſe indignum prorſus tanta dignitate rebatur. N. 387. D. Pet. Dam.

Hoc excellens profundæ humilitatis exemplum, dum mente mea revolvo, optarem ut & noſtris temporibus ejuſmodi in Clericali ſtatu reperirentur Martini, qui honores Eccleſiaſticos non appeterent, ſed fugerent; non aureis piſcarentur hamis, ſed ultro etiam oblatos generosè reſpuerent, qui ad ſummas Præſulum Infulas & cathedras, non ſe tumultuosè, amicorum freti potentiâ intruderent; ſed nutum potiùs DEI præſtolarentur. At eheu! contrarium plerumque, etiamnum fieri conſuevit: *Curritur paſſim ad ſacros Ordines* (deplorat ambitioſum N. 388. D. Bernard.

 hunc

hunc in Eccleſia DEI abuſum D. Bernardus lib. de perſec. cap. 29.) *& reverenda ipſis quoque ſpiritibus Angelicis miniſteria homines apprehendunt, ſinè reverentia, ſinè conſideratione. Curritur in Clero paſſim* (idem repetit ſcribens Henrico Senen. Archiepiſc. epiſt. 42.) *ab omni ætate & ordine, à doctis pariter & indoctis ad Eccleſiaſticas curas, tanquam ſinè curis jam victurus ſit, cùm ad curas pervenerit.* Et paulò pòſt: *Cùm primos honorum gradus meruerint in Eccleſia (meruerunt autem, vel vitæ merito, vel pecuniâ, ſeu etiam carnis & ſanguinis, quæ regnum DEI non poſſidebunt prærogativâ) non ideo corda quieſcunt, duplici ſemper æſtuantia deſiderio, quo ubique magis, & dilatentur in plura: & ad excelſiora ſublimentur, verbi gratiâ, cùm factus quis fuerit in quacunque Eccleſia Decanus, Præpoſitus, Archidiaconus, aut aliquid hujuſmodi, non contentus uno in una, plures ſibi, imò quotquot valet conquirere honores, ſatagit, tam in una quàm in pluribus, quibus tamen omnibus ſi locus evenerit, libenter unius præferret Epiſcopi dignitatem. Sed nunquid ſic ſatiabitur? factus Epiſcopus, Archiepiſcopus eſſe deſiderat; quo fortè adepto, rurſum neſcio quid altius ſomnians, laborioſis itineribus & ſumptuoſis familiaritatibus Romanum ſtatuit frequentare palatium.* En quàm graphicè inſatiabilem hanc humani cordis ambitionem, etiam in Clero dominantem deſcripſit D. Bernardus. Hæc ſanè animæ peſtis, cor D. Martini, ſubintrare nullo modo poterat, ut qui ſemper in ſuis oculis, *pauper & modicus*, omnem Eccleſiaſticam refugit dignitatem; Præſulum verò Infulam nonniſi coactus & lachrymans ſuſcepit.

Quibuſnam verbis jam exprimam fulgorem illum vehementiſſimè coruſcantem inclytæ lucernæ noſtræ, poſteaquam ea diſponente Domino, acceptante & applaudente populo, ſupra candelabrum Turonenſis Eccleſiæ poſita fuit? certè quod Siracides quondam de ſummo Sacerdote Simone Oniæ filio effatus eſt, cap. 50. dicens: *Quaſi Sol refulgens, ſic ille refulſit in templo*; hoc ego meliori modo dicere valeo de S. Martino: *Quaſi Sol refulgens, ſic luminoſa noſtra lucerna refulſit in templo, in Eccleſia DEI.* Nam ex hac fulgurabant, omnes radij virtutum Epiſcopalium, ex hac coruſcabat zelus gloriæ ac honoris DEI; ex hac reſplendebat zelus animarum, & charitas erga proximum; ex hac rutilabat mirè patientia in adverſis; verbò, ex hac lucebat humilitas, obedientia, paupertas, manſuetudo, & aliæ ſinè numero virtutes,

Eccli. 50.

Digitized by Google

tutes, quas cùm longum foret enarrare, ſolùm aliquid proferam de inſatiabili ejus animarum zelo, ac admiranda in perſecutionibus tolerantia.

Nam vix Epiſcopale in humeros ſuos ſuſcepit onus, tanto mox charitatis igne accenſus flagrabat animarum zelo, ut apertum indiceret bellum tenebrarum Principi, idololatriam ubivis locorum inſectatus fuerit, gentiléſque quàm plurimos, ad veram pœnitentiam, ac ſuave jugum Chriſti attraxerit; adeò ut ei aptiſſimè id applicari poſſit, quod Syracides de optimo Rege Joſia protulit: *Ipſe directus eſt divinitùs in pœnitentiam gentis, & tulit abominationes impietatis*, c 49. Verè enim zeloſiſſimus hic Præſul, non ſolùm ex ſua Diœceſi Turonenſi, ſed ex tota ferè Gallia, eliminavit Idolomaniam; proſcripſit errorum ſacrificulos, contrivit Dæmonum ſimulacra, evertit ſuperſtitionum fana, & libidinum lucos. Denique *omnes tulit abominationes impietatis*; pulchrè id confirmat D. Bernardus: *Quantùm juſtitiam eſurierit, tum in cæteris ejus actibus, tum ſpecialiter in Idololatriæ perſecutione probatum eſt*, in templorum deſtructione, in ſtatuarum *dejectione, in ſucciſione lucorum. Ibi ſe quoque aliquando non eſt veritus dare diſcrimini, ut occaſio tanti criminis de medio tolleretur.* Nam dum vice quadam Divus Martinus unà cum ſuis ad id congregatis moliretur excindere annoſam pinum; ſub qua enormes patrabantur ſuperſtitiones, accurrêre extemplò Pagani, qui eum omni modo impedire conati ſunt: at cùm nihil proficerent, & Sanctus in cœpto perſeveraret opere; nonnemo jocoſior ex ijs ſic eum allocutus fertur teſte Sulpitio: *Nos ipſi ſuccidemus arborem, tu tantùm cadentem humeris excipe, non deerit tibi, quem colis, DEUS tuus.* Placuit conditiu Sancto, admovent etiam gentiles ruſtici ſinè mora manus ſuas, ſecant pinum, & ecce ruentem ſuper ſe facto ſigno Crucis in alteram abigit partem, quæ ſuper eos ruens nonnullos ſauciavit, imò oppreſſit. Hæc videntes cæteri è veſtigio dederunt manus, Chriſtíque fidem alacres ſuſceperunt.

N. 389. — Eccli. 49. — D. Bernard. — Sev. Sulp.

Nec minus radiabat ex eo patientia in adverſis, quæ eum invictis Martyribus parem, ſi non ſuperiorem effecit, nam quemadmodum magnus Apoſtolus Paulus 2. ad Cor. 11. copioſos prorſus enumerat fructus, quos ei heroica virtus patientia protulit: *In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter -- in*

N. 390. — 2. Cor. 11.

in periculis fluminum, periculis latronum, periculis in falſis fratribus: Sic eoſdem propè recenſere poteſt D. Martinus, quandoquidem & ipſe patientiâ armatus, plagas ſæpiùs ſuſtinuit ſupra modum, virgis publicè cæſus, aliiſque ſupplicijs affectus eſt; imò mortem ſibi intentatam, non ſemel ſed iteratò divinâ evaſit ope. Fructus hos quaſi compendiò enarrat D. Bernardus: *Cæterùm perſecutiones quas ſuſtinuit propter juſtitiam, longum eſt numerare*, ait ipſe, *quomodo circa alpes ſub ſecuri, quam in verticem ejus latro vibrabat, ſecuriſſimus fuit. Quomodo eum Mediolani Auxentius Arrianus graviter inſectatus, multiſque appetitum injuriis, tandem de civitate exturbavit. Quomodo & alibi prius adversùs Sacerdotum perfidias acerrimè pugnans, ſuppliciis fuit affectus, publicè virgis cæſus, inde quoque exire compulſus eſt. Quomodo itèm in everſione fani, cùm gentilis eum ſtricto gladio peteret, nudam cervicem præbuit percuſſori, donec ille extollens ad ictum dextram cecidit reſupinus. Quomodo illum alter cultro ferire voluit, ſed ferrum de manibus lapſum repente diſparuit.* Idcirco & eum propter hæc patienter tolerata, inclytum Martyrem nominare non dubitavit. *Pro his omnibus dubium non eſt multipliciter coronari eum, qui quidem etſi non ſemel affectu conſummatæ paſſionis, ſed toties Martyr fuit affectu devotiſſimæ voluntatis.*

D. Bernard. ſerm. de S.

Maximè autem coruſcavit patientia ejus in injurijs, quas ei etſi Epiſcopo ſanctiſſimo proprij irrogârunt Clerici: *Tantam enim adversùs omnes injurias patientiam aſſumpſerat* (ait denuò S. Bernardus) *ut cùm eſſet ſummus Pontifex, impunè etiam ab infimis Clericis læderetur, nec propter id eos aut loco unquam amoverit, aut à ſua, quantum in ipſo fuit, charitate repulerit; quod quidem in Brictio manifeſtè probatum, omnes vos arbitror meminiſſe. Eum nempe ex omnibus ſibi ſucceſſorem elegit.* O Virum ineffabilem! ô Virum Chriſtianâ charitate pleniſſimum! qui ſciens *Chriſtianitatis noſtræ ſummam eſſe diligere inimicos, benefacere his, qui oderunt nos*; eis vel maximè afficiebatur, qui illum affligebant, ipſiſque ùt verus Chriſti Diſcipulus reddebat bonum pro malo. Hujus igitur S. Præſulis ad exemplum optarem ut quivis Chriſtianus, taceo jam Clericus vel Epiſcopus ſuos diligeret inimicos, & ab his offenſus non quæreret in dies & annos vindictam. Sed illud D. Ambroſij lib. 1. offic. c. 36. menti ſuæ firmiter imprimeret: *Vindicare ſe, non eſt actus fortitudinis, ſed abjectionis & timiditatis.*

S. Bernard.

D. Ambroſ.

Venio

Venio nunc ad ultimam vitæ ejus ſanctiſſimè in terris tranſactæ periodum. Lucerna deficiente jam oleo, prope finem, antequam extingvatur, vel maximè lucere deprehenditur, adeò ut reſiduum olei attrahens, intenſiorem quàm aliàs emittat luculam; eáque emiſsâ ſubitò expiret. Nec aliter ſe geſſit inclyta lucerna noſtra D. Martinus, qui poſteaquam eximio variarum virtutum ſplendore omnes irradiâſſet, demum vicinus morti, idem virtutum lumen quaquaverſum vehementiſſimè diffudit. Nam cùm Diſcipuli ejus, gravi correptum febri, humi cubantem cernerent; velléntque eum in lectulum, ad quieſcendum collocare; conſtanter renuit dicens: *Non decet, ô filij, Chriſtianum, niſi in cinere & cilicio mori.* Cúmque ijdem audirent, aſſiduas illius ad DEUM fuſas preces eò tendere, ut ſe ex illo mortali carcere liberaret, plorantes dicebant: *Cur nos Pater deſeris? cui nos miſeros derelinquis? quorum voce commotus Martinus ita DEUM orabat; Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem, fiat voluntas tua.* Quæ ultima D. Martini verba dum ponderat D. Bernardus, in has mirabundus prorupit voces: *O verè ſanctiſſimam animam! ô ineſtimabilem charitatem! ô obedientiam ſingularem! Bonum certamen certaſti, curſum conſummâſti &c. & adhuc dicis, non recuſo laborem? fiat voluntas tua? obtuliſti planè Iſaac unicum illum quem diligis, quod in te eſt, jugulâſti. Immolâſti ſingulare gaudium tuum pia devotione paratus redire iterum in pericula, innovare certamina, denuo ſubire laborem, ſuſtinere tribulationem. -- Poſtremò quod maximum eſt, à Chriſto tuo peregrinari diutiùs, ſi modò ipſe voluiſſet.* Bene proinde de eo ait ſancta Chriſti Eccleſia: *ô Virum ineffabilem! qui nec mori timuit, nec vivere recuſavit.*

N. 391.

Ex Breviar.

D. Bernard.

Lucernam igitur fuiſſe *ardentem & lucentem*, magnum Turonenſium Præſulem D. Martinum nemo unquam dubitabit; ſiquidem ipſe ad amuſſim planè implevit illud, quod Servator noſter ſuis quondam inculcavit Diſcipulis: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona*; dum videlicet toto vitæ tempore (quam tamen ad octogeſimum uſque protraxit annum) ſereniſſimos ſemper virtutum ſuarum undique ſparſit fulgores; & non ſolùm juvenibus innocentiâ & caſtitate; ſed & militibus probitate & pietate præluxit, nec his duntaxat, verùm & Monachis, & Clericis, & Epiſcopis, tanto prævivit virtutum ſplendore, ut omnes ſatis habeant in ipſo quod mirentur, & imi-

imitentur. Quare & nos ejus irradiati ſulgore, efficiamus, ut & noſtra lux luceat coram hominibus; operemur & nos bona ad omnes, ut ex noſtris quoque bonis operibus *glorificetur Pater noſter, qui in cœlis eſt.*

In Feſto S. Ignatij Fundatoris Societatis JESU.

CONCIO II.

Ignis à DEO illatus.

ARGUMENTUM. *Ex occaſione illius dicti Salvatoris noſtri, Lucæ 12.* Ignem veni mittere in terram. *Oſtendo D. Patriarcham noſtrum, verè unum aliquem ex Viris illis zeloſis, ac Spiritu Sancto plenis, per ignem ſignificatis, fuiſſe; ut cujus non ſolùm nomen S. Ignatius de Lojola anagrammaticè expreſſum*: O Ignis à DEO illatus, *hoc ipſum indicat; ſed multò magis vita ejus zeloſis ac ferventiſſimis actibus pleniſſima. Unde eidem applico elogium illud, quod aliàs ſacer Eccleſiaſticus, ferventiſſimo tribuit Eliæ, c. 48. oſtendendo primò, quomodo* ſurrexit quaſi ignis *in amore DEI & proximi: dein, quomodo* verbum ejus quaſi facula ardebat, *demum quomodo* amplificatus ſit in mirabilibus ſuis; *quæ DEUS optimus per eum, tum vivum, tum vitâ functum operatus eſt.*

Surrexit quaſi ignis, & verbum ejus quaſi facula ardebat. *Eccl. 48.*

N. 392. CÆteras inter cauſas, cur Filius Altiſſimi, benedictus JESUS de cœlo deſcendens, in hunc mundum venerit, aſſignat ipſe & hanc, apud D. Lucam c. 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur.* vel ùt græcus magis exprimit textus, *& quid volo, niſi ut ipſa ardeat*, ſcilicet *terra.* Verùm quî hoc intelligi poteſt: *Ignem veni mittere in terram*? ergóne per tot annorum luſtra, imò

Lucæ 12.

imò centurias quàm plurimas, ignis in terra deerat? ergóne univerſa mundi moles, ob ignis carentiam calore deſtituta, meris conſtricta tenebatur frigoribus? ſiquidem vel ipſa æterna Veritas disertè edixit: ſe eum in finem adveniſſe, ut ignem in terram mitteret, ab eóque ipſa accenſa arderet?

Profectò magnum in verbis hiſce Chriſti latere myſterium, nemo non fatebitur, qui textum hunc, paulò attentiùs, animo perpenderit. Hinc SS. PP. Ambroſius, Athanaſius, Cyrillus, per ignem hunc, non illum materialem quo utimur, ſed alium quempiam ſpiritualem, quo hactenus caruit terra, intelligendum eſſe exiſtimant. *Ignem venit mittere in terram Dominus* (ait D. Ambroſius in Luc.) *non illum conſumptorem bonorum, ſed bonæ voluntatis Authorem, qui aurea Dominicæ Domûs vaſa meliorat, fœnum verò conſumit, & ſtipulam peccatorum:* D. Ambroſ. quaſi diceret; venit in hanc terram, ut viros Spiritu Sancto, qui bonæ voluntatis author eſt; inflammatos atque accenſos ad eam mitteret, qui frigidos in amore DEI habitatores, verbis ſuis calefacerent & accenderent. Conſentit D. Cyrillus in Joan: *Ignis iſte ſalubris*, ait, *ſunt ſacri ſermones Prædicatorum, quo frigidi habitatores terræ, & quodammodo per peccatum extincti, incaleſcunt ad pietatis vitam.* D. Cyrillus.

N. 393. Verùm ſi per ignem ſpiritualem, Viri zeloſi ac Spiritu Sancto pleni intelliguntur; ergóne ante Chriſti in terras adventum tales in orbe defuerint? ergóne in veteri Teſtamento, ignis iſte ſalubris minimè repertus ſit? quo frigidi habitatores terræ, per ſacros Prædicatorum ſermones incaleſcere potuerint? Certè annon Moyſes ejuſmodi Vir zelo ac Spiritu Sancto plenus erat, cùm vel *ex* ſolo *conſortio ſermonis DEI* tantopere inflammatus fuerit, ut forinſecus à radijs, *cornuta eſſet facies ejus*, Exodi 34? An non (alios ut prætercam) Propheta Elias, vir zeloſiſſimus erat? de quo Syracides clarè faſſus eſt, cap. 48. *Surrexit quaſi ignis, & verbum ejus quaſi facula ardebat?* Fateor, erant Viri hi zelo pleni ac divino referti amore; ſed amor eorum erga proximos nonnihil langvebat: *Arſit quidem ignis iſte* (poſſum dicere cum Abulenſi) *ſed & alios conſumpſit*. Moyſes ſanè etſi vir eſſet alioquin mitiſſimus; tamen ùt vidit populum peccantem, graviter eum punivit, ídque morte. *Nam ſtans in porta caſtrorum*, ait, *ſi quis eſt Domini jungatur mihi, & occidat unuſquiſque fratrem & amicum & proximum ſuum.* Quod & factum, Exodi 34. Eccli. 48. Exodi 32.

ctum, *cecideruntque in die illa, quaſi viginti tria millia hominum.* Pari ratione Elias, etſi *ſurrexerit quaſi ignis*, ac flagraverit erga DEUM ardentiſſimo prorſus amore, tamen ignis iſte & alios conſumpſit, præſertim peccatores, quos tolerare omnino non potuit; nam non ſolùm tum nocivus erat, quando ſedens in vertice montis, bis, quinquagenarium Principem, cum quinquaginta evocato de cœlo igne incineravit,
4. Reg. 1. 4. Reg. 1. ſed vel maximè tum, quando 850. Pſeudo-prophetas, nè
3. Reg. 18. unico reſervato occidi juſſit ad torrentem Ciſon. 3. Reg. 18.

Idcirco dum benedictus Dominus advenit miſſurus in terras ignem, ſeu viros zeloſos voluit eos eſſe tales, qui Spiritu Sancto pleni, flagrarent duplici amore, in DEUM videlicet & proximum, intenderent quidem peccatores, ſed non conſumerent. Apparet id in correctione filiorum Zebedæi, qui cùm à Chriſto, contra inhumanos peccatores Samaritanos peterent ignem de cœlo depluum, mox correcti
Lucæ 9. audierunt: *Neſcitis cujus ſpiritus eſtis; Filius enim hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare.* Et tales verè poſtmodum erant omnes Apoſtoli & Diſcipuli Domini, à quibus frigidi habitatores terræ incaluerunt ad pietatis vitam. Talem quoque hiſce ultimis temporibus, ignem à DEO in terras miſſum fuiſſe glorioſiſſimum Patriarcham *Sanctum Ignatium de Lojola*, non ſolùm atteſtatur ipſum nomen per hoc anagramma propoſitum, *ô Ignis à DEO illatus*; ſed vita quoque ejus ſanctiſſima, quæ tantopere duplici in DEUM & proximum flagrabat charitate; ut de eo jure meritiſſimo, idem quod ſacer quondam Eccleſiaſticus de ferventiſſimo ſuo Elia; affirmare queam ac dicere: *Surrexit D. Ignatius quaſi ignis, & verbum ejus quaſi facula ardebat.* Quæ verba, quàm accurratè etiam eidem quadrent, præſens exponet dictio.

N. 394. Purpuratus Eccleſiæ Præſul D. Petrus Damiani, dictum illud DEI
Proverb. 23. per os Salomonis Proverbiorum cap. 23. prolatum: *Præbe fili mi, cor tuum mihi*, altiùs ponderans; animadvertit optimum DEUM ea de cauſa illud ab homine expetere, quia commodiſſima ſedes amoris eſt, in quo videlicet ipſe, totus ac integer commorari ſolet. Unde dum cor ſibi dari efflagitat, deſiderat habere totum, cum amore toto ac in-
D. Pet. Dam. tegro: *DEUS*, ait ipſe, *amorem non recipit eclipticum, ſed ardorem ſibi vendicat copioſum.* Idcirco factum, ut Viri Spiritu Sancto pleni, omni penè tempore, cor non diviſum ſed integrum, amorem non eclipticum,

Digitized by Google

cum, ſed copioſum ac plenum, DEO ſuo lubentes, volentéſque obtulerint. Unus certè D. Auguſtinus, Divino repletus Spiritu, tanto erga DEUM ſuum flagrabat amore, ut atteſtante noſtro P. Roſignolio lib. 2. cap. 20. in ejuſmodi eruperit deſiderium, quo deſideravit, omnia ſua oſſa verti in lampades, ſangvinem verò & medullas in balſamum, ut ſic amore ſuccenſus, totus flagraret, imò penitùs conſumeretur in gratiam ſui benigniſſimi DEI; hinc ſæpiùs illud iterando clamabat è ſoliloq. c. 19. *O amor, qui ſemper ferves, & nunquam tepeſcis, accende me, ut totus, totus diligam te.* *P. Roſignol.* *D. Auguſt.*

At ſi in flagrantiſſimum D. Ignatij amorem (de quo identidem illud affirmare auſim, *ſurrexit quaſi ignis*) mentis meæ conjiciam oculos, video Divinum hunc Ignem tantopere cor ejus occupâſſe, ac occupatum inflammâſſe; ut jure meritò cum Propheta dicere potuerit: *Factus eſt in corde meo, quaſi ignis æſtuans clauſúſque in oſſibus meis*, Jerem. 20. Siquidem & ipſe non ſolùm ùt magnus Auguſtinus deſiderabat omnia oſſa ſua verti in lampades, ſangvinem in balſamum, ſed animitùs exoptabat etiam in inferno, amore DEI ſui optimi in perpetuum ardere, ac omnes, inferni pœnas ſuſtinere cum damnatis, modò eorum in DEUM, quem tantopere amabat, blaſphemias audire non cogeretur. *Ierem. 20.*

Et verò ut amorem ejus fervidum, qui ignis inſtar exſurrexit, tanto clariùs agnoſcamus; dicite mihi amabò, quid denotabant tot profuſæ lachrymæ, quæ etiam cum periculo viſûs, toties ex oculis ejus erumpebant, calidiſſimáſque genas irrigabant? an non amorem intus in corde mirum in modum exæſtuantem? qui cùm pectus undique perureret, natura lachrymas exprimere coacta eſt, ut incendium illud pectoris, aliquod ſaltèm ex-frigefactis guttis, ſentiret refrigerium. Præterea quid ſignificabant inſoliti illi in facie ejus rubores, ut non ſolùm P. Orlandino teſte, *ea purpura inſtar ruberet*; ſed & lucidiſſimos radios, quaquaverſum emitteret, quos oculatiſſimus teſtis D. Philippus Nerius mirabundus conſpexit? an non eundem indicabant amorem? indicabant enimverò illum ipſum; ſiquidem hic, poſteaquam formam ignis aſſumpſiſſet occultari, nequaquam ſe in corde paſſus eſt, ſed per lucis ſuæ radios, palàm ſe manifeſtavit, ſuæque potentiæ expreſſit magnitudinem. Denique quid ſibi volebant flammivomi illi globi, qui N. 395. *P. Orland.*

 ad

Digitized by Google

ad aras celebranti, ſuper caput ejus viſi ſunt? quid ipſiuſmet corporis in altum elevatio? quid crebra harum vocum iteratio, *quàm ſordet mihi terra, dum cœlum aſpicio; DEUS meus & omnia; ô utinam te homines nôſſent?* an non rurſum præfervidum ejus ignis inſtar operantem exprimebant amorem? profectò hunc ipſum & nil aliud. Siquidem ipſe in occulto morari impatiens, globos illos igneos, ex corde ſui Dilecti, quaſi ex accenſo quodam furno ejaculabatur, ipſúmque corpus potentiâ ſuâ, quâ ſemper altum petit, elevabat, ac lingvam in eas amabiles cogebat erumpere voces, ut ſic ab omnibus facillimè agnoſceretur.

N. 396. Cùm autem amor DEI in homine maximè eluceat tempore perſecutionis, ſi videlicet eum nulla contriſtet tentatio, nulla frangat adverſitas, nec ulla commoveat, ac in amando DEO retrahat ærumnarum congeries; auſim dicere amorem illum Divi Ignatij, *qui ſurrexit quaſi ignis*, & quidem quaſi ignis vehemens, non ſolùm non imminutum fuiſſe in perſecutionibus & afflictionibus, ſed in ijſdem tantopere creviſſe, luxiſſe, arſiſſe, ut cum veritate illud de eo affirmare poſſim, quod D. Petrus Dam. de S. Paulo: *Quo plus adverſitatum ventis impellebatur, eo ardentiùs in amore DEI inflammabatur.* Id ſanè teſtabuntur ferreæ illæ catenæ & compedes, quos in abſtruſos conjectus carceres, lætus ac hilaris perferebat; teſtabuntur idipſum ſæpius inflicta verbera, ac propudiosè impactæ alapæ, quæ conſtanti animo patientiſſimè tolerabat. Verbô, teſtabuntur id perquam ſatis graviſſimæ illæ injuriæ & calumniæ, quibus à varijs hominum ſtatibus appetitus, eas nihilominus mente prorſus heroica, amore DEI ſui generoſiſſimè concoquebat. Nam Salmanticæ, cui id non mirum videatur conjectus in vincula, pedore & ſqualore carceris per 40. & ampliùs dies maceratus; cùm ab amicis viſitaretur, ac ad tolerandum fortiter excitaretur, ſereno planè vultu conſolatoribus ſuis edixit: *Non ſunt Salmanticæ tot compedes, quos non ego amore mei JESU perferrem.* In ſuburbio Pariſino propè monaſterium Monialium ab inceſtuoſis juvenibus, quibus aditum ad præfatum monaſterium intercluſerat ad mortem uſque ſæviſſimè verberatus, unicam illam DEO optimo gratiſſimam, ubi ex deliquio ad ſe redijſſet, edidit vocem: *DEO gratias*; agendo videlicet Divinæ Bonitati gratias, quòd dignus habitus eſſet pro nomine & amore

D. Pet. Dam.

P. Orland.

P. Ribaden.

Digitized by Google

re ejus contumeliam pati. In Golgothæa rupe ſacra redemptionis noſtræ veſtigia tenero animi cum ſenſu viſitans, ab inhumano apprehenſus Turca, tantopere fuſte contuſus fuit, ut ægrè corpus vitam trahere potuerit, & tamen anima amore DEI geſtiens gaudebat ei aliquantùm ſe aſſimilatum fuiſſe, qui noſtri causâ in domo Caiphæ & Pilati tam ingentia ſuſtinuiſſet verbera. Amor igitur in pectore D. Ignatij exardeſcens adeò vel in ipſis perſecutionibus crevit, ut verè illud repetere auſim, *quo plùs adverſitatum ventis impellebatur, eò ardentiùs in amore DEI inflammabatur.*

Nunc quemadmodum igneus ille amor S. Ignatium, totum quantum impellebat ad amandum DEUM ſuum; ſic non minori conatu ex- N.397.
timulabat eum, ad diligendum proximum, ad ſuccurrendum maximè peccatoribus, qui in periculo perdendæ ſalutis propriæ, deſides ac ignavi verſabantur. Et in hoc multò eum excellentiorem reddidit, Prophetâ Eliâ, qui amando DEUM oderat peccatores, nec inter eos pacificè morari poterat. Unde DEUS optimus D. Chryſoſtomo teſte, *videns pertinacem Eliæ animum à miſericordia abhorrentem, à peccatoribus ipſum ſegregavit*; & ex hoc orbe ſublunari ſuſtulit. At amor ille D. Ignatij, qui ſurrexit quaſi ignis tantopere cor ejus inflammavit, ac ad ſuccurrendum ſceleratiſſimis quoque incitavit, ut eorum ſalutem ſuæ propemodum antepoſuerit. *D. Chryſoſt.*

Summè laudatur dictum in amore proximorum flagrantiſſimi D. Auguſtini, qui erga oves ſibi commiſſas, tanta flagrabat charitate, ut palàm eiſdem diceret: *Nolo eſſe ſalvus ſinè vobis*, ídque ad mentem Apoſtoli ad Rom. 9. qui *optabat anathema eſſe à Chriſto pro fratribus ſuis*, id eſt, juxta D. Chryſoſtomum: *Optabat in gehennam mitti, & judicium ſubire perpetuum pro ſalute fratrum.* At non minori præditus erat charitate D. Ignatius, qui ut aliorum procuraret ſalutem, ſuam propriam, communi damnationis periculo exponere non dubitavit. Memorabile ſanè eſt illud, quod P. Orlandinus, P. Ribadeneira, aliíque Hiſtorici de eo commemorant. Cùm enim vice quadam Patrem Jacobum Laynez, Virum omni probitate conſpicuum, apud ſe haberet, piáque cum eo miſceret colloquia, reliqua inter quæſivit ex eo, quid ſibi ex his duobus, ſi optio daretur, eligeret dicens: *Elige tibi Pater, utrum velis mox diem obire, ut ad Superos tendas, vel diutiùs ſuperſtes eſſe,* *Paolettus.* *P. Orlandinus*

eſſe, gratiſſimum obſequium præſtiturus DEO; hac tamen lege ut minimè ſis de ſalute tua certus, ſed communi ſubjaceas periculo damnationis. Cúmque reddidiſſet P. Laynez, mox obire. Ego quidem, inſtat ipſe, eligerem diu commorari, communi periculo expoſitus; ut JESU illuſtre libarem obſequium. Ingens profectò erat, amoris hujus ignei, vis & potentia! qui non ſolùm in DEUM, ſed & in proximum tanto ferebatur impetu; ut non tantùm nollet ſalvus eſſe ſinè illis, ſed inſuper eorum ſalutem, ſuæ voluit anteponere, ſéque pro ipſis in communi ſtatuere periculo damnationis.

N. 398. Hinc omnem movebat lapidem, omnem adhibebat operam, ut ijs, maximè peccatoribus ſuccurreret, eóſque de peccatorum cœno ereptos, ad meliorem vitam transferret. Propterea non ſatis erat huic intenſiſſimo amori ſurrexiſſe velut ignis, niſi & foras erumpens, apud eundem efficeret, ut *verbum ejus quaſi facula arderet*, quod ſacer Syracides de ſuo quondam ferventiſſimo aſſeverat Elia. Et ſanè an non D. Ignatij verbum quaſi facula ardebat, tum quando pro ſuggeſtu perorans, Auditorum animos tantopere inflammavit; ut P. Orlandino teſte, *flammas effundere, corda urere videretur*; eáque ad amandum DEUM, accendens, ad omnem pietatem ac virtutem ſectandam incitavit? Verbum inquam ejus an non quaſi facula ardebat, quando ipſos in ſceleribus obſtinatos, in malo quodammodo congelatos peccatores, alloquio ſuo calefecit, calefactos ad pœnitendum accendit, accenſos poſtmodum in amore DEI flagrare effecit? Unicum profectò id abundè declarabit exemplum, in quo igneum ejus verbum, vel in ipſis aquis extingvi neſciens juxta illud Cant. 8. *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem*, flagrantiſſimè exarſit.

Cant. 8.

Ibat (ùt P. Orlandinus refert) ſub auroræ tempus in præurbium Pariſinum per ponticulum quempiam, ſub quo lacus hærebat ſtagnans, Nobilis quidem, ſed profligatiſſimæ vitæ Juvenis quiſpiam, ad depravatiſſimam mulierculam, turpiſſimi amoris aſylum: ut ibidem inſatiabilis cordis ſui æſtus ac inſanas animi cupiditates, pro more expleret. Hoc ubi inaudijt zeloſiſſimus ævi noſtri Elias D. Ignatius, à charitate proximorum ſtimulatus, mox de medio cogitare cæpit, quo juvenem hunc è ſordibus hiſce extraheret, extractúmque meliori vitæ redderet. Quare ingenioſo pariterque forti conſilio rem, pro pudicitia aliena

na recuperanda, animo pluſquam heroico ſic aggreſſus eſt: ſub idem tempus quo juvenis adventare conſuevit, ipſe (etſi hiems eſſet, & utcunque frigidum) veſtibus tamen ſe exuit, abjecit omne doloris obſtaculum, ipſúmque mortis contempſit periculum, & ad reſtingvendam inſanam alterius flammam, in glacialem ſtagni vorticem ſeſe immiſit, ac interea tranſeuntem per ponticulum juvenem his verbis affatur: *Quouſque infelix juvenis, perituris ebrius deliciis, his voluptuosè inhærebis? quouſque inſanas animi cupiditates voluptatibus paſces? non cernis inferni apertas fauces, non miſerabilem infelicis æternitatis abyſſum; ut illuc te Divinæ vindictæ enſis, qui ſuper tuum jam fulgurat caput, deturbet? Ego certè non priùs hinc pedem efferam, quàm doloribus hiſce meis à capite tuo, malum hoc prorſus horrendum avertam, tibíque DEUM placatum reddam.* Dixit & dum verbum ejus quaſi facula arſit, ità durum ac frigidum juvenis pectus emollijt calefecítque, ut eundem ſubitò inflammatum, ſpurcis voluptatibus valedicere, atque omnium cum admiratione, caſtam, meliorémque impoſterum vitam inſtituere compulerit. Bene igitur de igneo noſtro Ignatio illud ex Sapientiæ capite 16. dicere poſſum: *Ignis in aqua valebat*, id eſt, ùt explicat Hugo Vict: *Ignis amoris in aqua accendebatur, ardebat in turbine, lucebat in occulto.*

P. Orlandin.

Sapient. 16.

Hugo Victor.

N. 399.

Demum poſtquam Siracides Eliam ſuum comparâſſet igni, eúmque mirum in modum deprædicâſſet hiſce verbis: *Sic amplificatus eſt Elias in mirabilibus ſuis*, mox adjecit, *& quis poteſt ſimiliter ſic gloriari tibi*? Siquidem tu ille es: *qui ſuſtinuiſti mortuum ab inferis de ſorte mortis in verbo Domini DEI*; innuens non facilè unum aliquem repertum iri, qui ſic in mirabilibus amplificatus poſſit gloriari, de mortuo in vitam revocato. At ſi mirabilia D. Ignatij mihi in mentem revocem, quæ thaumaturga DEI dextra per eum operata eſt, audacter dicere queo: *Ignatius poteſt ſimiliter ſic gloriari tibi*; *ſiquidem & ipſe, ſuſtulit mortuum ab inferis de ſorte mortis in verbo Domini DEI.* Rem paucis accipite: Barcellonæ infelix quiſpiam homuncio, maniâ, an diaboli inſtinctu neſcio, ad præfocandum laqueo, ſibi gulam adactus, in conclavi remotis alijs, ſeſe ex trabe ſuſpendit; re intellectâ domeſtici, mox clamores excitant; magiſtratui indicant, concurrit civitas, ipſéque ſeverior juſtitiæ miniſter, qui reſecto fune, miſeri corpus, velut

P. Riladen.

ſpolium ſuum, ad furcam deportaturus, ſeſe jam accinxerat, verùm à ſuperveniente D. Ignatio detentus, jubetur è conclavi, cum alijs paulisper recedere, quibus recedentibus in terram proſtratus ferventiſſimæ ſe tradidit orationi; petens à DEO optimo, ut animam hanc non velit absque confeſſione prævia è vita hac auferre: oravit igitur & quidem profuſis copiosè lacrymis, ac DEUM optimum è veſtigio exoravit, qui ad interceſſionem ſui famuli perdilecti, mortuum vitæ reſtituit, ut animam peccatorum ſordibus maculatam, ſeriâ confeſſione emacularet; quod & maximo animi cum dolore & contritione cordis promptè perfecit.

Miraculum hoc dum accuratiùs perpendo, animadverto DEUM ad petitionem S. Ignatij, majus quodammodo patrâſſe opus, quàm cùm primum creavit hominem. Nam ibi poſtquam eum, ex limo formâſſet, ait textus ſacer, *factus eſt homo in animam viventem*; vel ùt græcus habet, *factus eſt in animam loquentem*; ſuum enim unicuique ad ſe adventanti animali aſſignavit nomen; at hic longè meliore modo, *factus eſt homo in animam loquentem*, dum promptiſſimè omnia ſua peccata enarrando, integrè confeſſus, miſericordiam DEI aſſecutus eſt. Meritò igitur D. Ignatius ſimiliter ſic gloriari poterat; quia & ipſe *ſuſtulit mortuum ab inferis, in verbo Domini DEI ſui.*

N. 400. Et non ſolùm ſic amplificatus eſt in mirabilibus ſuis S. Ignatius vivens, ſed & vitâ functus, nam ſi relationes ex Pontificio Diplomate à P. Daniele Bartoli depromptas inſpiciam; in quibus quàm plurima juratis teſtibus comprobata adducuntur miracula, deprehendo non paucos in vitam, eo ad DEUM intercedente, revocatos fuiſſe. Profecto Munebregæ in Hiſpania, *poſtquam chariſſimus Medici cujuſdam filiolus, ferè adhuc timeſtris offulâ ex vino præfocatus eſſet, darétque jam parens de illius funere mandata, ex oppoſito verò mater vitam ejus à S. Ignatio repoſceret, ac infantem oleo ex lampade Divi liniret; ſtatim infans qui credebatur mortuus, fletu vitam ſibi redditam eſſe teſtatus eſt.* Nec aliter accidit (ùt idem refert Author) puellæ duodenni in pago, cui Pardo nomen, quæ ex profluvio ſangvinis diem obierat. *Flebat ſanè mater dolore confixa coram S. Ignatio, flagitans, ut ſuam hoc etiam in filiæ caſu potentiam celebraret; nec enim illi operoſiùs futurum, mortuo vitam à Domino obtinere, quàm membrorum officiis capto reſtitutionem.*

P. Bartoli.

Ho-

Digitized by Google

Horis jam quatuor jacebat mortua, cum ecce vocem appellantis ſe mater excipit. Vivo inquit mater, S. Ignatius me vita reddidit; ſurgénſque non modò ſanitate, ſed plenis viribus donata paulò pòſt ad oves paſcendas redijt. Denique plures alios ut prætercam; Manreſæ, ſimiliter in Hiſpania, anno ſæculi hujus undecimo, Sanctus noſter vitam infanti cuidam utramque contulit, temporariam & æternam. *Natus hic fuerat poſt mortem* (verba ſunt Authoris) *& ſeorſum interim abjectus, dum matri conſulitur ex eo partu penè morienti: à matre obſtetrix ad infantem reverſa, liventem & mortuum, & baptiſmi piaculo miſerta, poſitis genibus S. Ignatium obſecrat per quicquid illi eſſet Manreſa charum, ubi tot à DEO fuerat bonis cumulatus, animam redderet infelici, ad hoc ſaltèm, ut Chriſti lavacro tingeretur. Quæ dum orat videt infantem moveri, & oculos aperire, exclamánſque cum ijs quæ illic aderant, factum miraculum; viventem gratulabunda ad matrem retulit.*

Quæ cùm ità ſint & D. Ignatius, verè *Ignis natus*, ſeu *Ignis à DEO illatus* terris, duplici eáque ferventiſſima in DEUM videlicet & proximum flagraverit charitate, mortaléſque omnes, verbo ſuo ignito, quod quaſi facula ardebat ad amandum DEUM accenderit, dicens: *Amate DEUM ex toto corde, ex tota anima, ex tota voluntate veſtra;* S. Theodor. obſequamur & nos piæ huic adhortationi, & ex toto corde *diligamus eum, qui prior dilexit nos;* & cùm D. Theodoro teſte, orat. de char: *Dilectio in DEUM accenditur, divinarum rerum contemplatione:* contemplemur obſecrò, amabilem illam, omnium pulchritudinum pulchritudinem, quæ omnium animos ac mentes in ſe abſorbere conſuevit, illúdque inſtanter cum S. Paulino ab eo petamus: *Domine JESU!* S. Paulin. *qui veniſti ignem mittere in terram, ſemper hoc igne nos accende; ut illo ſemper ſemper ardeamus, hic enim ſolus, qui à te eſt ignis, igni reſiſtet æterno.*

Digitized by Google

In Feſto S. Franciſci Xaverij Indiarum Apoſtoli.

CONCIO III.

Novus Indiarum Apoſtolus. Ex Bulla Urbani VIII.

ARGUMENTUM. *Laudaturus pro tenuitate mea S. Franciſcum Xaverium, ex Bullis Pontificiis declaro, eum verè unum è magnis fuiſſe Apoſtolis; nihilque minus ab ipſis feciſſe Unde, cùm de illis hæc aſſerat D. Marcus*: Illi autem profecti, prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. *Oſtendo I. eum Apoſtolorum more* profectum fuiſſe, *etiam ſinè calceamentis. II.* Ubique prædicâſſe *intrepidum, maximo animarum cum lucro. III.* Domino cooperante *ingentia perpetrâſſe prodigia, ut meritò Dominus ac Domitor elementorum paſſim audiêrit.*

Ipſi autem profecti prædicaverunt ubique.
Marci c. 16.

N. 401. QUod magnus quondam Hipponenſiũ Præſul D. Auguſtinus; perpendendo vitam prorſus exemplarem, maximi Eccleſiæ Doctoris D. Hieronymi, in laudem ejus Epiſtola 205. ad Cyrillum Jeroſolymitanum disertè effatus eſt; hoc quoque acturus de rebus præclarè geſtis glorioſiſſimi Indiarum Apoſtoli D. Franciſci Xaverij, pro merito uſurpare poſſum, ac præſentem dictionem, his iiſdem verbis inchoare: *Cœli enarrant gloriam DEI, & omnia quæ fecit Dominus, eum laudant in Sanctis ſuis, & ego laudes S. Xaverij taceam, aut eloquar? ſi taceam, etiam lapidibus jubetur clamare, qui mirabilem ejus vitam ſeculo nuntient.* Et forſitan me tacente juberentur clamare illi lapides, quibus barbari eum ad necem non ſemel ſed ſæpius quæſitum ferociter impetiverunt; aut illi calentes acutíque lapides nuntiarent omnibus

D. Auguſtin.

bus ſæculis, vitam ejus omnino admirabilem, in quos (dum mens ejus, cœlo defixa neſcivit, ubi pedum poneret veſtigia) diſcalceatus impegerat, ſuóque proſiliente è pedibus ſangvine purpuraverat.

Nihilominus *quamvis indignus & inſufficiens laudator exiſtam D. Franciſci Xaverij, tamen à laudibus ejus minimè ceſſabo*; & cùm ex literis Apoſtolicæ Sedis clarè intelligam; *eum gloriâ ſanctitatis & meritorum ſplendore fuiſſe conſpicuum*; audacter pronuntio illud de meo glorioſo Sancto, quod Diſcipulus de ſanctiſſimo Turonenſium Præſule D. Martino, & ajo: *D. Xaverius partem habuit cum omnibus Sanctis novi Teſtamenti.* Nam ſi liligeros Virginum, Agnum Immaculatum ſequentium inſpiciam choros; video eos inter & D. Xaverium, ſiquidem *fuit Virgo, quia integritatem corporis & mentis ſemper ſervavit.* Et quomodo non ſervâſſet, qui vel in ipſo ſomno, ſopitis in corpore ſenſibus, pro ea conſervanda, impuritati ſeſe ingerenti, ad ſangvinem uſque reſtitit. Denuo ſi veneranda Confeſſorum obſervem agmina, eos inter numerari quoque cerno & D. Franciſcum, *ut qui Chriſtum, corde & opere confeſſus eſt*; imò nomen ſui amantiſſimi JESU, animo prorſus infracto, *portavit coram gentibus & Regibus.* Rurſum ſi victrices triumphantium Martyrum perluſtrem cohortes, medium eos inter reperio & D. Xaverium: *Siquidem ejus ſanctiſſimam animam, etſi gladius perſecutoris non abſtulit, tamen palmam Martyrij non amiſit.* Nec immeritò, nam atteſtante P. Orlandino noſtro; *Xaverius non tam martyrio defuit, quàm martyrium ipſi.* Denique ſi vel ipſa ſublimia, magnorum Apoſtolorum conſiderem ſubſellia, animadverto ab ijs non eſſe excluſum D. Xaverium, ut qui re ac nomine, paſſim ab omnibus, maximè à Chriſti in terris Vicarijs, *magnus* audijt *Indiarum Apoſtolus.*

Bulla Vrbani III. **P. Turſell.** **P. Orland.**

N.402. Nam de eo Urbanus VIII. in Bulla Canonizationis, hoc protulit elogium: *Inter cæteros, quos ad perficiendum voluntatis ſuæ Sacramentum, Dominus præordinaverat, fuit egregius ſervus ejus Franciſcus Xaverius, novus Indiarum Apoſtolus, gloria Sanctitatis, & meritorum ſplendore conſpicuus.* Pari ratione ante eum id præſtitit Gregorius XV. qui in ſua quoque Bulla hæc de eo effatus eſt: *Miracula per S. Xaverium, tum vivum, tum mortuum patrata, tam multa, tam varia, tam inuſitata ſunt; ut profectò nihil feciſſe minus à magnis Apoſtolis affirmari poſſit.*

Vrban. VIII. **Gregor. XV.**

Quæ cùm ità ſint & D. Xaverius, meritò magnis annumeretur

Digitized by Google

Marci 16. Apoſtolis; ipſis verò id laudis tribuat D. Marcus cap. 16. *Illi autem profecti prædicaverunt, ubique Domino coopemnte & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Oſtendam eum quoque id ad amuſſim explevíſſe, dum *legante Pontifice* (ùt loquuntur Acta Canonizationis) *cogente charitate oceanum ingreſſus, quæſivit orientales populos, quibus in umbra mortis habitantibus, oriens ex alto Evangelij lux nondum affulſerat.*

Acta Canon.

N. 403. Poſtquam in præalto Olivarum monte, in unum collecti cum reliquis Diſcipulis S. Apoſtoli, à benigniſſimo in cœlos abeunte Domino audiviſſent, *euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ*; paulò pòſt accinxerunt ſe itineri, atque ubi Spiritu Sancto repleti, varijs dotati ſunt chariſmatum donis, *cæperunt ire per mundum*, ait D. Chryſoſtomus, *& incenderunt in circuitu inimicos DEI, ut cùm infideles eſſent, fideles fierent.* Idcirco & Evangeliſta Marcus ait: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique*, id eſt, ùt perhibet B. Dionyſ. Carthuſ. *Petrus ivit in Italiam, Paulus in Græciam, Andreas in Achajam, Joannes in Aſiam, Jacobus in Hiſpaniam, Thomas in Indiam*, alíſque in alias ſibi aſſignatas regiones profecti, ſtrenuos egêre Chriſti Crucifixi Prædicatores; & quidem dum profecti ſunt, memores illius dulciſſimi ſui Magiſtri, moniti: *Nolite poſſidere neque duas tunicas, neque calceamenta in pedibus*, Matth. 10. etiam abſque calceis nudipedes per orbem univerſum diſcurrerunt, *ut pedes* (verba ſunt doctiſſimi Origenis) *qui currebant, ad annuntiandam vitam æternam, omnino carerent mortalitatis indicio.*

Marci. 16. D. Chryſoſt. Dionyſ. Cart. Matth. 10. Origenes.

Verùm cùm atteſtante Sede Apoſtolicâ S. Xaverius, nihil minùs fecerit à magnis Apoſtolis, de eo quoque dicere poſſum: *Ille autem profectus eſt*: Siquidem ipſe, vix nutum (taceo imperium) Sancti ſui Patris Ignatij, de profectione Indica perceperat; mox ſolo Breviario, literíſque Apoſtolicis munitus, poſt acceptam à Sanctiſſimo univerſalis Eccleſiæ Præſule benedictionem, itineri ſeſe commiſit, & primùm quidem in Luſitaniam appulit, ac inde brevi temporis intervallo, chariſſimæ ſibi Europæ valedicens: *Cogente charitate, oceanum ingreſſus, quæſivit orientales populos*, ut eos ſub ſuaviſſimum Chriſti jugum mitteret, cœlóque tranſcriberet. Unde etiam vix orientales illas regiones attigit; & ecce velut alter D. Paulus (dicere volo velut magnus aliquis

Apo.

Digitized by Google

Apoſtolus) *fuit in itineribus ſæpe, in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate*; neque calceamenta quod mireris habens in pedibus, terras illas vaſtiſſimas, lætus ac alacris pervolabat. Teſtantur enimverò id Litteræ Apoſtolicæ Urbani VIII. quæ hæc de eo memorant: *Incredibilia autem videbantur, quæ propter nomen Domini noſtri JESU Chriſti toleraverat, per diverſa etenim regna, in vaſtis illis orbis terrarum ſpatiis, ſemper pedibus, etiam ſæpe nudis, per arenas calidas pergebat, per ſpinas longiſſima itinera conficiebat.* 2. Cor. 11. Vrban. VIII.

Id ſanè unicum nobis abundè declarabit iter, quod hiemis ſusceperat tempore, Amangucio Meacum, ad Regem Japoniæ maximum profecturus. Urbs hæc in medio propè Japoniæ ſita, velut ejuſdem umbilicus, diſtabat Amangucio, centum quinquaginta paſſuum millibus; ad hanc iter ſuum intendere decrevit D. Xaverius, quia verò ob varia pericula bellorum, quibus tota regio ardebat, nulla ſeſe offerebat occaſio, idcirco charitate præcordia ejus percurrente; *Menſe Octobri* (verba ſunt P. Turſellini lib. 4. c. 6.) *quo in tempore frigus ingruit: Equiti indigenæ, Meacum petenti, famulum ſemet adjunxit, ſervitutem quoque pro Chriſto ſibi decoram ratus. Domini ergo equitantis ſarcinulam, præter ſuum Miſſæ inſtrumentum, curſitans geſtabat humeris. Herus quippe curſus magis quàm itineris modo concitabat equum, per obnoxia latronibus loca, & Franciſcus pedibus fermè ibat nudis, quòd rivi amnéſque vado tranſeundi ſe paſſim offerrent. Itaque ſæpenumero pedibus ex nivis & algoris injuria intumeſcentibus graviter laborabat, crebrò etiam curſu, & ſarcinarum geſtatione defatigatus, glacie, aut aſperitate viæ fallente veſtigia corruebat. Quæ ille omnia, non æquo ſolùm, ſed etiam intento in DEUM, & à ſenſibus alienato ſuperabat animo. Unúmque intendebat ut ad præfixum ſibi terminum, quantocyus incolumis provolaret, &c.* Quod dum menti meæ objicio, libet cum Iſaia vate exclamare, *quam ſpecioſi ſunt pedes evangelizantium pacem*; id eſt, ſicut in horologio attracto, rotæ continuò moventur, nec quieſcunt, ut deſideratam indicent horam; ſic & pedes evangelizantium perpetuò optant eſſe in motu, ut populis evangelicam, annuntient pacem. N.404. P. Turſell. Iſaiæ 52.

Poſtquam de magnis Apoſtolis D. Marcus perhibuiſſet, eos varias profectos eſſe terrarum in oras, ſubjunxit: *Prædicaverunt ubique*; N.405.

&

& quidem tanta animi cum fortitudine, tanto ſpiritûs fervore, ut omnis timoris obliti, cuncta occurrentia deſpicerent pericula, imò ad ea ſeſe, intrepidos conjicerent: nec abs re, ſi enim D. Ambroſio teſte in epiſt. ad Theſſal: *Signum devoti & fidelis Prædicatoris eſt, ſi in preſſuris verbum DEI loqui non timeat*; obſervo magnos illos Apoſtolos, non ſolùm non timuiſſe in adverſitatum preſſuris, verbum DEI proloqui, quin imò ipſos verbi DEI adverſarios, ipſos crudelitatis adminiſtros, unà cum omnibus pœnis & ſupplicijs, flocci pendiſſe, pro nihilo habuiſſe. Certè vel unicus D. Paulus, affirmante D. Chryſoſtomo homil. 2. in epiſt. ad Rom: *Tyrannos ipſos ac populos ſpirantes furorem, velut eſſe quoſdam calices exiſtimabat, mortem verò & cruciatus, & mille ſupplicia, quaſi ludum putabat eſſe puerorum.* Nec mirum id alicui videatur, ſiquidem gratia Chriſti, quæ eis ubique aderat, tantoperè illos roboravit, ut adamante fortiores eſſent. *Chriſtus JESUS* (ait D. Hieronymus in Proph. Amos) *Apoſtolis ſuis donavit, ut & ipſi adamantes eſſent, & vocarentur.*

D. Ambroſ. *D. Chryſoſt.* *D. Hieron.*

Et hoc novum quoque Indiarum Apoſtolum accuratiſſimè præſtitiſſe, quis ambiget? de eo ſanè idem quod de Apoſtolis in veritate affirmari poteſt: *prædicavit ubique*; ſiquidem ipſe non ſolùm in Italia, Gallia, Luſitania, ubi jam tum *Chriſti Apoſtolus, magnus Pater, ſanctus Pater,* audiebat, ferventiſſimè pro concione perorabat, verbúmque DEI concurrentibus undique populis annuntiabat; ſed in extremos quoque terrarum fines, animo prorſus imperterrito intulit; primúſque latiſſimam illam Japoniæ regionem, quæ in tres maximas Inſulas, ſeu in ſexaginta ſex regna dividitur; radiante Evangelij luce feliciſſimè illuſtravit. Hoc in prædicandi munere, quàm intrepidum ſeſe exhibuerit, quàm fortiter ſibi omnia occurrentia vitæ contempſerit pericula, luculenter teſtatur Bulla Canonizationis, quæ inter alia hæc de eo profert: *Contumeliis ſæpenumero, probris, & illuſionibus, quin etiam verberibus & lapidibus appetitus fuit.* Certè atteſtante P. Turſellino in ejus vita, lib. 4. c. 5. *Amangucij oppido percelebri, per vias euntem, velut inſanum, magna puerorum, ultimæq; ſortis hominum turba proſequebatur, illudentes, atque ea quæ audierant, Chriſtianorum myſteria, legéſque nominatim, per jocum ac ludibrium inculcantes, quæ omnia tamen æquo, lætóque ferebat animo.* Rurſum in itinere Meacenſi: *In*

Urban. VIII. *P. Turſell.*

Digitized by Google

In oppidis ac pagis, quà tranſibat, in navigiis quibus vehebatur, in viis paſſim ac diverſoriis, omnium erat ludibrium. Imò in urbium Japonicarum maxima Meaco: *Cùm in compitis ad circumfuſam multitudinem, verba faceret, à pueris ac fæce plebis, paſſim obſoletis calceis, aut etiam lapidibus petitus fuit.* Quæ ille tamen animo planè infracto ſuſtinuit, & ab ordinario prædicandi munere, nè tantillùm quidem remiſit.

Dum ità SS. Apoſtoli Domini, ubivis locorum prædicant, ingens etiam ubivis ſubſecuta eſt animorum in terris mutatio; & cùm D. Auguſtino teſte in Pſal. 44. *Præcipuum Apoſtolorum munus eſt Filios generare Chriſto;* accidit ut prædicando copioſiſſimos Chriſto pepererint. Nam vix primùm D. Petrus ad confertam Jeroſolymis die Pentecoſtes, concurrentem multitudinem, os ſuum aperuit, Chriſtúmque Crucifixum à mortuis reſurrexiſſe propalàm atteſtatus eſt; ecce mox die illo filiorum ac filiarum Chriſto generavit tria millia: *Appoſitæ enim ſunt,* ait ſacer textus, *die illa animæ circiter tria millia*, Actor. 2. Pari ratione, quando cum S. Joanne templum oraturus aſcendit, ac prodigiosè perſanato, ad portam templi ſpecioſam jacente Claudo, verba ad ingentem populum fecit; rurſum copioſiſſimos Chriſto generavit filios; ſiquidem atteſtante Scripturâ: *Multi qui audierunt verbum, crediderunt, & factus eſt numerus virorum quinque millia.* Actor. 4. Nec inferiores erant Apoſtoli alij, qui quàm præclarè muneri ſuo Apoſtolico ſatisfecerint, & quàm innumeros propè Chriſto generaverint filios; enarrant in eorum actis Scriptores integerrimi, qui ingentes eis attribuunt Converſorum multitudines. Sanè de unico, at magno Apoſtolo D. Paulo audet dicere S. Chryſoſt: eum penè totum orbem convertiſſe, nam homil. 8. de laud. Pauli clarè ait: *Paulus totum prorſus orbem, fulgentibus linguæ ſuæ radiis illuminavit.*

N. 406. — *D. Auguſtin.* — *Actor. 2.* — *Actor. 4.* — *D. Chryſoſt.*

Verùm ſi fructum illum quem S. Xaverius, ex operoſiſſima ſua in Indijs prædicatione, feliciter conſecutus eſt, mente meâ tantiſper pertractem; adverto ad eum enarrandum, lingvam meam fore inſufficientem, prorſúſque ineptam. Quis enim à magnorum Apoſtolorum tempore, eorundem in prædicando ſucceſſor, viſus vel auditus eſt, qui tot gentes natione barbaras, moribus agreſtes & incultas, unà cum eorum Regibus & Dynaſtis, ad Chriſti fidem traduceret, ac unus Xaverius, decennio in oriente deſudans? Quis unquam in ſacris Hiſtori- N. 407.

corum faſtis notatus fuit, qui tot (nimirum ad decies centena millia) converteret, manúque propriâ ſalutari ablueret fonte; ac unus in laboribus planè indefeſſus Xaverius? Profectò ut in particulari quæpiam exprimam: P. Turſellino teſte (quod & Acta Canonizationis referunt) *In promontorio Comorino, tantus numerus erat ſacra Chriſtiana capeſſentium (vicos enim totos ſingulis diebus non ſemel expiavit) ut inter baptizandum manibus brachiiſque defatigatis ſæpe langueret.* In oppidis verò quorum erant ibidem 30. *brevi tempore viginti Neophytorum millia, Chriſtianis præceptis imbuta baptizavit.* In ora piſcaria; *conſtat ex ejuſdem litteris* (ait idem Author) *ampliùs mille infantes ab eo baptizatos, ſub Baptiſmum in cœlum evolâſſe; ex quo conjectari licet, quanta tandem ſumma fuerit, vel ſuperſtitum infantum, vel adultorum, quos ad Chriſti aggregavit Eccleſiam.* In Travancoridis regno, quantus mortalium numerus ad Chriſtum ejus operâ aggregatus eſt, vel ex eo exiſtimari poteſt, *quòd capitum ampliùs decem millia, ſimul uno tempore baptizavit.*

P. Turſell.

Cap. 6.

Cap. 9.

In Japoniæ Inſulis, quas primus Evangelij luce feliciſſimè illuminavit, eum ingentem hominum multitudinem, ad Chriſti fidem perduxiſſe colligitur, vel inde, quod ſolùm Amangucij urbe perampla, *unius anni ſpatio, ad tria capitum millia baptizaverit.* Demum alia ut prætercam, in urbe Tolo, totius Orientis populoſiſſima, poſtquam mortuum quempiam, & jam terræ mandatum prodigioſè ad conteſtandam Chriſtianæ Fidei veritatem, à mortuis coram refertiſſima hominum multitudine reſuſcitâſſet; non tantùm ùt D. Petrus ſanato claudo, quinque hominum millia convertit, ſed quod obſtupeſcendum eſt, *viginti quinque hominum millia*, uno die in Chriſtum & hunc Crucifixum credere fecit, eóſque probè inſtructos, ſacro tinxit lavacro. Bene proinde Thomas Bozius lib. 6. de Sig. Eccl. Sig. 20. c. 3. reliqua inter encomia, hæc de eo ſcripſit: *Quæ ſolus geſſit Xaverius, non unius viri, ſed Ordinis totius; non decennij, ſed ſæculi labor fuit.* Et tamen poſt hæc omnia parum ſibi feciſſe viſus Xaverius: *ampliùs Domine, ampliùs*, die noctéque inclamabat; animitùs exoptans, omnes homines, ad Chriſtum adductos cœlo inſerere. Nec ulli id videatur mirum; ſiquidem ipſe, ùt de eo ait Gregorius XV. in Bulla Canonizat: *Tam inſatiabili animarum ſiti flagrabat, ut tot populis, regnis, Regibúſque ad*

Cap. 8.

Thom. Boz.

Gregor. XV.

DEUM

Digitized by Google

DEUM traductis, totóque penè Oriente Evangelij luce luſtrato, adhuc anguſtus orbis ejus animo videretur.

Denique de magnis Apoſtolis Domini; poſtquam D. Evangeliſta Marcus eorum enarrans labores dixiſſet: *Prædicaverunt ubique*, mox memoratu digniſſimum illud adjunxit: *Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*; quaſi diceret, ait B. Haymo Halberſtadienſium Antiſtes: *Quicquid Apoſtoli dicebant verbis, Dominus confirmavit miraculis.* Nam non ſolùm Apoſtolorum Princeps D. Petrus, Domino cooperante, admiranda patravit miracula, dum greſſum claudis, cæcis viſum, mortuis vitam, decumbentibus plurimis, etiam per ſolam ſuam in eos deciduam umbram, ſanitatem impertivit; ſed alij quoque Apoſtoli, quos inter DD. Paulus & Barnabas, tanta cooperante Domino ediderunt prodigia, tam admirabiles (ſermonem eorum confirmante Domino ſequentibus ſignis) populis ſeſe exhibuerunt, ut Lyſtris turbæ videntes, claudum ab utero matris momento à D. Paulo perſanatum: *Levaverint vocem ſuam lycaonicè dicentes: Dij ſimiles facti hominibus, deſcenderunt ad nos, & vocabant Barnabam Jovem, Paulum verò Mercurium, quoniam ipſe erat dux verbi. Sacerdos quoque Jovis, qui erat ante civitatem, tauros & coronas ante januas afferens cum populis volebat ſacrificare.* En quomodo Dominus, ſuis impigrè prædicantibus aſtiterit Apoſtolis, quomodo ſequentibus ſignis eorum ſermonem confirmaverit, cóſque quaſi Deos ſibi ſimiles reddiderit? Hæc ſanè omnia eum in finem fecit Dominus, ait D. Gregorius in moral: *Quia Apoſtoli erant Chriſto obedientes, obedientiam verò ſigna conſequuntur.*

N. 408. — *B. Haymo.* — *Actor. 14.* — *D. Gregorius.*

Verùm enimverò, cùm S. Xaverius, atteſtante Sede Apoſtolicâ; *nihil minùs fecerit à magnis Apoſtolis*; & ut ſatis ſupérque demonſtratum eſt, imperterritè *prædicaverit ubique*, immenſo cum animarum lucro: accidit, ut & ipſe Domino cooperante, innumera propè ediderit miracula, ejúſque *ſermonem Dominus confirmaverit ſequentibus ſignis.* Aptè idipſum & planè ad propoſitum meum atteſtatur Bulla Urbani VIII. hæc proferens: *Signa & prodigia, quibus Dominus Apoſtolorum ſuorum ſermonem, in naſcentis Eccleſiæ exordiis confirmavit, ad illius novæ ſobolis incrementum, in manu etiam ſervi ſui Franciſci, miſericorditer renovavit.* Adeò ut ipſum DEUS optimus, quaſi Dominum ac Domi-

Urban. VIII.

Digitized by Google

torem, quatuor elementorum conſtituerit, eíque non tantùm mare & Venti obediverint, ſed Ignis quoque Aër & Terra, promptiſſimè ejus imperanti deſerviêrint voluntati. Profectò ſi cui dubium oboriretur, adëat is obſecro, res ejus geſtas à fide digniſſimis & juratis conſcriptas; conſulat Bullas Canonizationis, pervolvat acta Conſiſtorij, & inibi deprehendet S. Xaverium ob imperium in elementa exercitum, ab hominibus paſſim (ùt quondam DD. Paulus & Barnabas à Lyſtrenſibus) DEUM terræ ac maris fuiſſe appellatum. Nam ùt refert in actis Con-

Acta Conſiſt. ſiſt. Remundus: *Mauri Mahometani, Ethnici, cæterique barbari, Franciſcum Xaverium non magis audita, quàm perſpecta ſanctitate, ac prodigiis, terra marique patratis, DEUM terræ ac maris communi ac publico nomine vocaverunt.*

N.409. Hæc ut authenticis confirmem exemplis; accipite primùm ſtupenda illa prodigia, quæ ipſe pro reductione unius perfidæ Tolanæ urbis, quæ Chriſto Luſitanóque Regi, rebellando nuntium remiſerat, cum admiratione omnium perpetravit. Tolum, Inſulæ Mauricæ urbs ampliſſima, Geliolij externi Tyranni, ſive arma verita, ſive gratiam initura, ſimul à Luſitano Rege, Chriſtóque defecerat. Unde ſacra ædes non pridem à S. Xaverio exædificata funditus everſa, cruces, ſacræque Divorum effigies, per ludibrium fractæ, bonáque inſuper Fidelium, piorúmque inhumaniter ſunt direpta. Xaverium triſtis hic de Tolanorum perfidia nuntius perculit, rem mœſtus DEO cauſam ſuam judicaturo permiſit; quam ipſe etiam gravis ſcelerum vindex grandibus ultus eſt pœnis. *Nam primùm illorum ager* (verba ſunt P. Turſell. lib. 3.

P. Turſell. c. 3.) *ex feraciſſimo ſqualidus ac ſterilis factus, fruges etiam [illegible] dira tabe, conſumptæ, aquæ ſubitò amaræ noxiæq; è ſalubribus re[illegible] me quoque ac lue multi mortales aſſumpti.* Ex his plagis ubi advertit Xaverius, eos nondum velle reſipiſcere: Præfectum Molucarum Inſularum ad capeſſenda arma, felicem belli promittens exitum, extimulavit; ipſéque cohortem illam militum (in qua viginti Luſitani, ac cæteri Molucenſes necdum quadringenti dicuntur fuiſſe) intrepidus præivit, arcémque prealtam, ac urbem vaſtiſſimam, terrore ingenti, è cœlo terráque incuſſo, abſque ulla ſuorum clade, feliciſſimè Chriſto

P. Turſell. rurſum ſubjecit. Rem hiſce paucis enarrant Acta. *Vix Chriſtiani ad Tolum acceſſerant, cùm Franciſco ad DEUM preces fundente, Sol circa-*

me-

Digitized by Google

meridiem, repentina caligine offuſa, haud diſparem nocti tempeſtatem dedit. Et ſimul ex vicini montis vertice, cum horrendo mugitu ac fragore, tetrúmque fœdúmque erupit incendium; quod tres dies noctéſque tenuit. Itaque ingens cineris, pumicúmque vis (quod nunquam antea eveniſſe conſtat) inde egeſta, quæ non modò murices ferreos oppreſſit, ſed etiam arcis faſtigium æquavit. Ecce autem, improviſo malo attonitis barbaris, major ex vicino terror incutitur. Per idem tempus terræ motus inſolitus, tectorum urbis ingentem edidit ſtragem. Tolanis tam atroci tempeſtate defunctis, Luſitanus ſupervenit armatus; nec prælium illud fuit, pleroſque hoſtium, aut ruina tectorum oppreſſerant, aut pavor compulerat in fugam; & aggeratus pumex facilem in mœnia aſcenſum dabat. Ergo arx, oppidum, totáque regio ſinè ullo certamine ſubacta. Victis certis conditionibus pax data, quarum illa præcipua, ut templum everſum reficerent, bona piis adempta reſtituerent, ſuſcepta ſemel Sacra impoſterum ſanctè colerent piéque.

Nunc qui plura ejuſmodi expetit exempla, quæ D. Franciſcum verè elementorum declarent Domitorem, evolvat is Romani Conſiſtorij acta, perlegat vitam; & jucundo animi cum ſenſu deprehendet eum, primò ignem domuiſſe, dum ruentia ab urbibus avertit fulmina, validiſſima reſtinxit incendia; aëri imperâſſe, dum peſtilentes ex eo abegit infectiones & lues, ventorúmque non ſemel compeſcuit impetus. Mari cum poteſtate præfuiſſe, dum ſæpius motos compoſuit fluctus, ejúſque ſalſedinem, in gratam nautis immutavit dulcedinem. Denique ipſam terram ei obſequentem fuiſſe, dum varijs in Inſulis ſolitos cohibuit terræ motus, defunctorúmque corpora è viſceribus terræ erutos, rurſum animavit; ac vitali aura frui, clementer indulſit. Quid igitur nunc mirum, ſi Mauri, Mahometani, cæteríque barbari perſpectis prodigijs, terra marríque patratis, D. Franciſcum Deum terræ ac maris communi nomine vocaverint. Optimè proinde de eo dici poteſt, quod aliàs de magnis Apoſtolis, D. Marcus: *Prædicavit ubiq; Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* N. 410. *Marci. 16.*

Quapropter cùm in Eccleſia Catholica, feſta Sanctorum, præter alias etiam ea de cauſa inſtituantur, ut virtutum quoque imitemur exempla: decet, *ut & nos imitari non pigeat, quod celebrare delectat*, quia verò tum in magnis Apoſtolis, cùm & in magno Xaverio, alias inter *D. Auguſt.*

 vir-

Digitized by Google

virtutes, ſummè emicuit humilitas: operæ pretium erit hanc aſſumere, quàm totis viribus imitemur, certè de DD. Petro & Joanne, ait S. Gregorius, eos, ubi claudum illum ab utero matris momento perſanâſſent: *Humilitatem cuſtodientes, laudem Authori dediſſe.* Siquidem & miraculum hoc coram attonita multitudine, non ſibi ſed DEO attribuerunt. Ità & D. Franciſcus magnis Apoſtolis ſuppar, non ſolùm illud paſſim in ore ac pectore gerebat: *Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*; verùm inſuper prohibuit graviſſimè, nè miracula à ſe patrata divulgarentur. Unde horum ad exemplum humilitatem cuſtodientes, opera quoque noſtra, ſi quæ fors bona, aut glorioſa feciſſe videmur; non nobis noſtrîſque viribus, ſed DEO Authori inceſſanter attribuamus, ut pro ijs promiſſam aliquando in cœlis mercedem recipiamus.

D. Gregorius. *Pſal. 113.*

In Feſto S. Franciſci Borgiæ Societatis JESU.

CONCIO IV.

Vigilans ſervus Domini.

ARGUMENTUM. *Cùm vigiliæ toties à Chriſto Domino, omnibus omnino Chriſtianis inculcentur, partim propter hoſtes, à quibus in vita hac, quæ militia eſt ſuper terram, cingimur: partim propter noſmetipſos, qui tanquam fragiles, theſaurum gratiæ in vaſis fictilibus circumferimus: oſtendo in præſenti dictione, torporem, ſomnolentiam ignaviam animæ; longè periculoſiorem eſſe corporis; adeóque exemplis è Sacra Scriptura variis, maximè Sancti Franciſci Borgiæ, ſuadeo eam ùt peſtem exitioſam, penitùs eſſe fugiendam, è contrario verò vigilias in pretio habendas.*

Beati ſunt ſervi illi, quos, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes. *Lucæ c. 12.*

Quid

Digitized by Google

Quid eſt amabò, quòd Increata Verbi Sapientia, omnibus inculcet excubias; eáſque tantopere commendet? nam ſi ſacras inſpiciamus paginas, nihil nobis toties ſuaderi, nihil præcipi toties animadvertemus, quàm vigilias: *Vigilate ergo*, Matthæo teſte cap. 24. circumſtantibus intonat Diſcipulis, *quia neſcitis, quâ horâ Dominus veniet*. Capite 26, ad mortem pro nobis oppetendam grogreſſus, identidem illud repetit: *Vigilate, nè intretis in tentationem*. Hodie rurſum in Lectione Evangelica, beatos planè illos ſervos pronuntiat; *quos cùm venerit, invenerit vigilantes*. Et nè Apoſtolis ſolùm ea dixiſſe cenſeretur, ſed & orbi univerſo clariùs ſuum præceptum, Marci 13. omnibus inſinuat dicens: *Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate*. Hinc præclarè D. Auguſtinus ad Heſich: *Non ſolùm illis dixit, vigilate, quibus audientibus tunc loquebatur, ſed etiam ad noſmetipſos, & qui erunt poſt nos, uſque ad noviſſimum ejus adventum*. N.411. *Matth. 24. Matth. 26. Luc. 12. Marc. 13. D. Auguſtin.*

Verùm cur tantopere inculcat excubias Dominus? an ideo nos vigilare exoptat Auguſtiſſima Majeſtas; *quia & ipſa* (teſte Clemente Alexandr.) *vigilantiſſima eſt, ac totus oculus*; ſeu ùt loquitur Cajetanus: *DEUS eſt de nocte conſurgens, dulcéſque ſomnos abrumpens inſtar ſolliciti Patris*; ut nos genuinos efficiat filios, juxta illud Theophylacti: *Continuò vigilare immortalitatis eſt proprium?* Aut ideóne in ſtationem, in excubias nos evocat, quia *militia eſt vita hominis ſuper terram*, Job. 7. boníque militis officium eſt ſedulò vigilare? aut an ideo ad vigilandum nos hortatur, *quia* (ùt loquitur Apoſtolus 2. ad Corinth. 4.) *Theſaurum gratiæ in vaſis fictilibus circumferimus*? & facilè obnoxij ſumus, nè dum in dulcem clauduntur lumina ſomnum, illum ruptis fractiſque vaſis omnino deperdamus? Denique num ideo vigilandi ſtudium omnibus præcipit, ut callidiſſimi evitemus technas adverſarij; occultas fraudulenti hoſtis deprehendamus inſidias, qui *veluti Leo* continuò *circuit quærens, quem devoret*, teſte Pſalmographo Pſal. 10. *Inſidiatur quaſi Leo in ſpelunca*, ſeu ùt legit Hebræus, *inſidiatur quaſi Leo, ſub tegumento ſuo*. *Clem. Alex. Card. Cajet. Theophylact. Iob. 7. 2. Cor. 4. Pſal. 10.*

Certè ſi tantopere nos vigilare jubet, animarum noſtrarum Zelator DEUS, cur in ſomnum ac quietem reſolutam fovet Sponſam? N.412.

cur

cur lævâ poſitâ ſub ejus capite, ac dextrâ illam amplexatus, graviter admonuit circumſtantes: *Adjuro vos filiæ Jeruſalem, per capreas, hinnulóſque cervorum, nè ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam, uſque dum ipſa velit?* Si enim omnibus ſeriò vigilandum eſt, cur non & Sponſæ? Verùm licèt feſſa corpore inter brachia Dilecti recubet Sponſa, non tamen in tantum dormit, quin ſolitas imò & ſublimiores agat excubias: ſiquidem ipſa de ſe fatetur, dum ait: *Ego dormio, & cor meum vigilat*, Cant. 5. quare meritò hanc eximiam Sponſæ vigiliam S. Gregorius Nyſſenus ſup. Cant: *Sublimiorem vocat libertatem, nec uſitatam apud hæc inferiora.*

Cant. 2. — *Cant. 3.* — *D. Greg. Nyſſ.*

Cùm itaque omnes ad agendas excubias toties excitemur à Chriſto Domino, placuit de ijſdem breviter & nervosè in hodierna dictione agere. Ità tamen ùt vigilantia vigilantiſſimi ſervi DEI *S. Franciſci Borgiæ*, qui revertenti Domino à nuptijs, præcinctus lumbis, lucernam ardentem manibus geſtans occurrit, ſit nobis noſtrarum actionum prototypon & exemplar, quod inſpicere & imitari poſſimus.

N. 413. Quemadmodum periculoſa res eſt corpori, uti & vitæ, ſi quis indulgeret ſomno, fatalem ambiret ſecuritatem, eo tempore, quo maximè ob circumſtantes hoſtes ei vigilandum eſſet; ità longè periculoſior res foret animæ, ſi etiam tum ſecuritati, ac torpori concederet, cùm à malignis infeſtaretur hoſtibus; exprimit id graphicè ſacer textus lib. 2. Reg. cap. 4. Dum Isboſeth primogenitum filium Saulis Regis Judæorum, nimiæ ſecuritatis punitæ exemplum omnibus ad contemplandū proponit. Certè ſi Isboſeth excuſſo meridiano torpore vigilias egiſſet, aut ſecuritati minimè fidens, cuſtodes aptiores adhibuiſſet; nunquam corporis vi[illegible] tantum incurriſſet diſcrimen. Verba ſacræ Scripturæ perpendite: *Audivit autem Isboſeth filius Saul, quòd cecidiſſet Abner in Hebron, & diſſolutæ ſunt manus ejus; omniſque Iſraël turbatus eſt, venientes igitur filij Remmon Berothitæ Rechab & Baana, ingreſſi ſunt fervente die domum Isboſeth, qui dormiebat ſuper ſtratum ſuum meridie, & oſtiaria domûs purgans triticum obdormivit; ingreſſi ſunt autem domum latenter, aſſumentes ſpicas tritici, & percuſſerunt eum in inguine, Rechab & Baana frater ejus, & fugerunt; cùm autem ingreſſi fuiſſent domum, ille dormiebat ſuper lectum ſuum in conclavi, & percutientes interfecerunt eum, ſublatóque capite ejus abierunt per viam deſerti tota nocte.*

2. Reg. 4.

En

En crudele caſtigatæ ſomnolentiæ exemplum, cadit in inſidijs bellicoſiſſimus totius Iſraëlitici exercitûs Dux ac Protector Abner: turbatur cum Senioribus populus, ipſemet regij diadematis hæres Isboſeth in tantum conſternatur, ut præ timore diſſolvantur manus ejus; & tamen quod admirandum eſt in tali Heroë, qui mox conſilio & vigilantiâ, ſuis ſuccurrere debuiſſet, ſecura omnino mente circa meridiem inſuper, in lectum ſe conjicit, quaſi nulli vel hoſtes, vel inſidiæ poſſent unquam apparere. Imò quod planè obſtupeſcendum eſt, vilem imbellem, meticuloſam ad oſtium domûs collocat mulierculam, quæ præter dormire & timere nil aliud noverat. Quare bene ait Romanus Præſul in moral: *Isboſeth à latronibus dormiens in lectulo interfectus eſt, eò quòd mulier purgans triticum obdormierit, quæ portam cuſtodire debebat.* *S. Gregorius.*

N. 414. Si tantopere Duci neceſſaria eſt vigilantia, & accurata in agendo circumſpectio, & è contrario vel maximè obeſt, ſecuritas, torpor, ac ſomnolentia? Dicite mihi obſecro, quid florentiſſimum illum Nabuchodonoſoris exercitum, qui Scripturâ teſte Judith. 1. *cooperuerat faciem terræ ſicut locuſta*; eò uſque attrivit ac enervavit: *ut Duces & Magiſtratus virtutis Aſſyriorum gladio corruerent*; gregarij verò internecione propemodum delerentur? An non putida, unius temulenti Holofernis ſomnolentia, & præſumtuoſa incurij Ducis ſecuritas id cauſavit? Obſedit quidem Betuliam, & omnes montes Idumæos per circuitum; ſed quod dolendum, ſedit ſimul per triginta dies delicijs affluens, ſuorúmque confidens in robore bellatorum. Quid mirum quòd poſtea: *Una mulier hebræa fecerit confuſionem in domo Regis Nabuchodonoſor*; & Holoferni ſomno vinóque ſepulto, demeſſuerit caput, illúdque caput, quod repudiata intempeſtiva quiete, & excubias agere, & excubias inter milites ordinare debuiſſet. *Iudith. 1.* *Iudith. 14.*

Utinam in vivis etiamnum ſuperſtes eſſet magnus ille Regis Chanaan induperator Siſara, qui viginti annis populum oppreſſerat Iſraëliticum, lib. Jud. cap. 4. an non illud ipſum ſangvineis propè defleret lacrymis, quòd vigilantiæ omnis oblitus, in tentorio mulieris Jahel obdormierit, eámque ad oſtium tabernaculi cuſtodem conſtituerit? Certè quid imprudentiùs excogitari poterat, quàm illud, ab hoſtibus undequaque coronâ cingi, & tamen ſomno præbere locum; mulieri im- *Iudic. 4.*

Digitized by Google

belli vitam concredere, à qua tamen nequaquam ſervatus eſt, ſed clavo per capitis tempora adacto, miſerrimè interijt.

N.415. Quòd ſi in tantùm corpori ſomnus nocet corporalis, quantùm non nocebit animæ ſomnus, ſocordia, torpor, ac ſecuritas ſpiritualis; ubi homo non jam à mortalibus & facilè fallibilibus obſidetur hoſtibus, ſed à malignis, vaſerrimis imò & acerrimis, circumdatur tenebrionibus; qui die noctéque nil aliud cogitant, nil aliud meditantur, quàm quomodo fragilem humanam naturam peſſumdare, & in horridum æternitatis baratrum, quo & ipſi à juſto Judice deſtinati ſunt, detrahere queant. Unde bene omnes monet D. Petrus epiſt. 1. cap. 5. *1. Pet. 5.* *Fratres ſobrij eſtote, & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tanquam Leo rugiens circumit quærens, quem devoret.* Et quidem ipſus ille, qui vaſerrimus eſt, ac in terra hac, velut in ſcena quapiam, verſipellem induit perſonam, modò Leonem, modò Draconem agit; nunc Hominem, nunc Angelum præſtat, varius inſuper in theatro actor eſt, quò citiùs decipiat homines, Magno Gregorio teſte, lib. 33. moral. cap. 14. qui ait: *D. Gregorius.* *Multarum rerum vocatur nomine, qui ante deceptorum mentes, in varias formarum ſpecies vertitur.*

Quis nunc neget, multis oculis opus eſſe in tanto Cacodæmonis æſtu, ubi nec locus ab inſidijs vacuus, nec virtus tuta eſt. Opportunè proinde hortatur omnes D. Rupertus lib. 3. dicens: *S. Rupertus.* *Cunctis imitatoribus Chriſti, magno ſemper ſtudio cautum eſt, ut modulo ſuo, ſint animalia plena oculis antè & retro*; id eſt, ſciant unde veniant, aut quò vadant. Similiter doctiſſimus Hugo à ſancto Victore, dum perpendit illum verſum Zachariæ cap. 9. *Zachar. 9.* *Super lapidem unum, ſeptem oculi ſunt*, ait, *omnis homo per conſtantiam ſit lapis, oculatus per circumſpectionem*.

N.416. Dum Reginam illam ſtantem à dextris DEI in veſtitu deaurato, circumdatam varietate, contemplor, adverto eam veſtibus adornatam eſſe ocellatis, ſeu plurimis reſperſam oculis; nam ubi vulgata habet: *circumamicta varietatibus*; Vatablus vertit, *circumdata ſcutulis*; *Pſal. 44.* Hebræus verò legit, *plurimis exornata oculis*. Unde miror adſtare Reginam ad DEI latus, qui ſummam in periculis, in tentationibus opem ferre poteſt; & adhuc oculis ſcutulíſque eſſe adornatam. Nunquid non magnum, magno in DEO præſidium habet *Regina ſtans à dextris*? num-

nunquid technis maligni circumveniri poterit illa, quæ tam propinquè adſtans, abſorbetur propemodum in amoribus Dilecti? Verùm tanta eſt diabolo vafricies, ut caſum etiam hæc Regina non caveat, niſi multocula; propterea monetur à DEO: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum.* Pſal. 44. Quia tanta diabolo ineſt vis, & improbitas in tentando, ut ſcutulis oculíſque adhuc plurimis egeant homines ad arcendum. Confirmat præclarè, ùt aſſolet, dicta mea D. Paſchaſius: *Statuitur Regina à dextris, & adhuc monetur à Patre, quia adhuc bellandi tempus eſt.* *Pſal. 44.*

Præterea in hac vita nobis plurimos ad vigilandum oculos eſſe debere, nè gratiam à DEO optimo conceſſam deperdamus, declarat viſio Zachariæ facta cap. 3. quæ repræſentat Jeſum filium Joſedech, ſummum Sacerdotem, ſplendidioribus ab Angelo indutum veſtimentis mutatorijs. Hic enim ubi in ſordidis ob peccata ſua comparuiſſet veſtibus, ac Sathan à dextris eidem adverſatus fuiſſet; jubente Domino Angelus ſuſtulit ab eo veſtes defædatas, reſtituit pretioſas, gratiam, & dona ſpiritualia ſignificantes, addidítque tunicam ſacerdotalem, plenam oculis; *Totam oculatam*, Fernandio teſte in hunc locum. Ut gratiam reſtitutam inſtar centoculi Argi, ſartam tectámque ſemper tueretur. Hæc veſtis, ùt idem Auctor annotat, plurimos quaſi in ordinem digeſtos habebat oculos, ídque ideo, quia cùm dæmones legiones habeant in ordines bellicos coactas, ad oppugnandum gratiam in homine, oportebat ordinibus dæmonum, oculorum ordines opponere, nè qua hominem malè cautum adoriantur, ac ſpolient; ſiquidem ùt advertit D Gregorius: *Sæpe hi à tentatione ceſſant, ut in ſecura mortalium corda, tantò faciliùs irrumpant.* *Zachar. 3.* *P. Fernand* *D. Gregor.*

N. 417. In horum pedicis & laqueis ne unquam irretiretur Divus Proto-Martyr Stephanus, quantas non adhibuit vigilantiſſimus Heros, oculorum ſuorum excubias? dum enim in lapides lapidibus durior rueret populus, invictus Chriſti Pugil mox ad initium certaminis, oculis in cœlum converſis, ſuppetias à cœlo expetijt, & contrario ordine, priùs ſpiritum ſuum ſuſcipiendum curat, quàm oret pro inimicis, cùm tamen Magiſter noſter Chriſtus priùs oraverit pro inimicis, & poſteà ſpiritum ſuum Patri æterno in manus commendaverit. Cur igitur ùt in precibus æmulandis, ſic etiam in ſervando eodem tenore & ordine,

Digitized by Google

ſervus Domino non adhæret? Certè non ajam cauſam reperio, quàm quia ſervus erat; quia periculum ſuum vigilans pugil agnoſcebat. Nam Chriſtus non ex neceſſitate, ſed ex humilitate ſpiritum commendat, at Proto-Martyr totus indigens remedium expoſcit; Chriſtus in illo certamine ſecurus, non tam de ſe, quàm de miſeris peccatoribus degit ſolicitus, Stephanus mobile virtutis acceptæ ingenium agnoſcens, in tuto ſe collocari prudentiſſimè ſatagit; & qui in ipſo agone, etiam poſt viſos cœlos apertos, etiam poſt conſpectum JESUM, ſtantem à dextris virtutis DEI, deficere poterat, debito charitatis ordine ſe tuetur priùs; quia ſolùm patriam cœleſtem ingreſſo, lubricæ virtutis ſtabilitatem & coronæ infallibilitatem promiſſam agnoſcebat. Optimè proinde, aureum illud eloquentiæ flumen Di- *D. Chryſoſt.* Joannes Chryſoſtomus, tomo 6. orat. de S. Stephano, in ejus perſona ſic profatur: *Domine JESU ſuſcipe ſpiritum meum, quamdiu enim in hoc ſum mortali corpore circumſeptus, pertimeſco; quamdiu terrenam hanc geſto carnem reformido; nè poſt labores amittam labores, vereor admodum nè poſt luctam, coronâ privatus remaneam; nè præmia poſt agones amittam: ſuſcipe igitur ſpiritum meum.* hæc S. Chryſoſtomus.

N. 418. Ad te nunc appello, *vigilantiſſime Serve DEI, circumſpectiſſime Confeſſor Domini, Sacerdotum gloria, Societatis noſtræ decus inclytum, S. Franciſce Borgia*; effare obſecro; quid generoſum alioquin animum tuum è ſummis Regum ac Imperatorum Aulis, è tumultuantis hujus ſæculi palæſtra, in qua, Principis, Ducis, Marchionis, Vice-Regis perſonam glorioſè perfunctus es, in ſolidioris evocavit virtutis arenam? in minimæ Societatis JESU redegit Ordinem? Dicito, inquam, quid heroicum perculit pectus tuum, ut licèt regio prognatus eſſes ſangvine; nihilominus tamen velut alter Jeſus filius Joſedech, tibi tuóque corpori tunicam ſacerdotalem, ſed *oculatam*, ſed ſcutulatam ſuperinjiceres? an non ſimiliter, verba illa Domini, *Vigilate*, toties inculcata *2. Cor. 4.* & verba S. Apoſtoli: *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus.* 2. ad Corinth. c. 4. eo te impulerunt, ut in ſingula penè momenta vigilias ageres, animámque tuam in ſtatione, in excubijs multoculam collocares? Profectò teſtes eſſe poſſunt, tot inita, cum carne & ſangvine certamina; tot peracti cum ſtygio Cacodæmone conflictus; tot virentes ab ijſdem hoſtibus reportatæ laureolæ. Si enim Servus vigilans is

eſt,

Digitized by Google

eſt, qui ſuadente Servatore noſtro illud exequitur: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris*, auſim dicere D. Franciſcum Borgiam, id ad amuſſim impleviſſe. *Lucæ 12.*

Et primùm quidem, ſi S. Auguſtino teſte, lib. 2. quæſt. evang. cap. 25. *Is lumbos præcinctos habet, qui amorem ſuum præcingit à terreniſque rebus arcet, ut totum ſe conferat in DEUM.* Animadverto Sanctum noſtrum, tantopere amorem ſuum proprium præcinxiſſe, omnémque affectum, à terrenis abſtraxiſſe rebus, ut cum Gentium Apoſtolo, *omnia hæc arbitratus ſit ùt ſtercora.* Et ſanè cui id non videatur mirum; planè ijſdem temporibus, quibus Reges ac Principes, à monſtroſo illo Germaniæ impoſtore, peſtilentiſſimo Luthero infatuati, Bona Eccleſiaſtica invadebant, Epiſcopatus in Ducatus, hereditario poſthac jure poſſidendos, commutabant; tum enimverò Franciſcus, *Magnus Dux Gandiæ, Marchio Lombayæ, Vice-Rex Cataluniæ*, ab amore Divino inflammatus, *lumbos ſuos*, ſeu *amorem proprium* adeò præcinxit, & ab omnibus terrenis rebus avocavit, ut obſtupeſcentibus Europæis Principibus, à Magno Romanorum Cæſare Carolo V. tum Auguſtæ Vindelicorum in comitijs reſidente, facultatem omnibus omnino titulis ac bonis renuntiandi, inſtantiſſimè experierit. Imò ùt primùm exauditus fuit, mox deſiderium ſuum in actum redegit omnibus ſeſe abdicavit; ſibíque nec obolo reſervato, pauperem ſecutus JESUM in minimam ejus conceſſit Societatem. *D. Auguſtin.*

Nec hìc ſubſtitit ejus in præcingendo lumbos, ardor; ſed quod multis admirabile prorſus viſum eſt, in ipſa Religione, ùt *militem* ſolùm *ſtationarium*, ùt *ſervum* præcisè *vigilantem* ageret, omnibus dignitatibus omnino privari deſideravit. Hinc ad Dignitates Eccleſiaſticas, ad capeſſenda purpuratorum Patrum inſignia, à quinque Summis Pontificibus, Paulo III. & IV, Pio IV. & V, ac denique Julio III. poſtulatus, imò compulſus ſepties; ſepties at ipſe amorem ſuum ſenſualem penitùs præcingens, has generoſiſſimè repudiavit. N. 419.

Prætereà ſi lumbos præcingere idem eſt ac corpus mortificare, ſpirituíque ſubigere, ùt docet Lyranus in hunc locum dicens: *Lumbos præcingunt, qui corpus ſuum mortificant, conculcant & deprimunt.* Video & hunc auſterum præcingendi modum, Sanctum noſtrum cum hilaritate uſurpâſſe. Quia verò juſtas S. Auguſtini de propria carne- *Lyranus.*

Digitized by Google

D. Auguſtin. querelas inaudierat dicentis lib. de agon. Chriſt: *Nullum pejorem patior hoſtem, quàm corpus meum in quo habito, eſt enim quaſi Leo ſubverſor in domo mea, undique peſtifero morſu me dilacerans,* accuratiſſimè illud (*quod jumentum ac aſellum nominare conſueverat*) in ſervitutem redigebat. Certè per plurimos vitæ annos, non ſolùm in Religione tranſactos, ſed etiam adhuc in ſeculo, carnem ſuam horrido ſtringebat cilicio, illúdque ultimis vitæ annis nunquam è corpore deponebat, quotidie tam atrociter ſe flagris diverberabat, ut quandoque ad 800. ictus procederet, veſtes ac pavimentum ſangvine ſuo conſpergeret. Hinc dicere erat ſolitus: *Acerbum ſibi fore illum diem, quo nihil aſperi ſuſtuliſſet,* imò miſerias ſuas; *Amicos ac regiam ad cœlum viam nuncupavit.*

N. 420. Demum adimplevit fideliter & alteram *vigilantis Servi* proprietatem, dum lucernam ardentem continuò geſtabat manibus ſuis; id eſt: animam ſuam varijs bonis operibus adornabat, charitate & affectibus inflammabat. Nam cùm & ipſe monitum illud Divi Auguſti-
D. Auguſtin. ni tract. 9. in Joan. ſibi dictum arbitraretur: *Vis obviam prodire Sponſo, orna lampadem, orna animam igne & oleo, id eſt, charitate & bonis operibus.* Idcirco idipſum tantâ perfecit diligentiâ, tantâ præſtitit curâ
Proverb. 4. & ſolicitudine, ut *quaſi lux ſplendens proceſſerit & creverit uſq; ad perfectam diem.* Prov. 4. Teſtatur enimverò id ferventiſſima ejus ad DEUM oratio, cum eóq; indiſſolubilis propemodum conjunctio, qua per plures horas penitus in eum abſorptus, ſenſibúſq; deſtitutus hærebat. Teſtatur prætereà id exceſſivus ejus affectus, quo continuò ferebatur in auguſtiſſimum Dominici Corporis Sacramentum, coram quo non ſemel ſed ſæpius totus ignitus facie, ac plurimo prodeuntium radiorum ſplendore conſpicuus, viſus ac notatus eſt. Verbò, teſtantur abundè opera pietatis ac miſericordiæ, quæ abſque numero, tum in ſæculo cùm in religione zeloſiſſimè patraverat.

D. Chryſol. Quoniam verò *Lucerna* (aureo Chryſologo atteſtante, ſer. 22.) *non portanti tantùm lucet ſed multis, & opus bonum, dum facto in uno lucet, multos illuſtrat exemplo.* Obſervo & ego lucernam illam ardentem S. Franciſci, non ſibi duntaxat, ſed plurimis alijs arſiſſe & luxiſſe; qui exemplo ejus incitati *Servi vigilantis* perſonam, cum gaudio ſuſceperunt. Profectò ab hac lucerna illuſtratus *Antonius de Corduba,* maximi no-

nominis & potentiæ Marchio in Hiſpania, ſpretis ac dimiſſis omnibus, etiam dignitate in terris eminentiſſima, qua actu in Purpuratorum adlegebatur Collegium; ipſius ad exemplum, ad eandem profugit Societatem. Ab hac Lucerna irradiatus maximum Auſtriacorum Cæſarum decus Carolus V. *omnia arcana cordis ſui* (ùt teſtantur acta ejus vitæ) *ei aperuit*; tanquam conſcientiæ ſuæ moderatori, illius quoque exemplo incitatus, omnibus à ſe abdicatis regnis, in monaſterium ſeceſſit; deinceps Dominum à nuptijs revertentem, velut *Servus vigilans* præſtolaturus. Ab hac Lucerna inflammatus, Ludovicus Regis Luſitaniæ frater, pari ratione Societatem ingredi ſtatuit, eámque ſinè mora ingreſſus fuiſſet, niſi S. P. Ignatius, ferventiſſima ejus deſideria diſtuliſſet, inſtantéſque preces ob bonum regni publicum, non admittere coactus fuiſſet. Denique à Lucerna hac mirum in modum illuſtratam fuiſſe S. Thereſiam, teſtatur ipſamet, dum Confeſſori ſuo ingenuè faſſa eſt: *Se Divini plurimùm luminis ab ejus ſermòne hauſiſſe*, ùt habetur in ejus Vita c. 24. Servum igitur vigilantem S. Franciſcum Borgiam fuiſſe, Dominúmque adventantem in momenta expectâſſe, nemo non lubens volénſque fatebitur.

Quare cùm & nobis, qui à triplici circumdamur hoſte, mundo, carne & dæmone, à Chriſto Domino illud dictum ſit: *Vigilate*. Vigilemus ergo alacriter, & vigilando adverſariorum noſtrorum evertamus molimina; gratiarum verò & luminum internorum foveamus ſemina; ut poſtmodum juvante DEO optimo in copioſum animæ evadant incrementum. Nam ùt docet D. Gregorius: *Vigilat, qui ſervat operando, quod credit; vigilat, qui à ſe torporis & negligentiæ repellit tenebras.* Cavendum verò ſummopere eſt, nè dum ad vigilias hortamur in ſceleribus & iniquitatibus, quod jam olim deploravit Theodoretus, vigilias agamus: *Multi namq; ſunt*, ait ille, *qui vigilant, ſed noctes ducentes in iniquitatibus*. Multi namque ſunt, qui malunt in domo temulenti Bacchi, aut præ foribus ſpurciſſimæ Veneris excubare, quàm in ædibus Sapientiæ aut Palladis, ad Lucernam cum Platone vigilare. Hi proinde caveant, nè verificetur id de illis, quod Proph. Iſaias minatur c. 26. dicens: *Succiſi ſunt omnes, qui vigilabant ſuper iniquitatem.* Quocirca, ſi vigilantiæ præmium, ſi æternam beatitudinis quietem cum S. Fr. Borg: præſtolamur; profundas agat in cordibus noſtris radices dictum illud toties à Chriſto Dom. inculcatum: *Vigilate*.

N. 421.

D. Gregorius.

Theodoretus.

Iſai. 26.

CLAS.

Digitized by Google

CLASSIS VIII.

FESTA SS. MULIERUM.

In Feſto S. Mariæ Magdalenæ.

CONCIO I.

Speculum Pœnitentiæ.

ARGUMENTUM. *Admirandam mulieris peccatricis converſionem, de qua* Dominus ſeptem ejecerat dæmonia *producturus; oſtendam eam perfectiſſimum veræ pœnitentiæ extitiſſe ſpeculum, ejúſque tres partes videlicet confeſſionem, contritionem, ſatisfactionem, accuratiſſimè in domo Phariſæi exercuiſſe. Et primò quidem ad exemplum Jobi non abſcondit quaſi homo peccatum ſuum, dum coram convivis jacens ad pedes Domini JESU, omni depoſito reſpectu, ſe peccatricem, geſtu, nutu, lacrymis palàm confeſſa eſt. II. Verum adhibuit contritionem, quæ copioſas ei expreſſit lacrymas, eáſque tam potentes, ut invincibilem vicerint DEUM, omnémque in ea abluerint culpam. III. Et ipſam admiſit ſatisfactionem, dum (de qua poſtea D. Paulus)* Sicut exhibuit membra ſua ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ità poſthac exhibuit membra ſua ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.

Dixit autem ad illam, remittuntur tibi peccata. *Lucæ cap. 7.*

Quis

Digitized by Google

QUis infinitam, incomprehenſibilem, abyſſalem prorſus optimi DEI, non admiretur & obſtupeſcat miſericordiam? Nam è peccatorum cæno, ex iniquitatum ſentina varijs atque innumeris defædata ſceleribus hodie eripitur mulier, mulier inquam, quæ latebat in tenebris tanquam ſtellio, ſubitaneâ metamorphoſi immutata incedit ùt columba, quæ vilior facta erat luto platearum, fulgidior evaſit auro puriſſimo, quæ in aterrimum erebi converſa erat carbonem, omni ſtella lucidior radiat nunc in manu DEI, quæ denique facta erat corruptio Satanæ, tugurium diabolorum; unico in momento, fit templum DEI, altare Majeſtatis, lectulus divini amoris, habitaculum Spiritûs Sancti. N.422.

Quæret hauddubiè quiſpiam, quænam ſit illa proſtituta mulier, quæ intra breviſſimum temporis ſpatium, è tantis fuit erepta ſceleribus? verùm adeat is D. Lucam, & unico peccatricis vocabulo; omnia ejus acta exprimentem, percipiet: *Erat*, inquit, *mulier in civitate peccatrix*; in civitate inquam Jeroſolymitana, quam ſpurcitijs ſuis defædaverat; infamiâ repleverat, vanitatibus dementaverat. Peccatrix verò, quia veluti proſtituta meretrix, laqueus erat diaboli, reipublicæ peſtis, ruina juvenum, quos oculorum nutu allexerat, crinium ac veſtium ornatu illaqueaverat, ungventorum fuco reſperſerat, labijs denique ac manibus turpiſſimè abuſa fuerat. Accedat & is D. Marcum, apud quem ſimili quaſi compendio, ejus vitam expreſſam, ſua ſpectabit cum admiratione. *Mulier*, inquit c. 16. *de qua Dominus ſeptem ejecerat dæmonia.* Quid horribilius? ſi enim rectè (ùt docet D. Thomas in Cat: PP.) *ſub ſeptenario numero univerſitas figuratur, quemadmodum ſub ſeptem diebus omne tempus comprehenditur*; fuerit neceſſariò, hæc ſcelerata mulier non ſeptem, ſed omnium dæmonum miſerabile habitaculum; quod & nonnulli ex Græcis autumant Patribus: aut ſi ſub dæmonijs vitia deſignantur, fuerit eadem omnium peccatorum ac vitiorum genere enormiter defædata. Unde Doctiſſimus Theodoretus ait: *Septem dæmonia mulier habuit, quæ univerſis vitijs plena fuit; aut ſeptem dæmonia, ſeptem virtutibus ſpiritus contrarios habuit, ut videlicet ſpiritus abſque timore, abſque ſapientia, abſque intellectu, donis Spiritûs Sancti ſeptem opponerentur.*

Luc. 7. — *Marc. 16.* — *D. Thomas.* — *Theodoretus.*

N. 423. Et tamen mulier hæc non obſtantibus, tot vitiorum agminibus, non veniam ſolùm, omniúmque delictorum remiſſionem adepta eſt, ſed inſuper copioſam à Servatore noſtro nacta gratiam. *Dixit enim ad illam JESUS, remittuntur tibi peccata.* O felicem ſanè mulierem, quæ id gratiæ obtinuit, quod plurimi peccatores, licèt non tantis adhuc gravarentur criminibus, aſſequi non potuerunt. Felicem inquam! quæ in tam miſericordem incidit Salvatorem, ut & vitiorum vinculis exſoluta, & gratiâ adeò liberaliter fuerit donatâ, ut brevi exacto tempore, inſigni ſanctimoniâ, aliiſque virtutum ornamentis fuerit condecorata. Nam *poſtquam peccata ei dimiſit Dominus*, ait Theophilactus, *non ſtitit in remiſſione peccati, ſed adjecit operationem boni dicens: vade in pace, id eſt, vade in juſtitia, quia juſtitia eſt pax hominis ad DEUM, ſicut peccatum eſt inimicitia inter DEUM & Hominem.*

Luc. 7.

Theophilact.

Quare pro ſolatio & incitamento eorum, qui gravibus detinentur in peccatis; hodie D. Mariam Magdalenam, affectuoſam pedum Chriſti cultricem ejuſdémque diſcipulam, ac Apoſtolorum Apoſtolam; omnibus genuinum pœnitentiæ proponam ſpeculum, ut qui eam ſecuti ſunt errorum pedibus, ſequantur & pœnitentiæ, & qui ſecuti ſunt peccantem, ſequantur pœnitentem. Verbò, *Qui exhibuerunt membra ſua, ſervire immunditiæ & iniquitati, ad iniquitatem*, ùt loquitur Apoſtolus epiſt. ad Rom. 6. *ita nunc exhibeant membra ſua*, Magdalenæ ad inſtar, *ſervire juſtitiæ ad ſanctificationem.*

Rom. 6.

P. Adrian.

N. 424. Refert P. Adrianus Poirters ſuo in libro de larva mundi: Puellam quampiam nobilem, vanitatibus nimiùm deditam, per ſpeculum quoddam ab ijſdem tali modo fuiſſe avocatam. Cùm vice quadam Orator Regis Galliarum ad eandem divertiſſet, lautóque hoſpitio fuiſſet exceptus; abeuntem obnixè rogavit, ut ſibi redux pulchrum aliquod benéque elaboratum adferret ſpeculum; quo interdiu ſæpius in contemplanda ſua facie, delectari poſſet. Appromiſit abiens Orator, ac ut vanitatem illius, quam ex dictis factíſque agnoverat, efficaciter coërceret; poſtquam redijt locò ſpeculi obtulit Calvariam cujuſdam formoſæ defunctæ puellæ, cum hoc addito, eam poſt paululum huic fore perſimilem. Dixit & felicem res ſortita eſt effectum; ſiquidem illa ipſa, quæ hactenus vile vanitatis erat mancipium, adeò ex tempore immutata fuit, ut cooperante divinâ gratiâ, paucis elapſis diebus, ei-

dem

dem penitus valedixerit, ac in cœnobium Sanctimonialium ultrò ac hilaris æternùm victura conceſſerit.

Utinam hodiéque dum in vicem ſpeculi, non tam Calvariam D. Magdalenæ, quàm ſeriam ejus pœnitentiam in medium produco; hæc ſimiliter eam animorum cauſaret immutationem, ut complures repudiatis peccatorum ſordibus, ad ſincerum pœnitentiæ confugerent aſylum; & ſic pari ratione, verba illa è viſceribus miſericordiæ prolata, audire mererentur: *Dimittuntur tibi peccata, vade in pace.* Propterea dum eximiam mulieris hujus perpendo pœnitentiam; *flere magis libet* cum D. Gregorio, *quàm aliquid dicere; ſiquidem ſaxeum etiam pectus, illius profuſa lacrymæ, ad pœnitendum invitant atque emolliunt.* Cùm enim vera pœnitentia in tribus potiſſimùm conſiſtat partibus, juxta D. Hieronymum, cæteróſque SS. PP. videlicet in confeſſione, contritione, & ſatisfactione; manifeſtè reperio, eaſdem D. Magdalenam, unico illo actu, quo in domum Phariſæi ſubintravit, ac lacrymis cæpit rigare pedes JESU, eminenter omnino fuiſſe complexam. *D. Gregorius.*

Mirantur S. Sripturæ Interpretes patientiſſimum Jobum; eúmque ſummè deprædicant, quòd peccata ſua, ſi quæ commiſit, non celaverit, ſed ea non ſolùm coram DEO, verùm & coram hominibus non erubuerit confiteri & enarrare. Ubi enim ordinaria legit cap. 31. *Si abſcondi quaſi homo peccatum meum, & celavi in ſinu iniquitatem meam;* Hebræus habet: *Non abſcondi peccatum meum quaſi Adam;* ſcilicet foliis nuditatem, & delictum coram DEO occultando; meliùs adhuc Septuaginta ad propoſitum meum verterunt: *Non abſcondi peccatum meum, non expavi turbam multitudinis, ut non enarrarem coram eis.* Quare idipſum perpendens D. Chryſoſtomus, pulchrè de eo ait: *Qui rectè factorum nullum teſtem quærebat, erratorum cunctos conſcios eſſe volebat.* Similiter & D. Gregorius hæc de eo habet: *Videatur Vir iſte cuicunque magnus in virtutibus ſuis; mirentur in eo, qui volunt integritatem juſtitiæ, mirentur viſcera pietatis, ego in eo non minùs admiror, confeſſionem humillimam peccatorum, quàm tot ſublimia geſta virtutum.* N. 425. *Iob. 31.* *D. Chryſoſt.* *D. Gregor.*

At ſi facinus heroicum noſtræ Pœnitentis accuratiùs obſervem, quando depoſito omni humano reſpectu, profligato omni pudore noxio, coram convivis non erubuit ſe peccatricem fateri; adverto eam nequaquam hac in parte ceſſiſſe Jobo, quin imò ſuperiorem longè in-

Digitized by Google

confundendo ſe evaſiſſe. Profectò nunquid non ſummè arduum erat, fæminam, & quidem nobili proſapia oriundam, ad locum convivij procedere, ubi non ſolùm Dominus, ſed & complures viſebantur convivæ? Nunquid non aſperum erat coram ijſdem proſternere ſe ad terram, canis inſtar repere ſub menſam ad pedes Domini? Nunquid non ſummè difficile erat comptos diſſolvere crines, lacrymarum educere imbres, baſiare pedes, rigare, tergere? Verbô, ſe peccatricem maximam, geſtu, nutu, lachrymis, voce fracta palàm indicare? arduum enimverò erat: & idcirco pientiſſima Salvatoris ad miſerendum commovit viſcera, & ad remittendum ei peccata, potentiſſimè impulit:

D. Gregor. *Quia hæc mulier* (bene iterum D. Gregorius) *turpitudinis ſuæ maculas aſpexit, lavanda ad fontem miſericordiæ cucurrit, convivantes non erubuit. Nam quæ ſemetipſam graviter erubeſcebat intus, nihil eſſe credidit, quòd verecundaretur foris.*

N. 426. Unde ſi impius fratricida Cain, juxta D. Ambroſium in apolog.

D. Ambroſ. David c. 7. *Maledictus ac condemnatus eſt, quia patratum non confitebatur flagitium*; dum DEUS de fratre quæreret dicens: *Ubi eſt Abel frater tuus?* Meritò Magdalena, dum tacente etiam Domino generosè ſua palàm fatetur delicta, abſoluta eſt, omniúmque peccatorum nexu liberata. Quid nunc memorem immenſum ejus dolorem, qui cordis fibras conterens, largiſſimos ex oculis elicuit lacrymarum imbres: *Cer-*

D. Chryſoſt. *tè ſi ſordentem animæ veſtem lacrymæ lavant, & dant illi remiſſionis candorem*, ùt docet D. Chryſoſt. ſerm. 9. de pœnit. quàm nitidam non reddiderunt animæ veſtem lacrymæ D. Magdalenæ? Si juxta magnum

D. Auguſtin. Auguſtinum ſerm. 11. ad Fratres: *Lacryma carnalem cogitationem extinguit, peccatorum morbum expellit, virus culpæ evomit*; quàm exactè has ſordes non eluit lacryma D. Magdalenæ? Si lacrymæ, juxta Pe-

Petr. Cellenſ. trum Cellenſem, *ſuſcitant mortua, demergunt populorum crimina, ſunt diluvium peccatorum*; quàm dextrè non ſuffocavit hæc monſtra, dilu-

S. Bernard. vium illud ex oculis Magdalenæ profluens? Si demum juxta D. Bernardum, *lacryma humilis vincit Invincibilem, & ſuperat Omnipotentem*; quid mirum, quòd hodie tam potens evaſerit lacryma D. Magdalenæ, ut & invincibilem vicerit JESUM, & eum quodammodo coëgerit illud proferre, *dimittuntur tibi peccata.*

Hinc quemadmodum olim lacrymæ mœſtæ Agar, ac ſitientis

Iſmaë-

Digitized by Google

Iſmaëlis, Angelum è cœlo exciverunt, qui illis fontem in deſerto elicuit, Geneſ. 21. Quemadmodum lacrymæ Davidis, regnum eidem à filio ereptum reſtituerunt, 2. Reg. 15. Quemadmodum lacrymæ pœnitentis Manaſſe in tetro Babylonis carcere profuſæ ipſa ferrea ruperunt vincula, eundémque libertati priſtinæ & regno reſtituerunt, 2. Paralip. 33. Quemadmodum denique piæ Ezechiæ lacrymæ cœlos ipſos penetrârunt, & Solem ad decem reduxerunt lineas in horologio Achaz, 4. Reg. 20. Ità ſimiliter potentes nimiùm D. Magdalenæ lacrymæ, & Omnipotentem ſuperârunt, & cœlos tranſcenderunt; atque ipſum ſupremum miſericordiæ thronum humectârunt. Harum invincibilem vim cùm ponderâſſet ſanctus Ravenatum Antiſtes Chryſologus, ſerm. 93. hæc mirabundus protulit. *En rerum ordo mutatur, pluviam terræ cœlum dat ſemper; ecce nunc rigat terra cœlum, imò & ſuper cœlos, & uſque ad ipſum Dominum, imber humanarum proſilit lacrymarum.* Unde meritò exclamat: *O quanta igitur vis in lacrymis peccatorum! quæ omnem abluunt culpam, gehennam extinguunt, latam divinâ promulgatione flectunt ſententiam!* N.427. D. Chryſol.

Si modò ſatisfactionis in D. Magdalena quæritis indicia; majoráne amabò exhibere poterat, quàm exhibuerit in domo Phariſæi? Si enim optima ſatisfactionis ratio eſt illa, quam præſcripſit D. Paulus, ad Rom. 6. dicens: *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra veſtra, ſervire juſtitiæ in ſanctificationem;* ſeu ùt eruditè explicat hunc locum Doctiſſimus Origenes: *Currebant priùs pedes veſtri ad effundendum, nunc ad liberandum ſanguinem currant; protendebantur manus priùs ut aliena diriperent, nunc protendantur, ut propria largiantur. Circumſpiciebant priùs oculi alienum ad concupiſcendum; nunc circumſpiciant pauperes ad miſerendum. Et uniuscujuſque membri miniſterium, quod exhibuit vitiis, aptet virtutibus, & actum quem exhibuit immunditiæ, ad caſtitatem & ſanctitatem nunc convertat.* ità Origenes. Si inquam ea optima ſatisfactio eſſe cenſetur? nullum dubium eſt, quin exactiſſimè illam præſtiterit pœnitens Magdalena? Nam omnia membra, quæ priùs converterat ad immunditiam, luxuriam, vanitatem; nunc ad caſtitatem, puritatem, ſanctimoniam convertit. Oculos, qui priùs erant animarum pedicæ, reſolutos in floccum convertit. Denique omnia membra Rom. 6. Origenes.

bra ſervire exhibuit juſtitiæ in ſanctificationem. Unde præclarè Divus
D. Gregorius. Gregorius: *Oculis terrena concupierat, ſed hos jam per pœnitentiam conterens flebat; capillos ad compoſitionem vultûs exhibuerat, ſed jam capillis pedes tergebat; ore ſuperba dixerat, ſed pedes Domini oſculans, hoc in Redemptoris ſui veſtigia figebat; unguentum ſibi pro odore carnis ſuæ exhibuit; quod igitur ſibi turpiter exhibuerat; hoc jam DEO laudabiliter offerebat. Quot igitur in ſe habuit oblectamenta, tot de ſe invenit holocauſta, convertit ad virtutum numerum, numerum criminum, ut totum DEO ſerviret in patientia; quicquid ex ſe DEUM contempſerat culpa. Sic ergo meretrix effecta eſt honeſtior virginibus.*

N.428. Huc igitur nunc veſtros conjicite oculos, quotquot in occultis, graviſſimis, etiam ſacrilegis abſorpti eſtis ſceleribus; erigite animam peccatorum pondere depreſſam, ſpei ac fiduciæ alis evolate in cœlum, unáque infinitam optimi DEI in Magdalena pœnitente conſiderate miſericordiam. Hæc ſanè quantopere ſolicita ſit de peccatore, produnt in veteri Lege, acta Patriarcharum, enarrant geſta Regum, clamant oracula Prophetarum. Nam per Iſaiam affectuosè planè omnibus inculcat dicens: *Revertimini ad me, & vivite, ſi fuerint peccata veſtra ùt coccinum; quaſi nix dealbabuntur, ſi fuerint rubra ſicut vermiculus, velut lana alba erunt.* Ità & per Jeremiam, ipſa ſua miſericordiæ diduxit viſcera; quando ſceleratum populum Iſraëliticum, hiſce ſuaviſſimis adhortatus eſt verbis: *Revertere averſatrix Iſraël, & non avertam faciem meam à vobis quia ſanctus ſum*; ſeptuaginta Interpretes legunt: *quia miſericors ſum ego, & non iraſcar in perpetuum.* Similiter per Oſeam, pluſquam maternos, erga peccatores declaravit affectus, quando ipſam idolis deditam gentem, matris inſtar, in ſinu ſuo fovit, ac circumtulit. *Ego quaſi nutritius Ephraim*, Oſeæ cap. 11. *portabam eos in brachiis meis*; vel ùt vertit Divus Hieronymus: *Ego Dominus ligabam pedes Ephraim, nè à me longiùs fugerent, & quaſi repugnantes vinculis meæ dilectionis aſtrinxi.* Imò quod obſtupeſcendum eſt, animam ſceleribus depravatam, modò revertatur à via ſua peſſima, expetit in connubium; efflagitat eam in perpetuum ſibi deſponſare. *Revertere*, ait Oſeæ cap. 2. *& ſponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in judicio & juſtitia; & in miſericordia & in miſerationibus.* Hæc ubi ponderat Divus Hieronymus, meritò exclamat: *O quanta cle-*

Iſai. 1. Jerem. 3. Oſea 11. D. Hieron. Oſea 2. D. Hieron.

Digitized by Google

clementia DEI! meretrix quæ cum multis amatoribus fornicata eſt, & ob crimen beſtiis tradita poſtquam revertitur, nequaquam reconciliari dicitur, ſed deſponſari.

Unde & Tertullianus crebras Domini invitationes perpendens, quibus revocabat proſtitutam gentem; hæc admirans effatus eſt: *Inauditum miſericordiæ genus! ſummo cum jure veniam negare poſſe; & non ſolùm non negare, ſed rogare, ſed minari, niſi ad eum revertamur. Tam Pater nemo eſt, tam pius nemo.* Quin imò eò proceſſit hæc DEI clementia, ac miſericordia in peccatores; ut DEUM obliviſci faciat omnium peccatorum; acſi ea nunquam perpetrâſſent. *Noli timere Sion,* ait Sophonias cap. 3. *Dominus DEUS tuus gaudebit ſuper te in lætitia, ſilebit in dilectione ſua*; quaſi diceret: de peccatis tranſactis perpetuum inducet ſilentium, acſi nunquam peccâſſes. Silebit, inquam, in dilectione ſua, vel ùt habent Septuaginta, *innovabit te charitate ſua*, id eſt, quaſi ſi jam alia eſſes nováque Sponſa, te in ſuam ſuſcipiet charitatem. O ſummam verè benignitatem DEI! ô infinitam clementiam! ô abyſſalem prorſus miſericordiam! N.429. Tertullianus. Sophon. 3.

Et ſic Magdalena noſtra, quia obedivit voci vocantis Domini, & reverſa eſt de vijs ſuis peſſimis, verè in aliam novámque hodie tranſmutata eſt DEI Sponſam. Quare pulchrè Divus Chryſologus ſuper illa verba, *Venit Maria Magdalene & altera Maria*, eloquitur: *Verè Magdalena altera, nam ampliùs, quæ fuerat, non erat, ideo ad Phariſæum ait Dominus, vides hanc mulierem, quaſi diceret; ſi eandem, quæ priùs erat eſſe credis, falleris.* D. Chryſolog.

Magna igitur miſericordia DEI eſt in peccatores, & quidem ejuſmodi, ut omnia etiam peccata ſimul ſumpta, in comparatione illius, ſint velut ſcintilla, reſpectu vaſtiſſimi maris; ita enim idipſum aſſerit aureus Chryſoſtomus homil. de pœnit: *Cogita ſcintillam, ſi in mare ceciderit, num poterit ſtare, aut apparere? quantùm ſcintilla ad mare ſe habet, tantùm hominis malitia ad DEI clementiam, imò verò non tantùm ſed & longè ſupra.* Nihilominus illud tamen etiam profundè cordi ſuo inſculpant quotquot cum Magdalena, laxârunt fræna ſuæ libidinis, quotquot criminum amplexati ſunt ſpurcitias; eos etiam veram ac ſinceram cum Diva Magdalena agere debere pœnitentiam; eámque talem, quæ commiſſis adæquatè reſpondeat peccatis, juxta N.430. D. Chryſoſt.

Digitized by Google

D. Cyprian. juxta illud Divi Cypriani lib. de lapſ: *Pœnitentia crimine minor non ſit*; ſed habeat annexam confeſſionem integram, dolorem ſincerum & exactam ſatisfactionem. Confeſſionem inquam, ut peccator non erubeſcat, ſua commiſſa Sacerdoti detegere crimina; nè ſi reticeat, non tantùm non aſſequatur, à miſericordia veniam, ſed inſuper ad æternos deſtinetur ignes; nam ùt bene ſimiles dehortatur Divus Auguſtinus dicens: *Percipite, infernus eſt puteus profundæ iniquitatis, qui non* D. Auguſtin. *claudet ſuper te os ſuum, niſi tu clauſeris tuum.* Hinc dæmon cor peccatoris poſſidens, unum præ alijs agit, ut pudorem, quem inter peccandum homini abſtulit, eidem inter confitendum reſtituat; imò os ejus ad enarrandum ſcelera, firmiter occludat. Unde Iſaias dæmonis conatum perpendens, eum vocavit cap. 27. *Serpentem vectem, ſerpen-* Iſai. 27. *tem tortnoſum*, vel ùt in hebræo habetur, *ſerpentem claudentem: eò quòd ora confitentium*, ùt notat Divus Gregorius, *poſt peccatum clau-* D. Gregorius. *dat*, nec ſinat ea Sacerdoti reſerare, quin imò efficiat, ut commiſſa ſcelera, vel non exprimant, vel ſi exprimant, ea excuſent, pallient, extenuent.

N.431. Quapropter ut dictioni hodiernæ finem imponam; ſi quis eſt, qui graviſſimis diſtinetur in ſceleribus, qui peccando quotidie irritavit Dominum, eúmque ad iram provocavit; is accedente maximè puſillanimitate nequaquam deſperato, aut quod turpiſſimum eſt, nequaquam erubeſcat agere pœnitentiam. Sed Divæ Magdalenæ ad exemplum, mente humili, corde contrito, profuſis etiam lacrymis, enarret, detegat, in confeſſione ſua vulnera ſeriam vitæ proponat emendationem, ut ab his quantocyus curetur, ac priſtina eidem reſtituatur innocentia. Habeat demum documentum illud magni Chryſoſtomi, cordi ſuo altè impreſſum: *Num ignorat peccata tua DEUS, ſi tu* D. Chryſoſt. *non confiteris? num potes latere DEUM, etiamſi non dicas illa? ſi autem tu dicis, ille obliviſcitur.* Imò fiet, ut optimus DEUS, qui ipſe apud Prophetam Iſaiam ait cap. 43. *Ecce ego ſum DEUS, qui deleo iniquitates* Iſai. 43. *tuas, & nunquam memorabor*; peccata omnia & deleat, & in ſempiternum ampliùs non recordetur.

In

Digitized by Google

In Feſto S. Catharinæ V. & M.

Concio II.

Signum magnum in Cœlo. Apoc. 12.

Argumentum. *Cùm ſignum magnum, quod D. Joanni apparuit in cœlo, non ſolùm Eccleſiam Chriſti, aut B. Virginem repræſentet; ſed etiam quamcunque devotam animam, quæ duplici corporis & animæ caſtitate prædita eſt. Oſtendo in præſenti dictione, aptiſſimè per hoc intelligi poſſe gloriam D. Catharinæ Partheno-Martyris, quam à Chriſto in cœlis conſecuta eſt. Siquidem ipſa verè fuit* prodigium, *ob toleratas pœnas & converſos Philoſophos*; amicta Sole, *ob caſtitatis excellentiam,* Lunam *inſuper habet* ſub pedibus, *in ſignum devicti mundi Cacodæmonis ac Tyranni. Denique ſtelleâ exornatâ eſt coronâ, quia multos, & in his Imperatricem Fauſtinam, Ducémque belli Porphyrium ad Chriſtum convertit.*

Signum magnum apparuit in cœlo, Mulier amicta Sole. *Apocal. 12.*

Poſtquam D. Joannes Apoſtolus, *Diſcipulus quem diligebat JESUS*, quémque puriſſimis doctrinarum de pectore ſuo potavit fluentis: à Domitiano Imperatore fuiſſet amandatus in Inſulam Patmos; varias ei DEUS ibidem exhibuit & revelationes & apparitiones. Alias inter memorabilis planè fuit illa, quando ipſi patenti in cœlo ſeſe ſpectandam dedit mulier veſtita ſole, ſtellis coronata duodecim: unde ſua in Apocalypſi cap. 12. eam ſic deſcripſit: *Signum magnum apparuit in cœlo, Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim.* Et quidem ait *ſignum*, ſeu *prodigium*, ſeu *portentoſum ſpectaculum*; ſiquidem Mulier ſtabat tota circumdata ac veſtita Sole, elevata ſupra Lunam, exornata inſuper coronâ è ſtellis duodecim contexta. N. 432. *Apocal. 12.*

Verùm quid portendebat hoc ſignum magnum? quem deſignabat hæc illuſtris, imò illuſtriſſima mulier? Si SS. Patrum exquiram ſenſum, adverto eos in diverſas abire ſententias, D. D. Ambroſius, Auguſtinus, Chryſoſtomus, aliíque cenſent eam repræſentâſſe Eccleſiam Chriſti, totam pulchram, non habentem nec maculam, nec rugam. D. Chryſoſt. Nam *Mulier hæc amicta ſole eſt Eccleſia*, ait Chryſoſtomus, *in cujus capite ſtat corona ſtellarum duodecim, ſive duodecim Apoſtoli.* Alij cum D. Bernardo, & Richardo prodigioſum hoc ſignum applicant DEI Genitrici MARIÆ, quam Filius DEI velut Sol Juſtitiæ, gratiarum ſuarum radijs circumdedit; ſtultitiæ Principem, qui ùt luna mutatur, ejus ſubjecit pedibus conculcandum, ac duodecim ſtellis quaſi totidem prærogativis gratioſiſſimè exornavit. Nam *Putáſne ipſa eſt ſole amicta Mulier?* D. Bernard. quærit D. Bernard. ſerm. de verb. Apocal: *eſto ſiquidem, ut de præſenti Eccleſia intelligendum, propheticæ viſionis ſeries ipſa demonſtretur, ſed id planè non inconvenienter MARIÆ videtur attribuendum; nimirum ea eſt, quæ velut alterum ſolem induit ſibi.* Paulò verò inferiùs eam his affatur verbis: *Quàm familiaris ei facta es Domina, quàm proxima, imò quàm intima fieri meruiſti? quantam inveniſti gratiam apud DEUM? in te manet & tu in eo, & veſtis eum, & veſtiris ab eo. Veſtis eum ſubſtantiâ carnis, & veſtit ille te gloriâ ſuæ majeſtatis; veſtis ſolem nube, & ſole ipſa veſtiris.*

N. 433. Demum alij cum Hugone Card. exiſtimant hanc ſole amictam mulierem, non incongruè repræſentare, piam quampiam ac devotam animam, quæ caſtitate ac puritate prædita intus foríſque nitet. *Mulier* Hugo Cardin. *illa*, ait Hugo, *poteſt intelligi Virgo, quæ veſtitur à Chriſto JESU animarum Sponſo, tanquam Sole Juſtitiæ; quæ pedibus ſuis mutabilitatem mundi conculcat, & duodecim exornatur prærogativis, quaſi totidem ſtellis.* Quæ cùm ità ſint, & ſignum hoc in cœlo clariſſimum caſtiſſimas denotet quoque Virgines, quæ ob corporis animæque puritatem veſtiuntur *Sole Juſtitiæ* Chriſto, ac ob alias virtutes exercitas ſtellis coronantur; meritiſſimo jure idem applicare auſim caſtiſſimæ Virgini, ac invictiſſimæ Martyri D. Catharinæ, quæ una de primarijs novi Teſtamenti cenſetur Virginibus, ipſúmque Chriſtum Dominum, nacta eſt caſtiſſimum Sponſum, qui eam etiam ſibi annulo arctiſſimè deſponſaverat; nam ùt Dionyſ. Cart. perhibet Dionyſius Carthuſ. ſerm. 3. de Sancta: *Redeunti Catharinæ*

poſt

Digitized by Google

poſt preces effuſas, MARIA Virgo cum Filio apparuit, mirabili cum ſplendore ac decore. Eique JESULUS quem in ulnis fovebat Virgo Deipara, annulum obtulit, ejúſque digito imponens ſic affatus eſt: *Catharina dilecta ego te mihi deſponſavi in fide.* Quare ad ſe reverſa: *annulum in ſuo digito invenit, atque fideliſſima cœleſti manſit Sponſo.* Quapropter ad laudem & gloriam D. Catharinæ, Partheno-Martyris inclytæ, paucis oſtendam ipſam ejúſque gloriam, quam in cœlis à Chriſto JESU remuneratore bonorum adepta eſt, quàm optimè explicari poſſe, per ſignum illud magnum in cœlo, quod D. Apoſtolus Joannes in cœlo conſpexit.

Poſtquam prodigioſum hoc ſignum, clariſſimis ſolis ſplendoribus coruſcans, ſe ſpectandum exhibuiſſet, non comparuit in terra, mari, vel aëre, ùt alia comparuêre ſigna, ſed quod bene obſervandum eſt, *in cœlo*, nam ait: *Signum magnum apparuit in cœlo*; & meritò, cùm enim elegantiſſima hæc mulier, veſtita ſole, referat Virginem, ejúſque gloriam, quâ eam exornavit Chriſtus, non poterat alibi quàm in cœlo, quæ propria eſt Virginum ſedes, reperiri. Conſpicitur igitur in cœlo, ut omnibus conſtet, caſtas mentes, munda corda Virginum, illic ad videndum DEUM eſſe recipienda, juxta promiſſum Chriſti Domini: *Beati mundo corde, quoniam ipſi DEUM videbunt.* Bene proinde caſtas haſce Virgines alloquitur D. Ambroſ. lib. 5. de virgin: *De hoc mundo eſtis ô Virgines, & non eſtis in hoc mundo, ſeculum vos habere meruit, tenere non potuit, propter caſtimoniam in cœlum tranſiſtis de hoc ſeculo.* Et quidni cœlum eſſet proprium earum domicilium, cùm illud adhuc in hiſce terris degentes, videantur poſſidere. *Sola enim eſt caſtitas* (ait melliſluus Bernardus epiſt. 42. *quæ in hoc mortalitatis & loco, & tempore, ſtatum quendam immortalitatis gloriæ repræſentat; ſola morem beatæ illius vendicat regionis, in qua neque nubunt, neque nubentur.* Quare cùm & invictiſſima Partheno-Martyr Catharina; illibatam prorſus animi ac corporis ſervaverit caſtitatem, nullúmque virum unquam, imò nec Cæſaris Maximini filium, in connubium admittere voluerit; ſed ſoli Chriſto JESU, cui ſe deſponsârat, fidem ſervaverit: idcirco & ipſam caſtiſſimus animarum Sponſus, poſt peractum glorioſè in terris Martyrij agonem, ad cœleſtem gloriam æternùm poſſidendum, his verbis ſuaviſſimè invitavit, ùt perhibet Divus Antoninus in ejus vita:

N. 434.

Matth. 5.

D. Ambroſ.

D. Bernard.

S. Antonin.

 Veni

Digitized by Google

Veni dilecta mea, unica mea; ecce janua cœli tibi aperta eſt, quam etiam ſubiens, nunc verè ùt *Signum magnum*, miréque luminoſum, in perpetuas ſplendet æternitates.

N. 435. Et quomodo non eſſet *Signum magnum*, ſeu veriùs prodigium ſtupendum ac portentoſum Catharina, ſiquidem DEUS maximus ſuam omnipotentiam, per eam tantopere declaravit, ut ſpectatores omnes in ſummam rapuerit admirationem. Nam quòd Puella regio procreata ſangvine, tenera ac delicata, idololatriæ ſeſe heroicè oppoſuerit, eámque unà cum quinquaginta Sophis confuderit; quòd inſuper immanes ſibi irrogatos, variarum pœnarum cruciatus, generoſiſſimè pertulerit, impiúmque Tyrannum glorioſè vicerit, ac ſuperaverit; prodigium ſanè maximum, ac ſignum omnino fuit portentoſum. Siquidem & DEUS ſpecialiter ſuam in ejuſmodi ſexu fragili, voluit oſtendere potentiam. Bene proinde ait D. Petrus Dam: *Quanquam mirabilis ſit DEUS in viris, mirabiliùs tamen, & glorioſiùs triumphat in fœminis, quas & de inermibus fortes, & victorioſas facit.* Quid igitur mirum Fauſtinam Imperatricem, utì & Porphyrium, inclytum belli Ducem, cum ſua legione, viſo hoc *Signo magno*; non jam *in Cœlo*, ſed adhuc in terra; idololatriæ nuntium remiſiſſe, Chriſtum publicè confeſſos, pro eodem imperterritè mortem oppetijſſe; cùm Chriſtus Sol Juſtitiæ in Catharina ſubſiſtens, eos ſuo gratiarum ſplendore irradiaverit, ac irradiatos ad ſuſcipiendam fidem gratioſè allexerit. Eat nunc Polyænus quiſpiam, dilaudet, imò extollat, etiam in cœlum uſque, ſuam illam Heroidem, Reginam Aſſyriorum Semiramidem, repetat illa verba: *Natura eam mulierem fecit, ſed res geſta viro fortiſſimo non inferiorem.* Et ego longè meliùs idem de D. Catharina Heroide invictiſſima (cum qua altera in nullam comparationem venire poteſt) effari queo: *Natura Catharinam mulierem fecit, ſed res geſta viro fortiſſimo non inferiorem.* Ut quæ Alexandriæ potentiſſimo congreſſa cum Cæſare, nec blanditijs aut minis, nec pœnis aut morte ipſa à fide Chriſto data dimoveri poterat; quin imò virili fortitudine decertans, *Signum* ac *prodigium magnum* evaſit; ac nunc in cœlo ſtans, *amicta ſole* ſupra modum coruſcat.

D. Pet. Dam. — *Polyænus.*

Proinde ſi ſolem hujus mundi, Veteres nominare conſueverant: *Oculum Ætheris* unáque Chriſtus *Sol Juſtitiæ eſt.* Video D. Catharinam *amictam ſole* in eo conſiſtere, ùt pupillam in oculo, ſemper fovendam, à quo

Malach. 4:

Digitized by Google

à quo etiam, dum adhuc ſuperſtes eſſet in terris, adeò defenſa fuit, ut meritò nunc cum Regio Pſalte dicere poſſit; *Cuſtodivit me ùt pupillam oculi ſui*, Pſal. 16. Præterea ſi *Sol*, Cælio Rhodigino teſte, *cor cæli eſt*, permanebit hauddubiè eadem Virgo *amicta ſole*, in corde dilectiſſimi ſui oponſi, à quo ſummè fuit amata, ac amabitur in perpetuum. Singulariter autem ea de cauſa video D. Catharinam *amictam* eſſe *ſole*, ſeu circumdatam radioſâ JESU Chriſti gloriâ, quia hic in terris eum unicè dilexerat ejúſque divinam imaginem, ſeu effigiem animæ ſuæ validè impreſſam, tanquam caſta Virgo circumtulerat: *Anima enim quæ habet charitatem* (ait Richardus de S. Vict.) *habet & ſimilitudinem & imaginem DEI.* Decuit igitur, ut D. Catharinæ anima, quæ habuit & charitatem & imaginem DEI, gloriâ Chriſti veſtiretur. *Pſal. 16.* *Richar. Vict.*

N. 436. Habuit præterea formoſiſſima illa ſole amicta mulier, viſa à S. Joanne Apocalyptico, in cœlo, *lunam ſub pedibus*. Quare ſi per lunam intelligi poteſt fallax mundus, vanáque ejus gloria: nam *ſtultus iſte mundus ùt luna mutatur*, ait Rich. à S. Vict. jure meritò D. Catharina velut *Signum magnum in cælo, & mulier amicta ſole*, lunam nunc premit ſub pedibus; quia dum vixit: *Pedibus ſuis* (loquor cum Hugone Cardin.) *mutabilitatem hujus mundi conculcavit.* Cùm enim ei nota eſſet illius fallacia, unáque comperiſſet, *vana eſſe gaudia ſeculi, quæ quaſi manentia blandiuntur, & amatores ſuos citò tranſeuntia decipiunt.* Omnes omnino oblatas ab eo delicias, corporíſque voluptates magnanimè repudiavit; ac tenera licèt octodecim annorum Virgo, eas cum omnibus mundi pompis generoſiſſimè proculcavit. Unde bene de ea ſcripſit Dionyſ. Carthuſ. *Cùm Virgo ſancta ſummas haberet occaſiones ad carnis voluptates; utpote pulchritudinem, opulentiam, libertatem, adoleſcentium, & virorum præſentiam; nihilominus manſit caſtiſſima. Inſuper nec blandimentis, nec comminationibus, nec ſuppliciis poterat ad caſtitatis violationem induci.* Quocirca etiam non mundum ſolùm cum ineptis ejus delicijs, ſed ipſum quoque *mundi Principem*, ac *tenebrarum Rectorem*, qui etiam ùt luna mutatur, feliciſſimè ſuperavit. *Richar. Vict.* *Hugo Cardin.* *D. Gregorius.* *Dionyſ. Cart.*

Nam cùm vaferrimus Cacodæmon animadverteret ſe per delicias mundi, carníſque voluptates, invictum D. Catharinæ animum, nè in minimo flectere potuiſſe, ſéque pariter cum nuptijs filij Cæſaris, qui eam ardentiſſimè concupierat, repudiatum fuiſſe, aliò ſuas direxit fraudes,

des, & quia viderat ſe complures, per honoris ac vanæ gloriæ tentationem, traxiſſe in ruinam, quos aliàs nequiverat, per mundi carníſque illecebras præcipitare: ſuggeſſit Cæſari Maximino, ut ei propter eminentem illius ſcientiam, rarámque ea in ætate ſapientiam, faceret erigi ſtatuam Alexandriæ, modò vel ſemel Dijs ſacrificâſſet. Placuit hæc ſuggeſtio Cæſari, eámque ad ſe evocatam, his verborum lenocinijs aggreſſus eſt: teſte S. Antonino in ejus vita: *Virgo generoſa, conſule juventuti, ac pulchritudini tuæ; ſi ſacrificabis, poſt Reginam in palatio meo ſecunda eris, & imagine tua, in medio civitatis fabricata, velut Dea à cunctis adoraberis.* Verùm quid ad hæc Catharina? num his blanditijs ineſcata, Cæſari morem geſſit? num honoris punctum, quod plures etiam ſapientiſſimos in tranſverſum egit, Virginem quoque omnibus naturæ donis inſtructam à Chriſto abalienavit? At abſit hoc à Virgine integerrima & prudentiſſima, quæ nequaquam ſe his lenocinijs paſſa eſt ſeduci; quemadmodum olim Eva, ab eodem ſtygio ſerpente tentata *eritis ſicut Dij*, imprudenter conſentiens ſeducta fuit; ſed Chriſto datam ſemel fidem ſervavit prorſus illibatam, ac Cæſari hæc offerenti indignabunda reſpondit: *Deſine talia dicere Imperator, quæ ſcelus etiam eſt cogitare, ego ſponſam me Chriſto tradidi, ille gloria mea, ille amator meus, ille dulcedo mea eſt.* Hæc dum menti meæ objicio, unáque Dæmonem in Imperatore victum ac confuſum contemplor, auſim dicere id de S. Catharina, quod D. Bernardus de B. Virgine ſerm. de verb. apocal: *Inſipientia omnis longè ſub pedibus ejus eſt, ut penitus abſit hæc ab inſipientium mulierum numero, & collegio virginum fatuarum, imò verò & unicus ille ſtultus, & ſtultitiæ princeps, qui verè mutatur ut luna, & ſapientiam perdidit in decore, ſub Catharinæ pedibus conculcatus miſeram paſſus eſt ſervitutem.*

S. Antonin.

D. Bernard.

N. 437. Nec hìc ſolùm, ſed etiam ſævus ac veſanus Tyrannus, qui ab hoc ſtultitiæ principe incitatus, Virginem ſanctiſſimam, ad impium Idolorum cultum pertrahere nitebatur; eandem paſſus eſt. Hunc proinde quàm glorioſè vicerit, ejúſque tormenta generoſè pertulerit, teſtantur ipſius acta, quæ varij deſcripſêre Hiſtorici. Nam cùm inaudijſſet Cæſarem, Alexandriæ coactis undique adjacentibus populis ſtatuiſſe ſacrificare Dianæ; Divino mox incitante Spiritu; ipſum quantocyus adire, atque à ſtulto hoc ſacrificio abducere firmiter decrevit. Idcirco velut altera

Digitized by Google

altera Judith, *Induit ſe veſtimentis jucunditatis ſuæ, induitque ſandalia pedibus ſuis, aſſumpsitque dextraliola, & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis ſuis ornavit ſe.* Judith. 10. ídque ea de cauſa, non ut eum in ſui pelliceret amorem, ſed ut ad ejus colloquium, tantò citiùs admitti; eúmque tantò validiùs poſſet coarguere. Unde etiam de ea id dici poteſt, quod D. Ambroſius lib. 2. de virg. dixit de Juditha: *Ut adultero placeret, ornavit ſe, quia autem hoc religione non amore faciebat, nemo eam ùt adulteram judicabat.* Iudith. 10. D. Ambroſ.

Sic exornata, ùt primùm in conſpectum Cæſaris admiſſa eſt, *arguit eum de vana Deorum cultura*, ait S. Antoninus, ídque tanto verborum pondere, ac rationum energiâ præſtitit; ut Imperatorem penitus obmuteſcentem, in ſui rapuerit admirationem. Quare cùm nec ipſe, nec Principes ejus hiſce argumentis ab ea propoſitis reſpondere valerent; totus primùm ad blanditias converſus eam tanquam, regio prognatam ſangvine, per varia promiſſa, verborúmque lenocinia, à Chriſto avertere, contendebat: quod cùm nullum ſortiretur ſucceſſum; Cæſarem exuit, tyrannum crudelem induit, ac contra imbellem, & (quod nefas erat) regiam Virginem, proferri juſſit virgas, ſtringi cataſtas, expediri rotas, parari ignes, ut vel his pœnis, eam ſuæ ſubjiceret voluntati. At S. Catharina, ait Dionyſ. Carthuſ. *virili conſtantiâ ac fortitudine animi prædita, nullo mortis metu potuit ſeparari à DEO.* Imò quod annotavit S. Antoninus, Tyranno inſultans dixit: *Quæcunq; tormenta potes excogitare, nè differas; quæcunque animo concepiſti exequere, paratam me cernes ad omnia ſuſtinenda.* Quod & factum; dum cataſtas, ignem, rotam, gladium imperterritè ſuſtinuit, déque impio Tyranno, mirè confuſo glorioſiſſimè triumphavit. Meritò proinde obtinuit à Chriſto, lunam habere ſub pedibus, ut quæ mundum, Cacodæmonem, ac Tyrannum feliciſſimè devicit. S. Antonin. Dion. Carth.

Demum *Signum* illud *magnum*, quod in cœlo conſpexit D. Joannes; exornatum fuiſſe coronâ è ſtellis contexta hiſce enarrat: *Et in capite ejus corona ſtellarum duodecim.* Verùm & D. Catharinam, velut *Signum magnum in cœlo*: video à Chriſto JESU, caſtiſſimo animarum Sponſo, coronatam fuiſſe *coronâ ſtelleâ.* Si enim corona hæc D. Thoma atteſtante eſt *Nota ſcientiæ & ſapientiæ*, eáque coronantur à DEO nonniſi Doctores, qui erudiunt multos ad juſtitiam; juxta illud Danielis 12. N. 438. D. Thom.

lis 12. *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Æquiſſimo planè jure, eandem quoque obtinuit à Dilecto ſuo D. Catharina; ſiquidem ipſa mirâ ſapientiâ prædita, omniúmque artium liberalium ac ſcientiarum moderatrix doctiſſima; non paucos ſed plurimos, ad juſtitiam Chriſtianam erudivit; eóſque in tenebris Idolomaniæ conſepultos, clariſſimos doctrinæ ſuæ ſplendore illuminavit; pulsíſque ab eis tenebris in Chriſtum credere docuit. Quod ut meliùs confirmem, te hìc appello primùm Imperatrix Sereniſſima Fauſtina, impij Cæſaris pijſſima conjunx! dicito nobis, quis te tuúmque Gynæceum à perverſo falſorum Deorum cultu abſtractam, ad veram Chriſti traduxit Fidem? effare & tu Porphyri inclyte Cæſareæ Legionis Dux, unà cum cohortibus tuis, quis vos jurare docuit Chriſto, noménque veſtrum, ſub ſalutari Crucis vexillo conſignare? Dicite demum & vos quinquaginta præclara Philoſophorum capita, quis vobis immarceſſibilem Chriſtianæ Philoſophiæ lauream impoſuit; ac unum DEUM, cauſámque primam rerum omnium agnoſcere fecit? an non D. Catharina id zeloſiſſimè præſtitit? Præſtitit enimverò, ſiquidem omnes hi unanimi voce apud S. Antoninum reſpondent. *Per Catharinam Chriſtus fidem Chriſtianam ampliavit, atque per eam mirabiliter operatus eſt nos convertendo.* (S. Antonin.)

N. 439. Et certè quis non obſtupeſcat ejus prodigioſam ſapientiam ac eminentem ſcientiam? vix decimum octavum ætatis ſuæ attigerat annum, & jam Rhetoricis, Philoſophicis, imò & Theologicis imbuta ſcientijs, quemcunque etiam doctiſſimum Philoſophorum confundebat. Coëgerat idcirco ex univerſa Græcia Maximinus, illius ævi ſapientiſſimos, & quidem eos quinquaginta numero convocârat Alexandriam, ut ſe præſente cum una decertarent Virgine; ipſámque ſuis argumentis ad idolorum pertraherent cultum: & ecce! *Loquente per eam Spiritu Sancto,* ait Metaph. in vita, *ita ſuperavit omnes Philoſophos, quod ei reſiſtere non valebant.* Imò quod de Juditha legitur: *Mirabantur ſapientiam ejus, & dicebant, non eſt talis mulier ſuper terram, in aſpectu, in pulchritudine, in ſenſu verborum.* Unde factum, ut omnes hi Philoſophi divinâ per eam irradiati Evangelij luce, ejúſque argumentis convicti, illi palmam porrexerint, in unum DEUM ejúſque Filium mundi (Metaphra. in vita.)

Sal-

Salvatorem crediderint, ac à S. Virgine ardentiſſimè ſacrum expetierint Baptiſmum. Verùm à Tyranno irâ ſupra modum exæſtuante, in præparatos injecti rogos, ſuo in ſangvine meruerunt baptizari, palmámque Martyrij feliciſſimè adepti ſunt. Quis igitur nunc negare præſumet, D. Catharinam à dilectiſſimo ſuo Sponſo JESU coronatam fuiſſe coronâ ſtelleâ, cùm ipſa tantos ac tam præclaros ſcientiâ ſuâ erudierit Chriſtianam ad Juſtitiam? Profectò corona ejus, non ſolùm è duodecim, ſed è tot fuerit contexta ſtellis, quot animas ad Chriſtum, Fidémque ejus convertit.

Quæ cùm ità ſint & D. Partheno-Martyr Catharina caſtam ſemper Sponſo ſuo ſeſe exhibuerit Virginem & Sponſam; ac pro amore ejus omnem imperterritè fuderit ſangvinem; non incongruè poterat gloria ejus, quam in cœlis nunc beatiſſimè adepta eſt, exprimi & repræſentari, per ſereniſſimam illam Mulierem, quæ apparuit *ùt Signum magnum in cœlo, amicta ſole, luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim.* Siquidem & ipſa ſtat ac ſtabit ſemper in cœlo, tanquam ſignum ſeu prodigium magnum, amicta quoque & ſole, ſeu fulgentiſſima claritate & gloria ſui JESU, ùt cui fidem conſtanter ſervavit, eúmque unicè amavit; lunam etiam gerit ſub pedibus, ùt quæ mutabilitatem mundi; ſtultitias Cacodæmonis ac Tyranni conculcavit; demum coronam in perpetuas geſtat æternitates è lucentibus contextam ſtellis, ùt quæ plurimos erudijt ad Juſtitiam Chriſtóque peperit. *Signum* proinde hoc *magnum*, ut & nos aliquando in cœlis conſpicere mereamur, patrocinante eadem ſanctiſſima, utì & invictiſſima Martyre D. Catharina; præſtet id nobis is, qui *omnes vult ſalvos fieri,* DEUS ter optimus maximus, Amen.

In Feſto S. Urſulæ V. & M.

CONCIO III.

Scopus ad ſagittam amoris Urſula.

ARGUMENTUM. *Cùm D. Urſula non tam de barbaro Hunno, qui vectus ejus ſagittis tranſverberavit; quàm de ipſo amore divino, caſtiſſimo*

cordium Sagittario dicere potuerit: Tetendit arcum ſuum, & poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam. *Oſtendam in præſenti dictione, eam triplici à Dilecto ſuo transfixam fuiſſe ſagittâ: videlicet primâ* Caſtitatis argenteâ, *quæ eam ad fugam omnis mundanæ vanitatis & voluptatis impulit. Secundâ* aureâ charitatis, *quæ eam ad amandum Dilectum, tantopere inflammavit, ut ei non ſatis fuerit eum amâſſe, niſi & undecim millia Virginum in ejuſdem pelliceret amorem. Tertiâ demum* ferreâ Martyrij, *quæ eam ad profundendum, ultimam etiam guttam ſanguinis, vehementiſſimè incitavit.*

Tetendit arcum ſuum, & poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam. *Thren. 3.*

N.440. SI ſagittæ Divinæ Juſtitiæ adeò humano repleri deſiderant ſangvine, ut ipſe eas quaſi ſitientes ſangviſugas inebriare decernat DEUS, Deuter. c. 32. dicens:
Deuter. 32. *Inebriabo ſagittas meas ſanguine*; id eſt: *peccatorum ſanguine*, ùt docet Abulenſis: quis non ſummopere formidabit illas? quis contra illarum vim ac potentiam, ſe ſufficienter præmuniet? Si arcus Domini ſemper extentus, ſagittas ad ejiciendum, promptas paratáſque habet; quis, obſecro, eas evitare poterit; aut ab earum ictu immunis perſeverabit? Certè harum impetum, illum vel maximè ſuſtinuiſſe neceſſe eſt; qui ab his ſagittatus, ingenti
Iob. 6. præ dolore exclamavit: *Sagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum.* Job. cap. 6. vel ùt vertit Vatablus: *Quarum vene-*
Vatablus. *num pertranſijt animam meam.* Harum quoque peravidam vulnerandi ſitim, expertam pariter fuiſſe miſeram illam, ac deſolatam prorſus civitatem Jeruſalem, in confeſſo eſt; ſiquidem ipſa à ſuperveniente ira DEI tradita Babylonijs in direptionem, per Prophetam Jeremiam in
Thren. 3. has lamentabiles erupit voces, Thren. c. 3. *Tetendit arcum ſuum, & poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam*; & quidem non ad ſagittam leviter vulnerantem, ſed quæ maximis, eam repleret amaritudinibus, afficeret doloribus; addidit námque: *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me abſynthio.*

N.441. Nihilominus tametſi DEUS optimus maximus ad oſtendendum juſtitiæ ſuæ punitivæ rigorem, acutiſſimas quandoque in mortales, de arcu-

arcu ſuo ejaculetur ſagittas: tamen habet & alias, quæ non ſangvinem, ebriæ exprīmunt, ſed calorem cum ſuavitate imprimunt; non hominis Spiritum indignantes ebibunt, ſed eundem placidè colligunt & confortant, verbo; quæ animam non amaritudine ſed dulcedine replent. Dum eas divinus amor, qui jam egerat D. Nyſſeno teſte hom. 4. *Juvenem ſagittarium ab initio*; in præparata hominum corda ſuaviter ac fortiter impellit, eáque ad amandum ſe potentiſſimè accendit. Has ipſas in pectus ſuum immiſſas, vehementer perſenſiſſe Pſaltem regium, nemo non ambiget, qui eum hæc exclamantem audierit Pſal. 37. *Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & confirmâſti ſuper me manum tuam.* Siquidem & hæ igneæ amoris ſagittæ, tantopere cor ejus accenderunt, inflammârunt, ut palàm fateri coactus ſit, *concaluit cor meum intra me.* Senſerit hauddubiè & eaſdem pia illa in Canticis Salomonis decantata Philagia: quæ ut primùm ab Amore ſuo Crucifixo his in cordis intimo fuit ſauciata, mox in ſuaviſſimum animi declinans deliquium ſocias hortata eſt adſtantes: *Fulcite me floribus, quia amore langueo*, vel ùt Septuaginta legunt, *refocillate me unguentis, quia charitate vulnerata ſum.* Bene proinde doctiſſimus Origenes harum ſagittarum vim perpendens, omnes Chriſtianos ad eas excipiendas his verbis hortatur: *Quàm pulchrum eſt, quàm decorum à charitate, id eſt à Chriſto accipere vulnus; tu ô Chriſtiane, præbe te jaculo huic electo, jaculo formoſo quaſi ſignum, ſiquidem DEUS ſagittarius eſt.*

S. Greg. Nyſſ. *Pſal. 37.* *Cant. 2.* *Origenes.*

Quare cùm perhibente D. Ambroſio in explan. Pſalmi 118. *Non omnes poſſint dicere, vulnerati ſumus his ſagittis; ſed Martyres qui vulnerantur pro Chriſto*; animadverto D. Partheno-Martyrem Urſulam (cujus venerandam hodie celebramus feſtivitatem) jure optimo præ pluribus alijs, gloriari ac dicere poſſe, ſe his ſagittis vulneratam eſſe; ut quæ propriè pro Chriſto ſagittis tranſverberata concidit, vitámque generoſiſſimè ejus in gratiam prodegit. Imò poterat longè meliori modo eadem verba ex Threnis Jeremiæ, de Sponſo ſuo ſagittario proferre: *Tetendit arcum ſuum, & poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam*; non tam ad mortis ferream quâ occubui, quàm ad auream amoris, quâ accenſa eum præ omnibus dilexi. Unde quomodo ab hac, aliiſque ſauciata fuerit, præſens exponet dictio.

D. Ambroſ.

Quis unquam ſibi perſuaſiſſet quod Diviniſſimus Amor, in remo-

Digitized by Google

N.442. tis illis Britanniæ Inſulis, in quibus DEO abominabilis Idolomania, jam à plurimis retroactis ſæculis, ſtabilem quaſi defixerat ſedem, populóſque ſua errorum caligine excæcaverat; ſibi erecturus eſſet ſignum, ſeu ſcopum, in quem gratioſas ſuas dirigeret ac ejiceret ſagittas? Cui unquam in mentem veniſſet, quòd humaniſſimus amor, inter barbaras haſce gentes reperturus eſſet viraginem; *quæ eſſet corpore quidem juvencula* (loquor cum D. Ambroſio ſerm. de S.) *ſed animo cana, pulchra quidem facie, ſed pulchrior fide?* Quis denique vel imaginatus ſibi fuiſſet, quòd eo tempore quo Europæus Orbis ſub regimine ſpurciſſimi ſui Imperatoris Heliogabali, delicijs propemodum diffluebat, caſtiſſimus animarum Sponſus amor, in denſo illo Britannicarum ſilvarum ac nemorum receſſu, inventurus eſſet, *unicam columbulam* (verba ſunt Bonfinij in Hiſt. Ungar. Decad. 1.) *Virginitatis fideique integram, ac cœlis ſociandam?* Nihilominus ipſus ille amor, *cui delicium eſt eſſe cum filiis hominum,* quique *ludens in orbe terrarum omni tempore,* omnes facilè angulos pervadit; etiam in illo tunc abſtruſo regno Britanniæ, anno ab Incarnatione ſua ducenteſimo vigeſimo, nobile erexit ſignum, in quod ternas, velut quondam Jonathas ejaculatus eſt ſagittas. Et nè majores faciam verborum ambages:

D. Ambroſ. *Bonfinius.* *Proverb. 8.*

N.443. Urſula regio è Britonum ſangvine oriunda, erat hæc meta, caſtiſſimúmque ejus pectus, erat ſignum illud, in quod Chriſtus JESUS, *caſtiſſimus animarum noſtrarum Sponſus* (ùt eum vocitat D. Bernardus) primam impulit ſagittam, quæ niveo, imò argenteo candore reſplendens, caſtitatis repræſentabat virtutem; quam etiam tantopere ejus cordi impreſſit, ut amore illius inflammata, mox in adoleſcentia, virginitatem ei lubens volénſque obtulerit, ac æternùm conſervaturam conſecraverit. Unde cùm caſtitatis conſervatio, potiſſimùm conſiſtat in fuga (quod clarè docet D. Thomas in epiſt. ad Corinth. dicens: *Cætera vitia vincuntur reſiſtendo, ſed vitium fornicationis vincitur fugiendo, id eſt, totaliter vitando quaslibet occaſiones*) adverto ſingularem prorſus hujus fugæ obſervatricem ſeſe exhibuiſſe, D. Partheno-Martyrem Urſulam. Siquidem vix tenerioris adoleſcentiæ egreſſa limites, ac nubilis facta; confeſtim omnes mundi ſprevit delicias, vanitatéſque; ac ut licitas quoque thori voluptates, ad quas à regijs impellebatur Parentibus, faciliùs evitare poſſet; glorioſâ ſibi omnia deſeren-

D. Bernard. *D. Thomas.*

rendo conſuluit fugâ. Profectò ſi Daphnis, fabulantibus Poëtis, ea de cauſa à Dijs immortalibus, mirabili metamorphoſi, in divinam converſa eſt laurum, quia laſcivas Apollinis declinans ſagittas; *Fugit ocyor aurâ*; meruerit multò magis D. Urſula, ob heroicam ſuam hanc fugam non in terreſtrem aliquam aut tranſitoriam laurum (cujus jam antea nomen gerebat, nam *Urſula* per anagramma *Laurus* eſt) converti & immutari; ſed in immortalem, quæ in cœleſtem paradiſum, transplantata, æternùm vireat ac floreat. *Ovidius.*

Et cur non mereatur dici & eſſe *laurus Urſula*; quæ non ſolùm Daphnidem generosè fugiendo mundi illecebras vicit, ſed & ipſam *Holofernis* domitricem, veteris Teſtamenti heroinam, inclytam Judith, longè ſuperavit. Hæc ſanè ùt ſacræ enarrant paginæ, *Holofernem* Aſſyriorum Principem, pulchritudine quidem ſua mox cepit (*nam pulchritudo ejus captivam fecit animam ejus*, ait cap. 16.) at eundem etiam obtruncavit, ac in tartarum ablegavit. Verùm noſtra Herois, poſtquam pulchritudine ſua etiam captivâſſet, præclarum alterius Britanniæ Regis filium, nomine *Holofernem*, qui eam in connubium expetierat; eò exemplo ſuo ipſum pertraxit, ut is amore Fidei ac Caſtitatis ſuccenſus, Chriſto adjunctus, ſacro ſe tingi lavacro fecerit, mutato Holofernis nomine in Ætherium, unáque virginitatem perpetuam DEO omnipotenti obtulerit. En igitur Urſulam, primo caſtitatis telo ſauciam, mox per fugam, Daphnidis ad inſtar mutatam in *Laurum* victricem & glorioſam. *Iudith. 16.*

Quia verò pulcherrima hæc virtus, imò Angelica, DEO placere omnino non poteſt ſeparata à charitate, nec etiam abſque ea diu ſubſiſtere; *quemadmodum lampas ſinè oleo*, ùt præclarè obſervat D. Bernardus epiſt. 42. dicens: *Pulchra eſt caſta generatio cum charitate, caſtitas ſinè charitate, lampas eſt ſinè oleo, ſubtrahe oleum, lampas non lucet; tolle charitatem, caſtitas non placet:* factum ut Divinus Amor rurſum ſuum tetenderit arcum, & in doctrinatum ſibi ſcopum, alteram emiſerit ſagittam, quæ puriſſimo auro rutilans, totáque flammea, *charitatem* referebat. Hæc ut primùm cor D. Urſulæ attigit, tantopere eam intrinſecùs inflammavit, ut præ maximo cordis æſtu cum Pſalte regio exclamare potuerit: *Concaluit cor meum intra me*, vel ùt Hebræus legit, *exarſit cor meum intrinſecùs*. N.444. *S. Bernard.* *Pſal. 37.*

Digitized by Google

Et ſanè hæc nimia ejus amoris vehementia, vel maximè colligi poteſt ex immenſo illo animarum zelo; quo ſuccenſa plurimas animas è faucibus inferni, per fidem ereptas, Chriſto dilecto votorum ſuorum animitùs tranſcripſit. Quia autem vera & perfecta charitas, non turpi tangitur zelo, ob ſuum Dilectum, quando advertit eum plures amare, & à pluribus amari, ùt pulchrè obſervavit Gilbertus Abbas ſerm. 6. in Cant. dicens: *Charitas non invidet, non zelatur Dilectum ſuum, omnium vult eſſe Dilectum.* Accidit ut hac charitate inflammata D. Urſula, non Virgines modò decem, quot ſolùm Chriſtus Sponſus in Evangelio evocaverat, ſed centenas, ſed millenas; imò numero abſoluto undecim millia conquiſitas, Dilecto ſuo adduxit, quæ pari ratione eundem ex toto corde, ex totis viribus diligerent. Has etiam verbo & exemplo, ità ad perſeverandum incitavit; ut nulla prorſus earum à fide & charitate Chriſti deſciverit. Meritò proinde Chriſtus Dominus videns ejus ardentiſſimum erga ſe amorem, conjunctum cum ferventiſſimo animarum zelo, poterat idipſum dicere, quod quondam Pater ejus æternus de populo Iſraëlitico Iſaiæ cap. 21. Urſula *poſita eſt mihi in miraculum*, ſiquidem ipſa non quinque duntaxat prudentes adduxit Virgines, quæ accenſis lampadibus, id eſt, charitate & caſtitate, exornatæ mihi adventanti occurrerent; ſed planè undecim millia, quarum nè unica fatuarum exemplum ſecuta, lampadem ſuam extingvi fecit, & à mea deflexit charitate.

Gilbert. Ab.

Iſai. 21.

N. 445. Et quomodo non prudentiſſima hæc Virgo Sponſo ſuo fuiſſet *poſita in miraculum*, quæ ingenioſiſſimum adinvenit modum lucrandi animas eáſque à ſæculi vanitatibus abſtractas, adducendi ad Chriſtum? nam ùt refert Sigebertus hiſtoriographus perantiquus; poſtquam à Parentibus ſuis ad nuptias celebrandas cum Holoferne, alterius Britanniæ Regis filio ſolicitaretur: *Poſtulavit ſibi dari decem Virgines*, ait author, *illuſtres ſelectas, ex utroque regno, tum & ſibi, & ſingulis earum, dari in ſocietatem mille Virgines.* Ut videlicet his adlaborantibus, non tam pro terrenis, quas penitus faſtidierat, quàm pro æternis ſe pararet nuptijs; Sponſóque ſuo tantò glorioſiùs tot ſtipata millibus occurreret. Quæ cùm ità ſint, progrediatur nunc aureum illud eloquentiæ flumen D. Chryſoſtomus, in enarrandis laudibus D. Pauli Apoſtoli, ac dicat eum hac de cauſa, vitam ſibi prorogari optâſſe, ut plu-

Sigebertus.

Digitized by Google

plures ac plures Chriſto lucraretur; repetat inſuper illud memoratu dignum: *Iſta faciebat Paulus, ut multis coronatus iret ad Chriſtum.* Et ego idipſum pari ratione de D. Partheno-Martyre Urſula dicere queo: *Iſta faciebat Urſula, ut multis coronata iret ad Chriſtum*; ſiquidem in hunc finem petijt, & impetravit à Rege Patre, undecim naves onerarias prægrandes, quarum quælibet pro recipiendis mille Virginibus apta & idonea eſſet; unáque obtinuit, ut triennio integro in mari Britannico, vicinóque oceano, cum ſelectis ſodalium turmis, quaquaverſum navigando ſeſe oblectaret. Adornata igitur, omnibus rebus neceſſarijs claſſe, mox D. Urſula congregatas, ac in undecim cohortes, ſub qualibet Præfecta diſtributas Virgines, in naves introduci fecit; ipſa verò poſtquam Parentibus, non ſinè utrinque profuſis lacrymis ad tempus valedixiſſet; Sodales ſuas ſecuta, ſingulas conſcendit naves: *Longum cum eis ſermonem habuit*, ait Sigebertus, *incendens eas & inflammans in DEI amore, ut paratæ omnes eſſent, etiam mortem, ſi oporteret, ſuſtinere; quibus dictis in altum provehuntur.* *D. Chryſoſt.* *Sigebertus.*

At dicite nobis ô innocentes & illuſtres animæ, quò veſtra tenditis vela? quò veſtrum ſulcando æquora dirigitis curſum? dicite, inquam, an non feros ac tumeſcentes expaveſcetis fluctus? an non impetuoſos reformidabitis ventorum inſultus? qui naves per avia & devia, in vaſtis illis oceani ſpatijs propellent? an non denique ſævos intermicantis ætheris exhorreſcetis tempeſtatum turbines? ampliùs quæro, ſi fixum apud vos manet, peregrinas proficiſci in oras, ipſáque ſacra Apoſtolorum inviſere limina, an neſcitis Romæ imperare Alexandrum Severum, in Venerem réſque venereas quidem mollem, in Chriſtianos verò ſeveriſſimum? qui eos per diverſa crudelitatis genera excarnificatos brutorum more diriſſimæ tradet morti? an ignoratis ad Rhenum, quò influere deſideratis peſſimum Maximinum, qui paulò antè excuſſo Alexandri imperio, ſeipſum ſuis adjuvantibus militibus Imperatorem ſubſtituit, omnem exercere tyrannidem; maximè in imbellem fæmineum ſexum? Si ſcitis & hæc vobis conſtant, cur manifeſto vos, amittendæ vitæ pariter ac pudicitiæ exponitis periculo? cur velut oves innoxiæ, vos in medium immittitis luporum? N. 446.

Verùm non terrentur vanis his verborum terriculamentis generoſiſſimæ hæ Virgines, ſiquidem omnes illæ, Duce ac Regina ſua præeunte,

eunte, non ſolùm inflammatæ erant ejuſmodi charitate, de qua dici
Cant. 8. poteſt, illud Salomonicum Cant. 8. *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Sed inſuper poſtquam D. Urſula à Dilecto votorum ſuorum, tertiâ Martyrij ferreâ ſauciata fuit ſagittâ, tanto intrinſecus pro Chriſto Sponſo, ſui fundendi ſangvinis flagrabant deſiderio, ut omnia omnino pericula imperterritè contempſerint. Bonis igitur & ſecundis procedite favonijs maſculæ Viragines; Heroides partheniæ, ſequimini invictiſſimam veſtram Ducem
Bonfinius. ac Reginam Urſulam, & *quidem in perpetuum*, verba ſunt Bonfinij, *virorum ruborem confuſionémque*, qui vobiſcum audebunt congredi, vóſque in arenam provocare.

N. 447. Quod & factum, nam poſteaquam urbium primiceriam, Martyrúmque ſangvine nobilitatam viſitâſſent Romam, in eáque ſacra Apoſtolorum lipſana, ſumma religione ac pietate veneratæ fuiſſent; unà cum S. Papa Cyriaco, reverſæ ſunt Baſileam, ibíque conſcenſis navibus, quas ad reditum uſque in urbis portu reliquerant plenis velis remíſque ſecundùm Rhenum progreſſæ Coloniam tandem Agrippinam appulerunt. Interea quod D. Urſulæ, jam pridem à Chriſto JESU, ejúſque Angelis revelatum fuit; eis omnino accidit; dum crudeles Hunni, qui paſſim omnia in Germania, cis ac trans Rhenum vaſtabant, eas cum deſiderio reduces præſtolabantur; ut tam nobilem florentémque ſocietatem, vel ſuæ ſubjicerent voluntati, vel armis trucidatas, penitus perderent. Id etiam ubi ſanctis innotuit Virginibus, mox *omnes*
B. Dionyſius Carthuſ. *ſummè gaviſæ ſunt* (ait Dionyſius Carthuſ. ſerm. 1. in Pſal.) *atque in novam conjurârunt militiam, non corporalibus armis, ſed virtutum operibus dimicando, non pro temporali victoria, ſed pro Fide Catholica & virginitate conſervanda, ſeipſas tradiderunt.*

Hinc ut primùm naves conſtiterunt in littore, è veſtigio D. Urſula, tanquam virginei hujus exercitûs Dux & Anteſignana: *Crucis ve-*
Bonfinius. *xilla ferens*, ait Bonfinius, *prima in terram deſilijt*, ac pulchro ordine ſibi ſuccedentes è navibus Virgines in undecim diſtribuit manipulos ſeu cohortes; ut irruentes hoſtes non tam bellando, quàm ſuſtinendo fortiter vincerent, fidémque ſemel Chriſto Sponſo datam ad extremum uſque halitum incorruptam ſervarent. Unde vix eas, pulchro hoc conſiſtentes in ordine conſpexêre hoſtes: *ſubitò hi barbari*, ait

Epi-

Epiſcopus Equilinus in earum vita, *velut lupi in oves irruerunt*; & quiſque unam alterámve, quam ſibi rapere deſignaverat aggreditur; verùm omnes hæ Virgines (unicam Cordulam ſi excipias, quæ territa certamini ſe ſubduxit, altera tamen die in novum deſcendens glorioſè de hoſtibus triumphavit) omnes inquam hæ Virgines, tantùm abeſt, ut ad vicinas naves profugerint, aut eorum ceſſerint voluntati; quin imò eodem in loco quo à S. Urſula collocatæ fuerunt; generoſiſſimè certantes, ad ultimam uſque ſangvinis, vitæque profuſionem perſtiterunt. *Equilin. Ep.*

N. 448. Hanc cruentam Virginum cædem, ſi oculis ſpectare licuiſſet, vidiſſemus enimvero, quam imperterritè omnes hoſtium reſtiterint voluntati, quàm intrepidè ſe eorum armis objecerint concidendas. Spectaſſemus profectò, nonnullas genu flexo, candidum Tyrannis collum præbuiſſe feriendum, alias ad excipiendum ſagittas proprium denudâſſe pectus; alias extentis brachijs in ſe provocâſſe enſes, haſtáſque ut ſic profuſo in terram ſangvine, Dilecto ſuo cum veritate dicere poſſent: *Sponſus ſanguinum tu mihi es*, Exodi 4. Obſervaſſemus denique invictiſſimam Virginum Ducem D. Urſulam, per medium earum diſcurrentem, omnes Crucis vexillo animantem, atque ad occumbendum pro Christo fortiter, omnes verbis geſtibúſque cohortantem. Nihilominus cum atteſtante Origene: *Forma vincit armatos, & ferrum pulchritudo captat*; evenit ut barbari hi ſocij, alias cædendo, incredibilem D. Urſulæ pulchritudinem conſiderantes, eidem pepercerint ac Duci ſuo Giula; quemadmodum olim Aſſyrij Juditham Holoferni præſentandam judicaverint. Verùm Herois noſtra, quæ paulò antè regium Holofernem, meliori modo vicerat, quàm Juditha ſuum; cordatè oculos Ducis barbari ſubijt & cum ab eo, flagitium ſibi attentari, aut nuptias parari audiviſſet, animosè prorſus in hæc, Bonfinio teſte erupit verba: *Diſcede à me fomes peccati, nutrimentum inferni, mortis pabulum; diſcede à me, quia jam ab alio amatore prævента ſum*; ſcilicet à Chriſto JESU, cui me & omnia mea cum virginitate jam dudum devovi. Quare his dictis exacerbatus barbarus, mox pharetram concuſſit, arcum arripuit, tetendit, ac appoſitam ſagittam in pectus D. Virginis ejaculatus, cor ejus transfixit, illúdque cor, quod priùs Divinus Amor triplici ſagittaverat ſagittâ. *Exodi 4.* *Origenes.* *Bonfinius.*

Nunc ad hoc ſpectaculum, ubi telo transfixa D. Partheno-Martyr Urſula viriliter occubuit concurrite utriuſque ſexûs Fideles; maximè verò vos Virgines: *Venite & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram.* Conſiderate victrices has Chriſtiadum Amazones, maſculas ac vinci neſcias ponderate Viragines, *quas Spiritus Sanctus* (verbis utor B. Dionyſij Carthuſiani) *tam mirabiliter confortavit, tam ſapienter erudivit, tam validè inflammavit, tam ſalubriter direxit.* Et cùm hæ, præſertim D. Urſula, à Sponſo ſuo dilectiſſimo JESU triplici gratiarum (ùt oſtendi) vulnerata fuerit ſagitta, Caſtitatis videlicet, Charitatis, & Martyrij, ejus ad exemplum, ab eodem caſtiſſimo animarum Sponſo efflagitate, ut pari ratione cor veſtrum aliquâ ſaltèm ex his tribus, ſi non omnibus vulneret ſagittâ, potiſſimùm verò ſuâ amoris aureâ vos ſauciet, ut ab ea inflammatæ ſpretis mundi illecebris, ejus quoque deceptorios laqueos & pedicas generosè effugere; ac demum Chriſtianæ hujus Daphnidis ad inſtar in laurum mutatæ, æternùm cœleſti in Paradiſo florere poſſitis.

Pſal: 45. B. Dion. Cart.

In Feſto Omniũ Sanctorum.

Concio IV.

Regia ad Cœlum via, via Sanctæ Crucis.

Argumentum. *Omnes in cœlis Sanctos ut ad requiem pervenirent æviternam, viâ regiâ Sanctæ Crucis, via perſecutionum & tribulationum inceſſiſſe; oſtendo in præſenti Actione, introducendo ſingulos omnium Beatorum ſtatus; qui unanimiter illud ex Actis Apoſtolorum fatentur;* Quoniam per multas tribulationes oportebat nos intrare in Regnum Cœlorum. *Nec immeritò, ſiquidem verè Patriarchæ veteres, quia* tentati & afflicti; *Prophetæ, quia* ludibria & verbera experti; *Apoſtoli, quia* cæſi, ſecti, lapidati, crucifixi; *Martyres, quia* in ore gladij occiſi, *aliiſque pœnis interempti; Confeſſores, quia ærumnas, exilia, perſecutiones perpeſſi; Virgines demum, quia* carnem cum vitijs & concupiſcentijs crucifixerunt; *æternam ſibi in cœlis gloriam promeruêrunt.* Gau-

Digitized by Google

Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. *Matth. c. 5.*

SI hodierna die, qua univerſalis toto terrarum orbe diffuſa, Eccleſia; glorioſa omnium Sanctorum merita, ſub una ſolennitate veneratur, liceret nobis, noſtróque mortali oculo, vel per tenuem quaſi rimulam, cœleſtis Patriæ inſpicere felicitatem; ſi inquam vel ad modicum tempus, cum magno illo Apoſtolo in tertium Beatorum cœlum rapti, nobis innumera triumphantium, ac ſeſe præſertim hoc feſto oblectantium intueri agmina concederetur; profectò ingenti gaudio, anima noſtra delibuta deficeret, nóſque cum Pſalte regio attonitis perſimiles exclamare cogeremur: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.* Pſal. 83. N. 449. *Pſal. 83.*

Nec immeritò ſi enim etiamnum hoc in orbe ſublunari, qui aliàs veriſſimè lacrymarum cenſetur vallis, oculus humanus in comitijs v. g. Imperij, quo Principes, Reges, Duces, eorúmque Ablegati, magno numero ac ſplendore conveniunt; videndo eorum inſolitos apparatus ſatiari omnino nequit, quomodo obſecro ſatiaretur, ſi incomprehenſibilem Beatorum in cœlo exultantium gloriam intueretur? Bene proinde D. Fulgentius poſtquam Romæ ſub Theodorico Gottorum Rege, ampliſſima undique confluentium, è Romana Nobilitate Procerum comitia, oculis ſuis ſpectâſſet, ac in ijſdem admirandum veſtium luxum, curruum ac equorum apparatum magnificentiſſimum conſiderâſſet, in lacrymas præ gaudio ſolutus exclamavit: *DEUS bone! quàm pulchra ſit oportet cœleſtis Jeruſalem, cùm Roma terreſtris tanta pompâ & fulgore reſplendeat!* *S. Fulgentius.*

Cùm igitur omnes prorſus mundi illecebræ, omnia penitus hujus ſæculi gaudia, umbra ſolummodo, imò mortis indicia ſint reſpectu æternæ beatitudinis: nam *temporalis vita*, ait D. Gregorius homil. 37. *æternæ vitæ comparata, mors eſt potius dicenda quàm vita*; meritò auſim dicere cum venerabili Beda: *Inclytam urbis illius felicitatem, comprehendere nullus unquam ſermo ſufficit*; ut quæ in ſe habet D. Petro Dam. teſte: *Requiem voluptuoſam, vitam perpetuam, ſapientiam mentis, agi-* N. 450. *D. Gregorius.* *Ven. Beda.* *S. Petr. Dam.*

Digitized by Google

limitem corporis. Idcirco & D. Gregorius, ubi penitiùs æternam mente
D. Gregorius. ponderâſſet felicitatem, in hæc erupit verba. *Quæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere ſufficit; illa ſupernæ Civitatis quanta ſint gaudia, Angelorum choris intereſſe, cum beatiſſimis Spiritibus, gloriæ Conditoris aſſiſtere, præſentem DEI vultum cernere, incircumſcriptum lumen videre, nullo mortis metu affici; incorruptionis perpetuæ munere lætari.*

Et ſanè immenſitas illa gaudij, utcunque colligi poterit, vel ex unica Chriſti Domini transfiguratione in monte Thabor: Si enim Divus Petrus ut primùm transfiguratam Chriſti Domini conſpexit Humanitatem, ſuî impotens corruit præ gaudio in terram, ac poſtmodum
Matth. 17. ad ſe reverſus exclamavit: *Domine bonum eſt nos hic eſſe*, Matth. 17. Quid amabò dixiſſet, ſi veluti D. Paulus in cœlum raptus, vidiſſet ea, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit? *Si Petrus* (confirmat dicta
S. Paſchaſius. mea D. Paſchaſius lib. 8. in Matth.) *viſa Domini claritate vultûs vult deinceps in monte manere, & nec ad momentum deſcendere, ſed ſola ei claritas, quæ de facie Chriſti ſplendet, placet; quid putare poſſumus, quomodo placeret ei, ſi talem tunc potuiſſet intueri, qualem nunc cernit, exutus jam mortalitate?* Certè non ſolùm illud repeteret, *bonum eſt nos hic*
Pſal. 131. *eſſe*, ſed adderet: *Hæc requies mea, hic habitabo, quoniam elegi eam.*

Quæ cùm ità ſint, & omnes in cœlis Sancti, incomprehenſibili gaudio delibuti, potiſſimùm hoc feſto exultent ac tripudient; liceat
Matth. 5. illis animitùs acclamare illud evangelicum: *Gaudete & exultate ò beatiſſimi* Cœli Principes! *quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Gaudete inquam, & dum perenni illo gaudio diffluitis, noſtrûm, qui ſumus membra veſtra, & adhuc inter ſpem & metum, in hac lacrymarum valle verſamur, nolite obliviſci. Quia verò & nos illis aliquando conjungi deſideramus hac dictione conſtitui inquirere in viam, quæ ducit ad illum beatitudinis locum; ut huic inſiſtentes, eorúmque veſtigia prementes, ad eos certò ac ſecurè perveniamus.

N. 451. Copioſiſſimam, imò innumeram in cœlis Sanctorum utriuſque ſexûs exiſtere multitudinem, oculatus teſtis D. Joannes Evangeliſta in
Apocal. 7. Apocalypſi ſua, cap. 7. his aſſeverat verbis: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus tribubus & populis, & linguis ſtantes ante thronum in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna dicentes: Salus DEO noſtro,*

qui

qui ſedet ſuper thronum & Agno. Hoc ubi ingenti cum gaudio fuiſſet intuitus; ſubitò è Senioribus quidam ex eo quæſivit: *Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt? & unde venerunt?* cùm autem ipſe reſponderet: *Domine mi tu ſcis*, unáque ab eo poſceret, quænam & undenam eſſet hæc ingens multitudo: repoſuit illi Senior: *Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lavêrunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni; ideo ſunt ante thronum DEI.* Quaſi diceret, ait P. Cornelius in hunc locum: *Hi ſunt Sancti, qui animas ſuas, vel crebro gemitu, oratione & compunctione, vel per continuam, charitatis, patientiæ, omniúmque virtutum exercitationem, vel per Martyrium depurârunt.* P. Cor. à Lap.

Et ſanè ſi hos ipſos Beatiſſimos æternæ felicitatis Incolas interrogâſſet, quomodo, aut quâ viâ cœlum ſubintraverint, nil aliud repoſuiſſent, quàm illud ex Actis Apoſt. c. 14. *Quoniam per multas tribulationes oportebat nos intrare in regnum cælorum.* Adeò ut nulla alia via ſuperſit, quæ ducit ad cœlum, quàm via regia Sanctæ Crucis, via perſecutionum & tribulationum. Unde & Chriſtus Dominus, octo beatitudines proferens, ijs qui patienter tolerant à DEO immiſſas perſecutiones, abſque ulla dilatione, cœlum tanquam jam jure ipſis proprium appromiſit: *Beati*, ait, *qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Ubi bene notandum, eum dum his mercedis locò aſſignat cœlum, non dixiſſe in futuro, *ipſorum erit regnum cælorum*; ſed in præſenti *ipſorum eſt*, innuens jam actu eis poſſidendum attribuiſſe. Hinc præclare Guerricus Abbas, ſerm. de Om. SS. *Chriſtus non ait, ipſorum erat, ſed eſt regnum, non ſolùm propter jus firmiſſimum, ſed etiam propter uſum feliciſſimum.* Qualem habuiſſe cenſeo D. Paulum, quando vinculis in carcere conſtrictus exclamavit: *Sedere nos fecit in cæleſtibus*, ad Epheſ. 2. Et, *converſatio noſtra eſt in cælis*, ad Philip. 3. quos videlicet ob perſecutiones toleratas jam quaſi jure poſſidebat; nec abs re, ſiquidem D. Gregorio teſte, *ibi erat, ubi ardentem jam mentem fixerat, non illic, ubi illum neceſſariò pigra adhuc caro retinebat.* Apocal. 14. Matth. 5. Guerric. Ab. Epheſ. 2. Philipp. 3. D. Gregorius.

Ad hoc igitur Beatitudinis Regnum neminem pervenire poſſe, niſi per ſpinoſam Crucis ac perſecutionum viam; nec ullum anguſtam illam cœli portam hactenus ſubintrâſſe, niſi qui flammeum Cherubini enſem expertus eſſet, probat id D. Iſidorus Peluſiota, ex Paradiſo ter- N. 452.

Geneſ. 3. reſtri, ante quem *collocatus erat Cherubim & flammeus gladius atque verſatilis*, Geneſ. 3. *Sicut enim DEUS*, inquit ipſe, *expulſo Adamo, ante paradiſum terreſtrem collocavit Cherubim, ita pariter poſuit ante cæleſtem, ut videlicet per frameam ejus flammeam & verſatilem, id eſt, per tribulationes temporales & urentes, omnes tranſeant, qui ingrediuntur cælum.* Quod quàm verùm ſit, & quomodo non ſolùm veteres Patriarchæ & Prophetæ, ſed & DD. Apoſtoli omnéſque Chriſtiani, imò ipſe benedictus JESUS flammeum hunc atque verſatilem tribulationum gladium cœlos penetrantes ſuſtinuerint; ſatis ſupérque indicat eorum vita, quæ plena erat doloribus, plena perſecutionibus.

S. Iſidorus.

Idcirco ſi Patriarcharum primùm inſpiciam vitam, adnimadverto eos nullâ aliâ viâ, quàm viâ regiâ S. Crucis & perſecutionum inceſſiſſe, ac ſic cœlos ſubijſſe. Nam *quid erat purius Abele*, loquor cum D. Bernardo, *attamen ad regnum ingreſſurus à Caino interfici debuit*. Similiter quid erat ſanctiùs Abrahamo & Iſaaco, quos DEUS ſpeciali prærogativa, *Patres multarum gentium* conſtituit; & tamen, *quibus tribulationum generibus, non quatiebantur?* ait D. Hieronymus epiſt. ad Virg. exul. Dum videlicet non ſolùm ab adverſarijs, multa paſſi, ſed ab ipſo quoque optimo DEO, acerrimè tentati ſunt; nam *tentavit DEUS Abraham*, ait ipſa Scriptura Geneſ. 22. Pari ratione (ut in præſenti ſileam admirandum illud patientiæ prototypon Jobum, cujus vita mera erat tentatio ſuper terram) *quàm multa non paſſus eſt S. Job, dum fratris odium declinans ad Labanum perrexit, & viginti annorum mercenariam ſervivit ſervitutem? imò quantis tentationibus non conflictatus eſt ſanctiſſimus Joſeph, qui quoties aliquid ſanctè vel piè geſſit, toties intolerabilium tentationum diſcrimina ſubire compulſus eſt*. Siquidem à fratribus inhumaniter tractatus, ab ijſdem in Ægyptum barbaris venditus, à Domina falsè de crimine peſſimo accuſatus, adeò vinculis conſtrictus fuit; ut *ferrum pertranſierit animam ejus?*

D. Bernard.

D. Hieron.

Geneſ. 22.

S. Hieronym.

Pſal. 104.

N. 453. Si nunc me convertam ad ſanctiſſima Prophetarum agmina; quos DEUS ſpecialiter prælegit, ſibíque Vicarios ſubſtituit, qui populum hortando, monendo, increpando erudirent, video & ipſos eandem perſecutionum ſemitam à Patriarchis tritam, conſtantèr & fortiter tenuiſſe. Siquidem vel ipſomet atteſtante D. Apoſtolo ad Hebr. 11. *Ludibria & verbera experti ſunt, inſuper & vincula & carceres, lapidati ſunt,*

Hebræor. 11.

Digitized by Google

ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt. Certè Iſaias licèt è regia oriundus eſſet ſtirpe, à Manaſſe tamen impio tum Judæorum Rege, ſerrâ per medium ſectus eſt. Sic Jeremias etſi in utero matris ſanctificatus, innocentem prorſus duxerit vitam, à populo tamen ſuo, in civitate Taphnis, lapidibus obrutus interijt. Nec aliter accidit Ezechieli Prophetæ ferventiſſimo, qui diu ab ipſomet DEO optimo, inediâ, aliiſque pœnis maceratus, demum in Babylone jubente Judice Iſraëlitico, per lapides tractus effuſo cerebro vitam finivit. Unde bene Tertullianus in ſcorp. c. 8. *Elias fugatur, Jeremias lapidatur, Iſaias ſecatur, Ezechiel per lapides trahitur, Zacharias inter ædem & altare trucidatur.* Imò quod mirandum, etiam duo illi Prophetarum manſuetiſſimi Moyſes & David, hunc tribulationum tramitem exactè premere debuerunt. Dum ſcilicet Moyſes, non ſemel duntaxat, ſed iteratò, ab ingrato ſuo populo, lapidibus impetitus fuit; David verò continuum quaſi perſecutionum exercitium ſuſtinens, varios nactus eſt adverſarios; inter quos & ipſum à ſe progenitum parricidam Abſolonem, qui eum mirè exercuerunt, & ſi potuiſſent, morti tradere non dubitâſſent. Quod ubi mente ſua pertractavit D. Chryſoſtomus, hæc homil: 3. in epiſt. ad Roman. annotavit: *Sic Jeremias inclaruit à lacu cæni, ſic Moyſes & David à Judæorum invidentia, ſic unusquiſque magnorum Virorum, non à requie, non à deliciis, verùm ab afflictione à tentationibus, inſignes coronas reportârunt.*

Tertullianus. *D. Chryſoſt.*

Quod ſi chariſſimos Chriſti rogem Apoſtolos, uti & reliquos Diſcipulos Domini, quomodo & quâ viâ regnum illud ſubintraverint, de quo eis Dominus dixit in ultima cœna: *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam.* Luc. 22. confeſtim mihi reſpondebunt, ſe per nullam aliam intrâſſe viam, niſi per illam, quam ipſemet trivit, & ſuo purpuravit ſangvine Chriſtus, qui de ſe faſſus Luc. 24. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.* Unde meritò D. Chryſoſtomus homil. de laud. Pauli, videns eos tam alacriter ſemitam S. Crucis atterentes, *vitam eorum nuncupavit, continuum quaſi Martyrium*; ut qui pro Chriſto ſuſtinuerint *tribunalia, carceres, mortes, minas, fames, tormenta, fornaces, direptiones, bella, oppugnationes, pugnas, ſeditiones.* Idcirco etiam Petrus, Andreas, & Philippus, unicam ſuam in cruce poſuerunt ſalu-

N. 454. *Luc. 22.* *Luc. 24.* *D. Chryſoſt.*

ſalutem, per quam triumphabundi cœlos conſcenderunt. Paulus & Jacobus Major, ut per humilem cœli portam, tantò faciliùs ſubingrederentur, capite minui voluerunt; Jacobus Minor & Thadæus fuſtibus contundi, Bartholomæus vivus excoriari, Simon ſerrâ diffindi medius, ut per eandem arctam & anguſtam intrantes portam, nullam experiri cogerentur difficultatem. Imò ipſemet amabilis *Diſcipulus quem diligebat JESUS*, non aliâ incedere poterat viâ, quàm hac cruciatâ, ſiquidem non priùs per cælicam intromiſſus eſt portam, quam antè ferventi in oleo Romæ ad portam latinam, coctus & excruciatus fuiſſet. Bene proinde de ipſis dixit Salvianus Epiſcopus, lib. 3. de gubern. *Apoſtoli ad cœleſtis regiæ januam gradibus pœnarum ſuarum aſcendentes, ſcalas ſibi quodammodo de equuleis cataſtiſque fecerunt.*

Ioan. 21. *Salvianus.*

N.455. Superfluum nunc eſſet quærere ex SS. Martyribus, quomodo illi ad has immarceſcibiles in cœlis venerint palmas? ſiquidem omnes unanimi mihi reſponderent voce, vel illud ex Actis cap. 14. *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum*; vel illud ipſum, quod de eis dixit Senior Apocalypticus: *Venimus ex magna tribulatione, & lavimus ſtolas noſtras, & dealbavimus eas in ſangvine Agni.* Et certè idipſum interrogata atteſtaretur nobis S. Urſula, cum ſuo virgineo undecim millium exercitu; diceretque ſe cum ſuis, nonniſi per effuſionem ſangvinis, potuiſſe intrare ad vitam. Atteſtarentur quoque idipſum nobis, non ſolùm illa decem Chriſtianorum Militum millia, quos die una impius Diocletianus; à reſiduo exercitu necari præceperat; ſed & illa cordata Divi Mauritij, invictiſſimi Ducis legio, quàm conſtantiſſimè Chriſtum prædicantem efferus Maximianus trucidari, ac internecione deleri imperârat: dicerent enimverò hi omnes, cum reliquis Sanctis Martyribus illud D. Auguſtini ex ſerm. de S. Vincentio: *Ideo coronati ſumus, quia vicimus in verbis, vicimus in pœnis, vicimus in confeſſione, vicimus in tribulatione, vicimus exuſti in ignibus, vicimus ſubmerſi in fluctibus.*

Act. 14. *Apoc. 7.* *D. Auguſtin.*

A purpuratis hiſce triumphantium Martyrum legionibus procedo ad glorioſas Chriſti Confeſſorum turmas; & cùm in ijs contineri videam tot Epiſcopos ac Eccleſiæ Doctores, tot Religioſos atque Anachoretas, tot Viduos ac Viduas animadverto pariter, neminem ex ijs ad hanc interminabilem Beatitudinis gloriam pertigiſſe, niſi prius octa-

vum

vum beatitudinis gradum, qui conſiſtit in perſecutionum tolerantia, generosè calcâſſent. Hinc factum cùm ipſi ſibi amore cœleſtis Regni (quod *vim patitur*, Matth: 5.) tanquam violenti, vim intulerint; corpus ſeverè caſtigaverint, ac in ſervitutem redegerint; paupertatem, ſponte omnia dimittendo, amplexi ſint; verbô, pro Chriſti nomine contumelias, injurias, probra, exilia fortiter toleraverint; meruerunt æquè ac Martyres in cœlum recipi, & à Domino Remuneratore, gloriæ coronâ condecorari. *Matth. 5.*

N.456. Denique ſi liligeras Virginum Agnum immaculatum ſequentium; ac ſuaviſſimè cantantium accedam cohortes; eáſque rogem, quâ viâ huc intraverint, & ad tantum gloriæ pervenerint faſtigium; idem ſanè quod alij mihi reponerent, ac dicerent: *Quoniam per multas tribulationes oportebat nos intrare in Regnum cœlorum.* At quî fieri poterat? ô caſtæ & delicatæ Virgines, quòd per multas tribulationes intraveritis in regnum, cùm nihil ſimile in corpore paſſæ ſitis quod Martyres? Certè nemo vos in vincula & carceres compegit, nemo ad equuleos & cataſtas pertraxit; nulla unquam ludibria & verbera expertæ eſtis; nec ulla ex vobis lapidata eſt, ſecta eſt, tentata eſt, in occiſione gladij mortua eſt. Quî ergo fieri potuit, ut velut Martyres, per multas tribulationes cœlum ſubintraretis? verùm & has, delicatas licèt Virgines, attamen ùt Martyres, ſibi per tolerantiam Martyrij, cœlum promeruiſſe certum eſt; ſiquidem Divo Hieronymo teſte, *& pudicitia ſervata ſuum habet Martyrium.* Hinc tametſi eis defuerit tortor ac tyrannus, quo cum cruenta inirent certamina; non tamen eis defuit tyrannus ſuavior, & ad nocendum potentior, cum quo quotidie pene eis confligendum erat. Nam ùt rectè docet D. Auguſt. lib. de honeſt: Muli: *Inter omnia Chriſtianorum certamina, ſola dura ſunt prælia caſtitatis, ubi quotidiana pugna & rara victoria.* Rationem hujus aſſignat: *Gravem namque caſtitas ſortita eſt inimicum; cui quotidie reſiſtitur, & ſemper timetur.* Nimirum corpus & carnem propriam, de qua, lib. de Agon. Chriſti, hæc conqueritur: *Nullum pejorem patior hoſtem, quàm corpus meum in quo habito; eſt enim quaſi leo ſubverſor in domo mea, undique me peſtifero morſu dilacerans.* Hunc igitur vaferrimum hoſtem, hunc blandientem tyrannum, quia Virgines ſuppreſſerunt; in quotidianis fermè tentationibus vicerunt, eúmque *cum vitiis & concupiſcentiis ſuis* generosè prorſus *D. Hieron.* *D. Auguſt.*

Digitized by Google

INDEX
Rerum præcipuarum in hoc Opere contentarum.

NB. Numerus appoſitus, marginalis eſt.

A.

ABel placuit DEO per fidem, Innocentiam. Num. *366. Reſpexit eum Deus, quia fuit hilaris dator.* ibid. *Occiditur à fratre.* 372. *Adhuc loquitur, quia ejus adhuc manet memoria.* 374.

Acedia, ſeu ſocordia animæ plurimum nocet. 415.

Adamus fuit dominus univerſorum in terra. 7. *Paradiſo ejectus non omne perdidit imperium.* 10.

Adoleſcentia indiget freno, quia ad lapſus prona. 38.

Ambitio nonnullorum Clericorum deſcribitur ex D. Bernardo. 388.

Ambitionem prenſant filij hujus ſæculi. 264. *Opprimuntur ab eadem velut Abimelech, Abſalon, Athalia.* ibid. *vi. Honor.*

Amici Chriſti ſunt Juſti. 123.

Amici veri proprietates enarrat Ariſtoteles. 124.

Amor nudus pingitur, quia rebus ſuis ſe ſpoliat, & eſt liberaliſſimus. 281. *Cæcus pingitur, quia eſt, & alios cæcos facit.* 108. *Exempla aliquorum, qui cæcè res viles dilexerunt.* ibid. & Num. 109.

Amoris exemplum ingens in Regina Angliæ pro Marito occumbente. 111. *Amor Abrahami reſpectu Dei, umbra fuit.* 112.

Amorem ab homine reciprocum Deus poſtulat. 113. *Qui non amat Deum, manet in morte.* ibid. *Ingentem cauſat Deo dolorem.* 114. *Eſt ingratiſſimus & pejor beſtiis.* ibid. *Similem amorem poſtulat Chriſtus.* 121. *Qui hunc ei negant, rurſum eum crucifigunt.* ibid. *Indigniſſima res Amorem crucifixum non amare.* ibi.

Amor ſeu dilectio proximi eſt character Chriſtianorum. 320. *Hunc novo mandato præcepit Chriſtus.* ibid. *Extenditur maximè ad inimicos.* 321. *Cœlum nobis aperit.* 325. *Amor erga ſubditos exemplis eorum declaratur, qui pro ipſis mortui ſunt.* 118.

Amor Divinus ſagittarius eſt. 357. & 442. & ſeq. *In ſagittando nullum novit habere modum.* ibid. *In corde hominis reſidere deſiderat.* 394. *Elucet maximè in adverſitatibus.* 396.

 S. An-

Digitized by Google

S. Andreas gaudens aſcendit crucem. 268. *Noluit ex ea deponi.* 269.

SS. Angeli Deum continuo adorant. 4. *Nobis ſubmittuntur, quia mundus plenus eſt ſcandalis.* 211. *Non deſerunt ſuos licèt ab iis offenſi.* ibid.

Angeli ſunt Paranymphi animæ. 192. *Valde offenduntur à ſcandalo.* ib. *Grati eis erimus, ſi non ſcandalizemus alios.* 200.

SS. Angeli Cuſtodes cuilibet homini attribuuntur. 201. *Summum id eſt beneficium à Deo.* ibid. *Eorum ingens pro nobis cura.* 202. *Inſtar muri nos circũdant.* 203. *Contra multitudines dæmonum, nos plures tuentur.* 204. *Probatur id exemplo.* ibid. *Ex incendio Sodomorum eduxerunt Loth; & ex carcere S. Petrũ.* 205. *Aſtiterunt Juditha contra Holofernem; & Theophilam in lupanari ſervârunt inviolatam.* 206. *Deficientes refecerunt cibo & potu.* 207. & 208. *Redamandi & colendi ſunt.* 209. *Fugamus eos, dum peccamus.* ibid. *In omni loco eos revereamur.* ibid.

Anima hominis SSS. Trinitatis imago eſt. 6. *ùt aquila ſe levare debet ſuper terrena.* 98. *In arduis habitet mente.* ibid. *Habeat duplices alas.* ibid. *Conetur habere omnes proprietates aquilæ.* 99. *Ingentis apud Deum pretij eſt.* 203. *Debet eſſe plena oculis.* 415. *Non debet eſſe nimiùm ſecura ſalutis.* 416. *Maneat in timore Dei exemplo S. Stephani.* 417. *Sit ſimilis palmis.* 297. *Semper plena fructibus bonorum operum.* 298. vid. *Opera bo.*

Anna Samuelis mater fuit mulier fortis. 176. *Variis fuit virtutibus prædita.* ibi. *Obtulit filium tanquam agniculum Deo.* 178. *Ob hoc à Deo benedicta plures ſuſcepit proles.* 179.

SS. Apoſtoli accepto Spiritu Sancto facti ſunt intrepidi. 101. & 103. *Facti ſunt ab eodem Doctores gentium.* 105. *Profecti ſunt in patientia per mundum univerſum.* 403. *Prædicârunt ubique Chriſtum imperterritè.* 405. *Converterunt plurimos* 406. *In gratiam eorum Deus ingentia fecit miracula & ſigna.* 408. *Licèt fuerint columnæ firmiſſimæ, tamen nutârunt in fide.* 287.

Aquilarum proprietates deſcribuntur. 93. 95. 96. *Viam Aquilæ in cœlo ignoravit Salomon, & cur?* 93. *In excelſis nidificant, cur?* 95. *Pullos ſuos ferunt ſuper alas.* ibid. *Quàm beneficas ſe hominibus exhibuerint varia exempla.* 96.

Arbores amant Dij homineſq;. 261. & ſeq.

Arcam Fœderis ſummè venerabantur Judæi. 149. *Per eam locutus fuit Deus variis.* 151. *Erat omnium bonorum theſaurus.* ibid. *Contrivit Idola.* 152. *Protegebat ſuos contra hoſtes.* 154.

Aſcenſio Domini fuit clauſula totius itinerarij Chriſti. 92. *Vocatur admirabilis, cur?* 94.

S. Auguſtini ingens amor erga Deum. 393. *Item erga Proximum.* 396.

Aulæ Principum multis fuerunt in ruinam. 265. *In ea ſuſpenditur Aman, exoculatur Bellizarius, diſcerpitur Ablavius,* deci-

decipitur Volſaus. 266. *Eorum vita miſerrima.* 267. *Unius hora ſpatio interdum evertitur.* 267. *Aulici rariſſimè fiunt ſenes.* 273. *Supplantant ſe invicem.* ibid. *Teſtis Achitophel.* 275. *Tutiùs eſt inter beſtias vivere, quàm inter Aulicos.* 276. *Teſtis David & Daniel.* ibid. *Aula, multos ſuſtulit.* 277. *Hanc fugere exemplo Moyſis laudabile eſt.* 278.

C.

Cain crudelior fuit beſtiis, Patriarcha impiorum. Nu. 372.

Caro peſſimus & maximus hoſtis eſt hominis. 368. *Superatur gratiâ Dei.* ibid:

Caſtitas nullius meriti eſt, ſinè operibꝰ charitatis. 370. *Huic omnes virtutes cedũt, facit hominem quaſi Deum.* ibid.

Caſtitatem ut ſervarent, vitam poſuerunt Milleſia Virgines. 378. *Caſtitas homines Angelos facit.* 343. *Annexũ habet martyrium.* 394.

S. Catharina intelligi poteſt per Mulierem amictam ſole. 433. *Fuit in cælum invitata à Chriſto.* 434. *Fuit ſignum ſeu prodigium.* 435. *Fuit veſtita à Sole Juſtitia Chriſto.* ibid. *Lunam habuit ſub pedibus, quia mundum, diabolum, & tyrannum vicit.* 436. *Non fuit fatua ſed prudens Virgo.* ibid. *Nullis tormentis potuit frangi.* 437. *Coronata fuit ſtellis, quia docta fuit, alióſque convertit.* 438. *Superavit diſputando quinquaginta Philoſophos, eóſque Martyres fecit.* 439.

Celi pulchritudo colligi poteſt aliquomodo ex terrena. 349. *Eam nullus intellectus capere poteſt.* 450. *Tanti pretij eſt, ut ipſe Chriſtus illud emerit ſuo ſanguine.* 69. *Ad illud nulla alia via eſt quàm paſſionis.* ibid. & 450. *Nulli gratis datur.* 70. *Iis omnibus præparatur ſicut Chriſto.* 72.

Chriſti præſepe & panni vera ſunt ſigna Deitatis. 19. *Hæc ejus fuerunt gloria.* ib. *Ligatus faſciis fuit fortiſſimus.* 21. *Sic ligatus vicit diabolum.* ibid. *Iacens in præſepio terruit Herodem potentiſſimũ.* 22. *Venit parvulus, ut ametur & non timeatur.* 23. *Venit pauper & humilis, ut omnibus pateret ad eum acceſſus.* 24. *Iacens in præſepio fuit magnificentior Salomone in throno ſuo.* 25. *Stabulum omni palatio auguſtius fecit.* ibid. *Ejus faſcia & panni omni cœlo præſtantiora.* 26. *Cur ligari voluit pannis &c.* 27. *Cur in campo naſci.* ibid. *Natus eſt humilis, ut noſtrum comprimeret faſtum.* 28. *Vocatur Princeps pacis, quia pacificat cõjuges.* 39. *Vocatur Emmanuel, quia nobiſcum manere deſiderat.* 41. *Impinguatur inter lilia caſtimtis.* ibid. *Vocatur oriens, quia ùt ſol diſpulit errorum tenebras.* 44.

Chriſtus reſurgens præmittit Gabrielem ad B. Virg. 63. *Ejus gloria deſcribitur.* 64. *Iam tantùm ſimilis Filio hominis.* 65. *Mortem & diabolum in triumphum duxit.* 66. *Erat verus Samſon, Banajas, Ionas.* ibid. *Non priùs Rex gloriæ, quàm Rex Judæorũ.* 69. *Paſſim in medio ſtans vel ſedens inventus eſt.* 80. & 81. *Non*

Non fuit acceptor perſonarum. 84. *Erga Diſcipulos æqualem oſtendit affectum.* ibid.

Chriſtus aſcendens erat aquila grandis. 92. *Quaſi invitus à Diſcipulis abijt.* 96. *Summè beneficus eſt in mortales.* 97. *Probat ſuos ad lucem, ùt aquila pullos ad ſolem.* 99. *Vitam nobis deperditam recuperavit.* 115. *Ob nimium erga nos amorem comparatur pellicano.* 116. *In hac figura comparuit S. Gertrudi.* ibid. *Peccatores diabolo venditos redemit ſuo ſanguine.* 117. *Factus victima & Sacerdos pro vita hominum.* ibid. *Mortuus ipſe eſt, ùt omnes viverent.* 118. *Omnem fudit ſanguinem, quia una gutta (quæ alias ſufficiens) Amori non ſuffecit.* 119. *Clamavit,* utquid dereliquiſti me, & Sitio, *quia pro hominis amore plura pati voluit.* 120. *Amor ejus in cœlis etiamnum ſollicitus eſt pro peccatoribus.* ibid. *Baptizatur à S. Ioanne, cur?* 232.

Chriſtus maximus animarum noſtrarum amicus. 123. & 124. *In amando nos ſuperavit Ionatham & Eliam.* 123. *Sumentibus ſe convivit delectabiliter.* 129. *Unit nos ſibi, eſt cibus & conviva.* ibid. *Ad menſam ſuam vult habere immaculatos, ſicut habuit Nabuchodonoſor.* 132.

Clementiæ, ſeu clementis animi proprietates. 376.

S. Clemens nō fortuitè ſic fuit vocatus. 375. *Verè fuit clemens.* 376. *Fuit adjutor Apoſtolorum, diſcipulus & imitator ſancti Pauli.* 377. *Expreſſit D. Paulum in charitate.* 378. *Clementiâ ſuâ multos manſuefecit.* 379. *In exilium miſſus Gedeonem imitatus eſt.* 380. *Multos convertit barbaros.* ibid.

Conjuges charitatem inter ſe habeant. 40. *Hâc habita, fiunt inſuperabiles Deóque acceptiſſimi.* ibid.

Corona certanti promittitur. 79. *Aurea nō datur, niſi geſtetur ſpinea.* ibid. *Potiſſimùm triplici Deus quondam ſuos coronavit.* 342. *Primùm argenteâ Ieſum filium Ioſedech.* 348. *Dein ſtelleâ, mulierem amictam ſole.* 344. *Demum aureâ Aaronem.* 346. *Coronâ argenteâ coronantur caſti.* 344. *Stelleâ Doctores.* 344. *Aureâ, charitate præditi.* 346.

Creaturæ Creatorem ſuum indicant. 2.

Crucem poſt Chriſtum ferre, non ſolis monachis ſed omnibus dictum. 72. *Crucis arbor unicam & veram habet ſalutem.* 268. *Omnia bona mundo attulit.* ibid. *Hanc deſideravit S. Andreas, de hac gloriatus fuit S. Paulus.* ibid. & 269. *Crux ab omnibus amanda.* ibid.

Curioſitas in divinis noxia eſt. 1.

D.

D*Avid antequam Rex ſummè exercetur.* Nu. 69. *Munere corruptus iniquè adjudicavit cauſam Sibæ.* 89. *Fuit Vir ſecundùm cor Dei.* 244. *Quaſi adeps ſeparatus à carne.* 246. *Fuit humillimus.* 247. *Patiens in perſecutionibus.* 248. *à Deo ductus per aſpera & proſpera.* 249. *Tutior inter beſtias erat quàm inter Aulicos.* 276.

DEUS

Digitized by Google

DEUS Pater ſummè in nos beneficus. 5. *Ejus beneficentia elucet in creatione.* ibi. *Ejus miſericordia erga peccantem.* 9. *In puniendo valde miſericors.* 11. *Ejus patientia tempore diluvij.* ibid. *Ejus longanimitas cum Sodomitis.* 13. *Manſit cũ Abraham ſtans, ut is oraret pro Sodomitis.* 14. *Ejus miſericordiæ viſcera expreſſit S. Ioannes dicens:* Sic Deus dilexit. 15. *Ejus prodiga liberalitas in mundum.* 16. *Non maledicet damnandis.* 17. *Ejus beneficia ſæpius recolenda.* ibid.

Deus Pater debuit Chriſtum vocare filium ſuum, nè putarent populi, ob oimiam ſimilitudinem vitæ, eum eſſe Ioannem. 226

Deus quis ſit, SS. Paulus & Ioannes indicant. 3. *Ob majeſtatem in vet. Teſt. terribili comparebat in ſpecie, in novo ob amorem amabili.* 20. *Omnes ad ſalutem vocat.* 50. & 260. *Adhibet varios vocandi modos.* 51. *Varias accendit ſtellas in cordibus hominum.* ibid. *Triplicem communiter adhibet modum.* 52. *Per inſpirationem internam vocavit S. Auguſtinum & tres SS. Reges.* 53. & 54. *Peccatoribus beneficia confert, ut convertantur.* 53. *Omnem filium quem diligit, caſtigat.* 69. *Ira ipſius illa maxima eſt, quando non imſcitur peccatori.* 75. *In medio eſt, quia omnibus æquus.* 82. *Etiam in pœnis ſervat æqualitatem.* 83.

Deus intenſiſſimè diligit hominẽ. 109. *Quaſi prodigus ſui, dum dedit mundo Filium.* ibid. *Explicatur illud S. Ioannes:* Sic Deus dilexit. 110. *Dedit Filium, ut is pro mundi vitã ſuam perderet.* 111. & 112. *Amorem reciprocum à nobis poſtulat.* 113. *Sæpe non rogatus beneficia confert.* 168. *Comparatur ſalienti cervorum hinnulo, cur?* ibid. *Eſt velox ad præmia, tardus ad ſupplicia.* ibi. *Ejus voces variæ ſunt, ſed gratiſſima* vox clamantis in deſerto. 231. *Deus gaudium ſummum habet ex noſtris tribulationibus.* 352. & ſeq. *Varias in homines ejaculatur ſagittas.* 378 & 389. *Omnibus nobis ſortes mittit.* vide *Sors.*

Diabolus non niſi bonos affligit. 365. *Sicut olim Pharao Judæos, ſic ipſe bonos.* ibid. *Eſt ſtultitiæ princeps.* 436.

Diabolus ut decipiat, varias induit formas. 415. *Claudit ora confitentium.* 430.

E.

EBrietas maximè nocet. Nu. 262. *Filium prodigum junxit porcis.* ibid. *Occidit filios Job. Baltbaſarem.* 263.

Eccleſia eſt Paradiſus, Domus Dei, Sponſa Chriſti, Arca Domini, Columba unica, Cœlum. 251. 252.

Eſther in Reginam aſſumitur, quia pulchra & humilis. 184. 186. *Regium averſatur faſtum.* ibid.

Euchariſtiam ſumentes ſiunt Chriſti, imò & Dij. 124. & 125. *ſiunt item conſanguinei Chriſti.* 127. *Sunt conviva non regiæ alicujus, ſed Divinæ Menſæ.* 130. *Debent eſſe prudentes ſicut ſerpentes.* 131. *Non Judæ, crudeles, immundi.* 132. *Sed Fide, Spe, Charitate, præditi.* ibid. *Chriſtus in Euchariſtia homini plus tribuit, quam*

quàm dando olim Adamo ſpiraculum vitæ. 127. Alit ſuos magis quàm mater.130.
Euchariſtia eſt alexipharmacum & medicina. 128. Carnis tentationes extinguit. ibid.
Exemplum malum ſummè eſt perniciofum. 193. 194. 195. &c.

F.

Falſi fratres ſunt ſpinæ. 364. Pungunt imò perimunt bonos.265. Varia exempla. ibid.
S. Franciſcus Borgias fuit ſervus vigilantiſſimus. 418. Lumbos præcinxit, dum terrena contempſit. ibid. Mortificationi fuit deditiſſimus.419. Lucernam ardentem geſſit, amando Deum, & dando bona exempla proximo. 420.
S. Franciſcus Xaverius fuit Virgo, Confeſſor, Martyr, Apoſtolus. 401. Idem præſtitit quod magni Apoſtoli. 402. Ingentia confecit itinera ſemper pedes. 403. Famulum egit equitis, penes quem nudipes cucurrit. 404. Prædicavit ubique etiam in plateis cum riſu puerorum. 405. Ingentes populorum multitudines convertit. 407. Signa & prodigia fecit innumera. 408. Totam urbem miraculosè reduxit ad Fidem.409. Alia inſuper patravit miracula. 410. Fuit humillimus.ibid.
Felicitas mundana. vide Mundus. & Proſperitas ſæculi.

G.

Gabriel Archangelus à reſurgente Chriſto, mittitur ad B. V. MARIAM. Num. 63.
Gaudij immenſitas, qualem in homine mutationem operetur, oſtendit Iacob. 58. Subinde, repentinam cauſare mortem, duplici oſtenditur exemplo. 68.

H.

Homini in ſtatu innocentiæ omnia animalia parebant. Num. 7. Ejus in paradiſo operatio fuit voluptuoſa. 8. Ejectus paradiſo non omne perdidit imperium in animalia.10. Verus homo is tantùm eſt, qui virtuoſus. 310.
Honorem omnes appetunt. 264. 270. Phaëtonti ſunt perſimiles. ibi. Honorari quoque deſiderabant filij Zebedæi. 271. Honores ambire in aulis Principum, vaniſſimum. 272. Honor eſt fumus, umbra, ſpuma, & momento propè abit. 273. In morte cruciat. 274. Grandia cauſat pericula. ibid. Tutiùs eſt inter beſtias vivere quàm inter honores. 276. Teſtis David & Daniel. ibid. Honor multos ſuſtulit. 277. Hunc fugere laudabile eſt. 278. vide Aula & Aulici.

I.

Iacob ingens gaudium habuit, quando intellexit vivere Ioſeph. Num. 58. Ioſephum præ aliis diligendo, plus ei nocuit, quàm profuit. 85.
S. Jacobus Apoſt. cur petijt dextrum vel ſiniſtrum in regno Chriſti. 371.
SS. JESU nomine inaniter gaudebant Veteres, ſibi illud imponendo. 29. Nomen illud è cœlo ſuam traxit originem. ibid. In hoc Deus Pater omnia ſua incluſit. 30. In hoc omnia alia Chriſti nomina inclu-

Digitized by Google

cluduntur. ibid. *Continet in ſe oleum effuſum.* 31. *Dominum juſtum.* 32. *Principem pacis; Patrem futuri ſaculi; Emmanuelem.* ibid. *Orientem.* 33. *In terris cognitum velut oleum effuſum, omnia odore ſuo replevit & ſanavit.* 35. *Invocatum omnia bona praſtat.* 46.

S. Ignatius fuit ignis à Deo in terram miſſus. 393. *Ei applicatur id quod de Elia:* Surrexit quaſi ignis. ibid. *Propter amorem Dei in inferno ardere deſiderabat.* 394. *Amor ille paſſim in exteriora prorumpebat.* 395. *Inter adverſa erat infractus.* 396. *Simili amore flagrabat in proximum.* 397. *Verbum ejus quaſi facula ardebat.* 398. *Pracipitat ſe in aquam, ut laſcivum convertat Juvenem.* ibid. *Suſcitat mortuum in vita.* 399. *Plures poſt mortem.* 400.

Injuſtus ac vitioſus non cenſetur eſſe homo. 310.

Inimicorum dilectio. vide *Amor.*

Innocentia ſemper adverſatur malitia. 334. *Innocentes omni tempore fuerunt preſſi ab impiis.* 335. *Sic innocentes Pueri ab Herode.* ibid. *Eorum clades deſcribitur.* 336. *Eam cur permiſerit Deus, cauſa variæ ſunt.* 338. 339. *Fuerunt prima victima, quas Patri obtulit Chriſtus.* 338. *Verè fuerunt Martyres Chriſti.* 339. *Sublati ſunt, nè malitia mutaret intellectum,* 340. *Deplorantur à Rachele, cur?* 341.

Innocentes placent Deo. 366. & 367.

S. Joannes Bapt. in utero matris fuit ſanctificatus. 170. *In utero adhuc ratione praditus.* ibid. *Fuit vox Patris aterni.* 231. *Vox turturis.* ibid. *Ejus laus maxima quòd Vox.* 232. *Habuit proprietates ſeptem illarum vocum ex Pſal. XXVIII.* ibid. *Fuit vox ſuper aquas quia baptizans in Iordane.* 233. *Vox in virtute; quia plenus virtutibus.* 234. *Non attribuit ſibi gloriam Meſſia. Vox in magnificentia, quia omnes ad ſe attraxit.* 236. *Vox confringentis cedros, quia ſuperbos arguit.* 237. *Vox intercidentis flammã, quia ignem luxuria in Herode extinguere conatus eſt.* 238. *Vox concutientis deſertum, quia multos in deſerto convertit.* 239. *Vox praparantis cervos, quia ex Diſcipulis formabat Magiſtros gentium.* 241. *Ejus ad exemplum ſimus voces in virtute.* ibid.

S. Joannes Baptiſta pra omnibus maximè laudatur in Scriptura. 219. *Nullus major ipſo.* ibid. *Homo appellatus eſt, nè putaretur pluſquam homo.* 220. *Fuit vivum miraculum; ſimilis Filio Hominis.* 221. *In utero matris jam fuit ratione praditus.* ibid. *Parenti ſolvit linguam.* 222. *Vita ejus fuit ſimillima vita Chriſti.* 223. *Ablactatus fuit major Samuele.* 224. *Noluit manere domi, nè labe aliqua aſpergeretur.* ibid. *In eremo continuum habuit martyrium, & jejunium.* 225. *Principes ad eum miſerunt legationem, quia eum putabant eſſe Meſſiam verum.* 226. *Fuit humilis in confitendo Chriſtũ.* ibid. *Pradicavit pœnitentiam non fabulas, redarguit Principes & Reges.* 228. Su-

Supervit in hoc Iſaiam & Eliam. 229. *Interfectus fuit ob veritatem.* 230. *Imitandus maximè à Concionatoribus in zelo.* ibid.

S. Joannes Evangeliſta, cur toties ſe nominaverit Diſcipulum quem diligebat JESUS. 279. *Præ omnibus maximè amabatur à Chriſto.* 280. *Ei omnes titulos & officia Eccleſiaſtica contulit.* 281. *Inter Evangeliſtas ſummus eſt.* ibid. *Ubique proximus Chriſto.* 282. *Præ omnibus dilectis admiſſus ad pectus Chriſti.* ibid. *Ei ſoli commendavit ſuam S. Matrem.* 283. *Fecit eum ſuum fratrem & filium MARIÆ.* 284. *Item claviculárium cœli præſtantioris.* ibid. *Revelavit ei ſecretiſſima.* 285. *Seraphinis factus ſublimior.* 286.

Job fuit juſtus & miſericors. 38. *Non abſcondit peccata ſua.* 425.

Joſeph fuit figura Reſurrectionis Chriſti. 59. *Antequam præeſſet, in carcere premitur.* 69.

S. Joſephus laudatur in Evangelio. 241. *Eò quòd eſſet juſtus.* 242. *Filius David.* 243. *Fuit Vir ſecundùm cor Dei.* 245. *Quaſi adeps ſeparatus à carne.* 246. *Ex humilitate voluit dimittere B. V.* 247. *Fuit patiens in ærumnis.* 248. *à Deo ductus per proſpera & aſpera.* 258. *Hic in omnibus neceſſitatibus opitulatur.* ibid.

Iſaac muneribus corruptus ab Eſau eum magis dilexit quàm Iacob. 88.

Judicia Divina ſcrutari non licet, reprehenditur ideo S. Antonius. 237.

Judices, Præſides, Superiores, teneant medium æquitatis. 82. 86. *Non regnet in eis acceptio perſonarum.* 87. *Non debent accipere munera, quia tollentur è medio.* 88. *Munera eos faciunt elingues ùt Demoſthenem.* 90 *Judex muneribus corruptus poſt mortem inventus eſt ſine lingua.* 91. *Judices debent eſſe juſti & miſericordes.* 37. *Olim ungebantur oleo & ſanguine ùt juſti & miſericordes.* 38.

Judith ſe ornavit ſummè. cur? 135. *Angelo Cuſtode comite progreditur.* 137. *Sandaliorum pulchritudine rapuit oculos & caput Holoferni.* 137. *Acclamatur ei à Bethulienſibus.* 139.

Juſti debent eſſe ſimiles palmis. 297. *Semper abundare fructibus bonorum operũ.* 298. *Si negligunt, projiciuntur ùt arbores in ignem.* ibi. *Declaratur id parabolâ ficûs, quæ maledicitur à Chriſto.* 299.

L.

Lacrymæ ingentem vim habent. Num. 426. & 427.

Latro in cruce ope B. Virg. ſalvatur. 146.

S. Laurentius fuit ſpectaculum mundo & Angelis 349. *Lectulus ejus ferreus ſuperabat lectulum Salomonis & aliorum.* ibid. *Paſſione ſuâ illuminavit mundum.* 350. *Comitatur flens Sanctũ Xiſtum.* 355. *Flammas foris non ſenſit, qui intus charitate flagrabat.* 356.

Linguæ jacula vel maximè ſauciant. 359. *Hac paſſus eſt David.* 360. 362. *Anna Samuelis mater.* 361. *Patienter & à nobis tolerari debent.* 363.

Lu-

Lucernæ & lumen jam olim appellati fuerunt Reges & ſummi Sacerdotes. 382. *In novo Teſtamento erant, D. Joannes Bapt. Apoſtoli, & Epiſcopi.* ibid.
Lucere debet lux noſtra bonorum operum coram hominibus. 391.
Luna præ aliis Planetis maximè in hæc inferiora influit. 171. & 257.

M.

Machabæorũ laus ingens quòd unanimes. 318. 319. *Pro populo malunt occumbere, quàm fugere à prælio.* 324.
Magni coram mundo non cenſentur magni. 223. *Sed qui coram Deo ſunt.* ibid.
Majus refertus eſt Palmis, id eſt Crucibus. 295.
Mali ſunt ſpinæ, ubique reperiuntur. 364. *Sicut Eſau oderat Jacob, ita mali bonos; Qui vult eſſe Abel, debet habere Cain.* ibid.
S. MARIA avidè præſtolabatur Reſurrectionem Filij. 59. *Ex illa habuit gaudium inexplicabile.* ibid. *Prima omnium vidit Chriſtum Reſurgentem.* 60. *Id fuſiùs contra hæreticos probatur.* 61. 62. *Deſcribitur ejus magnitudo gaudij, quã percepit ex Reſurrectione.* 67. *Fuiſſet præ gaudio mortua niſi à Deo præſervata.* 68. *Regina cœli ſæpiùs repetendum.* ibid. *Non aſſumitur à Chriſto aſcendente. cur?* 96.
S. MARIA, fuit Bellatrix ac Heroina fortiſſima. 133. *Ejus varia encomia ex SS. PP.* 134. *Immaculatè concepta.* ibid. *Juditha fortior.* ibid. *Ejus eximia pulchritudo deſcribitur.* 136. *Comitante filio progreditur in hanc vitam, qui eam ab originali præſervavit.* 137. *Pedum pulchritudine, contrivit caput ſerpentis.* 138. *Fugavit aſſiſtente filio, aſſeclas tenebrarum.* ibi. *Victrici acclamatur ab omnibus creaturis.* 128. *Immaculatè conceptam teſtantur SS. PP.* 140. *Etiam Cæſar Ferdinandus III. erectis Pragæ & Viennæ columnis.* 141.
S. MARIA eſt ſtella matutina, ſtella maris, ſtella vitæ. 142. *Eſt etiam ſtella ex Jacob.* ibid. *Luxit quaſi ſtella, cum jucunditate Deo.* 143. *Fuit ardens charitate erga Deum & nos.* ibid. *Fuit fornax amoris.* ibid. *Tanquam ſtella maris ſedat fluctus, & pellit tenebras ſpirituales.* 144. *Detegit navigantibus ſcopulos.* 145. *Etiam inferiores partes terræ illuminat.* ibid. *Sic illuminavit latronem, ſtans inter ejus crucem, & crucem Filij.* 146. *Sæpe non rogata ſuccurrit peccatoribus.* 147. *Data eſt ei poteſtas, etiam peccatores deſperatos reducere.* ibi. *Exemplum tragicum peccatoris ope B.V. ſalvati.* ibid. *Eſt vera peccatorum ſtella.* 148. *In tentationibus recurrendum ad eam.*
S. MARIA fuit Arca novi Teſtamenti. 149. *Introducta fuit tanquam Arca à Sacerdotibus & Parentibus in templum.* 350. *Ad eam tanquam ad Arcam reſpiciunt omnes.* 151. *Tentationes dæmonis, & anxietates animi pellit.* 152. *Deſperatos reducit, & conſolatur.* 153. *Fuit, & eſt* Chri-

Digitized by Google

Chriſtianorum Propugnatrix. 155. *Exemplis id demonſtratur.* 156. *Maximè protegit contra Cacodæmones; exemplũ hujus memorabile.* 157. *Ad eam tanquam ad Arcam recurrendum.* ibid.

S. MARIA, modeſtiâ ſuâ, ſtitit cælum ac ipſum DEUM. 158. *Turbatur ſalutata ab Angelo.* ibi. *Nihil ſinè ejus conſenſu perficitur.* 159. *Eſt Rebecca pulchrior.* ibid. *Regina Univerſi declaratur ab Angelo.* 161. *Prima vovit caſtitatem.* 162. *Turbatur ob virginitatem.* 163. *Aſſentitur Angelo.* ibid. *Filium Dei cum plenitudine gratiarum concipit.* 164. *Ave Maria ſæpius orandum.* 165. *Exemplum liberati à Dæmone, qui quotidie bis oravit.* ibid.

S. MARIA forma virtutis & modeſtiæ. 166. *Huic non obfuit feſtinatio in montana.* ibi. *Cauſa hujus feſtinationis varia.* 167. *Feſtinat etiamnum nobis in auxilium ùt Mater miſericordiæ.* ibi. *Imitatur Deum velociter miſericordem.* 169. *Eſt aquila grandis quæ tulit medullam Cedri.* ibid. *Salutando Eliſabetham ſanctificavit S. Ioannem.* 170. *Comparatur Lunæ ob velocem influxum in homines.* 171. *Habet Lunam ſub pedibus, quia velociſſimè ſuccurrit nobis.* 172. *Exemplum liberati Epiſcopi è manibus dæmonum per B. V.* 173. *Thronum ſuum poſuit in columna nubis, cur?* 174. *Habet diviſum cũ Filio imperium.* ibid.

S. MARIA ob puritatem eximiam comparatur templo Dei. 175. *Non indiguit ulla purificatione,* ibid. *Ex humilitate ſubijt illam, ſicut Chriſtus circumciſionem.* ibi. *Eſt Annâ Samuelis matre perfectior.* ib. *Fuit omnibus virtutibus decorata.* 177. *Maximè modeſtiâ, humilitate, puritate.* ibid. *Deo obtulit cum Filio par turturũ, cur?* 178. *Ob hoc novam accepit à Deo benedictionem.* 179. *Facta eſt mater rerum creaturum.* ibid. *Ut mater curam gerit generis humani.* 180. *Exemplum ubi raptam à dæmone, & clamantem, monſtra te eſſe Matrem, liberavit.* 181. *Cavendum, nè ipſam pœniteat nos concepiſſe.* ibid.

S. MARIÆ aſſumptio ac triumphus deſcribitur. 182. *Erat ſolennior triumpho Chriſti aſcendentis.* 183. *Facta Regina cæleſtium, terreſtrium & inferorum.* ibid. *Ejus exaltationem cauſavit, caſus & inobedientia Evæ.* 185. *Hanc ob nimiam pulchritudinem S. Dionyſius putâſſet eſſe Deam, niſi fides obſtitiſſet.* ibid. *Sublimiſſima facta, quia humillima.* ibid. *Poſt Deum ſuper omnes exaltata.* 187. *Ideo eſt Domina & Regina Univerſi.* ib. *In cælo nunc eſt mundi propitiatorium.* 188. *Nemo niſi per eam ſalutem conſequitur.* 189. *Exemplum Nobilis negantis Deum, & tamen ope B. V. ſalvati.* 190. *Ad eam confugiat peccator.* ibid.

S. Maria Magdalena è peccatorum cæno mirabiliter eripitur. 422. *Facta eſt ſpeculum pœnitentium.* 423. *Non erubuit confiteri peccata ſua palàm.* 425. *Lacrymis ea abluit.* 426. *Omnia membra ſua convertit ad obſequium Dei.* 427. *In novam*

vam & totam aliam mutata eſt. 428.

S. Martinus fuit lucerna. 383. *Cum omnibus Sanctis habuit partem.* ibid. *Adoleſcentibus praeluxit caſtitate.* 384. *Innocentiam baptiſmalem ſemper ſervavit.* ibid. *Militibus dedit exemplum exercendi bona opera.* 385. *Monachis praeivit mortificatione.* 386. *Praeſulibus humilitate.* 387. *Fuit Epiſcopus zeloſus & patiens in perſecutionibus.* 389. & 390. *Nunquam ſe vindicavit.* ibid. *Luxit maximè in morte ejus indifferentia & obedientia.* 391.

Martyres Spiritu Sancto roborati hilares erant in poenis. 104. *Exempla aliquorum Martyrum, qui poenas ac mortem deriſerunt.* ibid.

S. Matthaeus ex viſione Chriſti convertitur. 311. *Quadrat illi dictum Eccleſ. cap.* 11. Eſt homo marcidus, egens recuperatione. ibid. *Sedens in telonio miſerabilior erat paralitico.* 312. *Avaritiae & injuſtitiae planè fuit deditus.* ibid. *Oculus Chriſti erexit illum.* 313. *Obediendo factus eſt homo alatus.* ibid. *Ex telonio transfertur ad cathedram Apoſtolicam.* 314. *Mirabilia pro Chriſto operatus eſt.* 315. *Occubuit ob defenſam alterius caſtitatem.* 316. *Peccatores habent in eo ſolatium.* 317.

S. Mathias ſorte eligitur in Apoſtolũ. 327.

S. Michaël eſt Protector Chriſtiani populi. 211. *Dejecit è caelo Luciferum.* 212. *Ideo aliis Angelis praelatus.* ibi. *Eſt ſolùm fidelium hominum & meliorũ Praeſes.* 213. *Sicut olim ſuccurrit Judaeis, ita nunc Chriſtianis.* 214. *Iſaacum ſalvavit ſub ictu gladij, S. Wenceslaum in certamine.* ibid. *Jeruſalem liberavit caeſis Aſſyriis.* 215. *Conſtantinum & Carolomannum defendit adversùs barbaros.* ibid. *Pingitur cum rompheaa, ut peccatores urgeat ad paenitentiam.* 216. *Tuetur nos adverſùs diabolos.* 217. *Ita tuitus eſt Oſbertum Religioſum.* 218. *Sepius de die invocandus.* ibid.

Mortis memoria vanam convertit puellam. 424.

Mulier amicta ſole, deſignat juxta aliquos PP. Eccleſiam, juxta alios B. Virginem, juxta alios Virginem quampiam deſponſatam Chriſto. 75. 76. *Apparuit in caelo, ut indicaret caelum eſſe proprium Virginibus.* 77. *Habuit Lunam ſub pedibus id eſt mundum.* 79.

Mulieres fortes, ſeu Heroinae. 133.

Mundus ſub adventum Domini totus erat in maligno. 117. *Eſt velut mare turbulentum.* 144. *Habet ſcyllam & charybdim, habet piratas.* ibi. *Eſt plenus ſcandalis & laqueis.* 210. *Idipſum vidit D. Antonius.* ibi. *Per munera maximè decipit.* 304. *Ejus gloria eſt inſtar fumi.* ib. *Dando pecunias, dat rem inſtabilem.* ibid. *Non facit veros, ſed quaſi Reges.* 305. *Clientes ſuos durè tractat.* 306. *Teſtis eſt Prodigus.* ibid. 307. *Tanquam vitricus dat eis panem doloris.* 308. *Coronat eos roſis brevi marceſcentibus.* 309.

Digitized by Google

Munera corrumpunt Judices, Parentes, &c. 88. & ſeqq. *Faciunt Judices elingues.* 90. 91. vide *Judices.*

N.

Nativitas *Chriſti.* vide *Chriſti Nativitas.*

Nomen Jehova, ſolus Sacerdos olim exprimebat. Num. 34. *Nomen Chriſtiani vel Religioſi, non debet eſſe inane.* 36. *Nomina ſæpe conveniunt ſuis rebus, ſæpe etiam nòn.* 375. *Parentes imponebant ea prolibus, ut ſecundùm illa operarentur.* ibid.

Nox in nativitate Domini, ob claritatem in diem verſa fuit. 18.

O.

Opera *bona facienda ſunt.* Num. 298. *Qui omittit punitur à Deo.* ibid. *Declaratur duplici parabola ficûs.* 299. *Chriſtus vel maximè exigit bona opera.* 300. *Hortatur omnes ad ea facienda.* 301.

P.

Palmarum *proprietates variæ.* Nu. 296. *Ijs ſimiles debent eſſe animæ.* 297.

Parentes non oſtendant, uni filiorum majorem affectum, quàm alteri. 85. *Non promoveant filios ineptos ad officia locò ſui.* 87. *Exemplo Abrahami ſint ſoliciti, nè proles ſuas quibuſcunque deſpondeant.* 160.

Pati pro Chriſto ſpeciale Dei donum eſt. 371. *Conceditur nonniſi amiciſſimis.* ibi. *Patienter ferendæ perſecutiones.* 374.

S. Pauli vincula cœlo pretioſiora. 26. *Illuminatus à Chriſto abjecit omnem reſpectum humanum.* 45. *Velut Luna noctis tenebras è mundo diſpulit.* 257. *Ut luna maximè influxit in animos hominum.* ibid. *Teſtis Græcia, Roma, &c.* 258. *Diabolos abegit.* ibid. *Omnibus omnia factus eſt.* 259. *Ejus ardentiſſimus amor erga homines.* ibid. *Ejus zelus lucrandi animas.* 260.

Peccata vendunt peccatores dæmoni. 117.

Pelicanus fundit ſanguinem ſuper pullos mortuos. 106.

Perſecutores Juſtorum ſunt ſpinæ. 364.

SS. Petrus & Paulus ſunt duæ olivæ, binæ columnæ, duo Paranymphi, duo Cherubim, duo oculi, duo luminaria magna. 251. & 252.

S. Petrus luxit tanquam ſol & arſit. 253. *Arſit nimia charitate in Deum.* 254. *Hâc flagrante projecit ſe in mare.* ibid. *Animam ſuam voluit ponere pro Chriſto.* 255. *Gladio defendit Chriſtum.* 256. *Alios Apoſtolos docendo myſterium SSS. Trinitatis illuminavit.* ibid.

SS. Philippus & Jacobus effloruerunt ùt palmæ. 297.

Pœnitentia ſeria mutat Dei ſententiam, etſi durum. 333. *Summopere placet Deo.* 428. & ſeq: *Crimine minor non ſit.* 430.

Prædicatores non ſint canes muti. 346. *Sint rugientes leones.* 347. *Coronabuntur in cœlis coronâ ſtelleâ.* ibid. *Comparantur igni.* 392. *Alios debent incendere, non tamen conſumere, ùt fecit Moyſes, & Elias.* 393.

R.

Rebec-

Rebecca ob duplicem puritatem vocatur Virgo & incognita viro. Nu. 161.

SS. Tres Reges, illuminati à Deo, facti ſunt Chriſti Confeſſores antequam illum agnoſcerent. 54. *Eorum fervor.* ibid.

Regna clementiâ magis quàm ſeveritate conſervantur. 23.

Roboam regnum perdidit, quia à populo timeri voluit. 23.

S.

Salutatio Angelica ſæpiùs de die dicenda, Nu. 165. *Multa bona præſtat.* ibid.

Samſon nunquam fortior, quàm cùm ligatus eſſet. 21. *Spiritus Sanctus eum fortem reddidit.* 102.

Scandalum habet væ æternum. 191. *Plurima in mundo dantur.* 193. *Quid propriè ſit ſcandalum ex DD. adducitur.* ibid. *Unum etiam, multum mali cauſat.* 193. *Oſtenditur in Roboam & Joas Regibus.* 194.

Scandalizans alterum, pejor eſt crucifixore Chriſti. 197. *Ipſi majora facit vulnera quàm Iudæus.* ib. *Pœnis æternis obnoxius eſt.* 198. *Exempla adducuntur.* 199. 200.

S. Sebaſtianus læſus fuit magis à ſagittis divini amoris, quàm à perſecutoris. 157. *Maximè ſenſit ſagittas linguæ.* 362.

SS. Simon & Judas in fraterna dilectione fuerunt inſignes. 319. *Unanimiter prædicârunt in Perſia.* 321. *Dilexerunt valde inimicos, quibus vitam impetrarunt.* 322. & 323. *Imò pro his mortui ſunt.* 324. *Exemplo horum Apoſtolorum diligendi ſunt inimici.* 325.

Societas cum perverſis interdum non nocet Juſtis. 389. *Imò prodeſt uti profuit Noë, Loth & Epiſcopis Philippenſibus.* idid. *Plerúmque tamen eſt ſummè contagioſa.* ibid. *Privat eum benedictione Dei, qui vivit inter malos.* 390. *Eva labitur quia Societatem inijt cum ſerpente.* ibid. *Deus eam graviſſimè prohibuit bonis.* 391. *Propter eam cecidit Salomon, S. Petrus, & S. Thomas.* 392. *Etiamnum optimi Adoleſcentes per eam corruunt.* 393. *Exemplum hujus rei tragicum.* 394.

Soli proprium eſt lucere & ardere. 253.

Somnus corporalis, multis fuit fatalis ſcilicet: Isboſeth, Holoferni, Siſaræ. 413. & 414.

Sortes apud veteres valde erant in uſu. 326. *Etiam Deus nobis ſortes mittit.* 327. *Sic ſorte elegit S. Mathiam.* ibi. *Varias ſuper impios olim jecit ſortes.* 328. *Non tamen omnes erant efficaces, uti illa quæ cecidit ſuper Achab.* ibid. *Super Manaſſem.* 329. *Super Ninive.* 330. *Efficaces verò erant illæ, quæ jactæ ſunt, ſuper Saulem, Pharaonem, Antiochum.* 331. *Terribilis & illa quæ ſuper juvenem Toletanum cecidit.* 332. *Sortes divinas reddit inefficaces pœnitentia peccatoris.* 333.

S. Spiritus vivificat hominem; ùt ille ſpiritus Ezechielis oſſa arida. 100. *Apoſtolos triſtes exhilaravit.* 101. 106. *Fortes ac intrepidos fecit.* ibid. *Dum adeſt in homine, venit ſubveniendo.* 102. *Gratiâ ſuâ roborat, & fortes reddit.* ibid. *Sic roboravit Samſonem, & Apoſtolos.* ibid. *Sic*

S. Pe-

Digitized by Google

S. Petrum aliàs timidum. 103. Sic & Martyres confortavit. 104. Venit prætereà implendo, id eſt dando varia dona. 105. Sic implevit Saul dono prophetiæ, qui fuit ante agazo. ibid. Sic è rudibus piſcatoribus fecit Apoſtolos. ibid. Eſt conſolator animæ. 106. Venit demum illuminando, maximè peccatores. 107. Comparuit in igne, ut combureret peccata. ibid. Ab hoc igne illuminatus fuit S. Auguſtinus. ibid.

Stella ducebat Magos, at Chriſtus in præſepio eos trahebat. 47. Cur ſtella & non Angelus eos direxit? 48. An hæc fuerit fatum ſeu ſtella pueri nati? 49. Cur exorta in oriente? ibid. Stellæ quaſi rationales luxerũt Deo cum jucunditate. 143.

S. Stephanus idem quod corona, quam primus meruit. 342. Eámque triplicem, argenteam, ſtelleam, auream. ibid. Hunc caſtitas fecit Angelum. 343. Fuit Prædicator veritatis imperterritus. 345. Rugiebat velut catulus leonis. ibid. Non fuit canis mutus. 346. Charitate pro armis utebatur. 347. Hâc ſuperavit Moyſem, & convertit Saulum. 348. Item alios Judæos. ibid. Fuit præſtans in timore Dei. 417.

T.

S. THomas incredulus mortem incurrit in fide. Nu. 287. Non vidit Dominum, quia ſeparavit ſe à bonis & ſociavit ſe malis. 288. & 292.

Tribulatio benedictionem à Deo adfert. 71. Eſt pignus & annulus prædeſtinationis. ibid. Eſt purpura, & nos Reges facit. 73. Confert etiam coronam, duplici id oſtenditur exemplo. 74. Facit ùt magnis paſſibus, properemus ad cœlum. 79. Facit inſuper amiciſſimos Dei. 351. Chariſma vendenda ſunt, ut ematur aliqua patiendi occaſio. ibid. Deus non niſi amiciſſimos tribulari ſinit. 352. Sic tribulari permiſit Abrahamũ. 353. Sic Lazarum pauperem. 354. Sic Martyres qui lætiſſimi in tormentis fuerunt. 355. Tribulationes cũ gaudio tolerandæ ſunt. 356.

Tribulationum ſagittæ, faciunt hominem feliciſſimum. 358. Job ſagittas Domini affligentes vocat ſolatium ſuum. ibid. Adferunt remunerationem auream & eas pati, eſt donum majus dono fidei. ibid. S. Chryſoſtomus mavult tribulari cum D. Paulo, quàm lætari cum Angelis. 359. Tribulatio homini cœlum tradit. 380. Sic tradidit Patriarchis, Prophetis, Martyribus, aliiſque. 381. & ſeq. Patienter tolerari debet. 386.

V. W.

VIgilare omnibus præcepit Dominus. Num. 411. Etiam dormiendo vigilabat Sponſa. 412. Optimè vigilat qui ſervat præcepta. 421.

Vindicta probroſa eſt. 73.

Virgines fatuæ fuiſſent fors admiſſæ, ſi clamâſſent ad B. Virginem: Domina aperi nobis. 148.

Virgines omnimodam modeſtiam ſervare debent. 146. Earum greſſus, ſit publicè gravis & ſedatus. ibid.

Vitam

Vitam hominis ſervare beneficium maximum.115. Illa etſi brevis tamen dulcis. ib.
Vita Principum eſt regula ſubditorum.195. Oſtenditur id in Nabuchodonoſore. ibi.
Vocatio Divina communiter triplex eſt.51. 52. Ea non eſt negligenda. 55. Vocationis neglectæ pœna. ibid. *Ejuſdem neglectæ tragicum exemplum, in Juvene nobili.57. Vocatus à Deo, non obtemperet parentibus contrarium ſuadentibus. 56. Vocanti Deo obediendum. 55. 267. Vocationi divinæ pauci obtemperant. 302. Plures obediunt vocanti mundo, carni, & dæmoni. 303.*
Voces Dei variæ ſunt, ſed gratiſſima, vox clamantis in deſerto. 231.
S. Urſula fuit ſcopus divini amoris, in quâ tres emiſit ſagittas. 442. Erat argentea caſtitatis. 443. Secunda aurea charitatis. 444. Tertia ferrea martyrij. 446. Martyrium ejus, uti & reliquarum SS. Virginum deſcribitur. 447.
S. Wenceslai vita fuit hoſtia Deo placens. 367. Vicit carnem, & ſemper ſervavit caſtitatem. 368. Angelum terreſtrem egit. 369. Ideo & ſancti Angeli eum tutati & comitati ſunt. ibid. *Valde exercuit opera miſericordiæ. 371. Ligna pauperibus detulit.* ibid. *Occiditur à fratre peſſimo. 373. Adhuc loquitur, quia ejus adhuc manet memoria apud nos. 374. Rex Daniæ mox à morte ædificavit ei templum.* ibid. *Occiſores ejus graviter puniti fuerunt.* ibid.

Z.

Zelum pro Dei gloria gerere ad exemplum SS. Joannis & Martini. Num. 229. & 389.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ... VITT. EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

7-2-2

Digitized by Google